

EXERCITATIONES
THEOLOGICÆ.

THEOLOGIA
UNIVERSALIS
AD
Mentem & methodum celeberrimorum nostræ ætatis Theologorum ac S. Scripturæ Interpretum concinnata, & in quatuor Tomos distributa

A

Religiosis Monasterii D. ETTONIS, vulgò ETTENHEIM-MÜNSTER dicti, Ord. S. Benedicti, in Brisgoja

Curante & Dirigente

P. GALLO CARTIER,

Bruntrutano Rauraco, ejusdem Monasterii Professo Capitulari & Subpriore, nec non SS. Theologiæ Professore, ac S. Congregationis INDICIS Consultore.


TOMUS IV.

PARS II.

Exercitationes Theologicæ.
Index omnium Rerum in Theologia universali quatuor Tomis distincta contentarum.

AUGUSTÆ VINDELICORUM,
Sumptibus IGNATII ADAMI & FRANCISCI ANTONII VEITH, Bibliopolarum.
ANNO MDCCLVII.
CUM LICENTIA SUPERIORUM.






INDEX

Exercitationum Theologicarum, &c. &c.

EXER-



EXERCITATIONES THEOLOGICÆ

Ad variorum SS. Theologiæ Tractatuum Capita varia accommodatæ, & in utramque partem ventilatæ.

EXERCITATIO PRIMA.

An Deum esse sit per se notum.

Ad Caput I, Partis I. Tractatûs *de Deo Uno & Trino* num. 13. Tom. I. Theologiæ Universalis.

§. I.

Quædam præmittuntur ad uberiorem dicendorum notitiam.

NOt. 1mo. Propositionem per se notam esse eam, quæ ex se nata est cognosci immediatè ex terminis suis absque adminiculo medii alicujus extrinseci.

Not. 2do. Propositionem per se notam tripliciter intelligi posse; nempè alia est, quæ per se nota est *secundùm se ipsam tantùm;* alia *quoad nos tantùm;* & denique quæ per se nota est & *secundùm se ipsam simul & quoad nos.* Prior definitur Propositio cujus attributum seu prædicatum immediatè quidem connexum est cum subjecto, seu cujus prædicatum includitur in ratione subjecti; sed ea connexio à nobis ignoratur. Vel secundùm alios, Propositio per se nota secundùm se tantùm, est ea, in qua connexio extremorum sine medio probativo *à priori* innotescere potest, quemadmodùm Beatis innotescit. Huic tamen definitioni videtur obstare 1mo. quia notum ignoto dumtaxat repugnat, non verò medio probativo. Ergo licèt aliqua propositio habeat medium probativum, adhuc poterit esse nota per se. 2do. Quia hæc propositio, *Deus est æternus* omnibus Beatis est per se nota, & tamen non caret ratione *à priori* tanquam mediô probativô. 3tio. Quia hæc propositio, *Homo est rationalis*, à posteriori est demonstrabilis, & tamen est per se nota, Ergo &c. Hæc tamen adductam definitionem non infirmant. Nam

Resp. ad 1mum. *Dist. ant.* Notum ignoto dumtaxat repugnat, non autem me-

medio probativo, si præcise sit notum quoad nos, *conc.* si sit etiam notum per se secundùm se, *neg. ant.* Equidem fatendum est, quòd notum præcisè quoad nos ignoto tantùm opponatur; at si consideretur prout est per se & secundùm se notum, videtur manifestum, quòd etiam opponatur illi, quod est notum per aliud, sicuti Ens præcisè ut Ens solummodo Non-enti opponitur, at consideratum ut per se existens, opponitur etiam Enti per accidens.

Ad 2dum. Resp. Beatis per se non esse notum secundùm se Deum esse æternum, sed tantùm per aliud: enimverò ex Aseitate, quæ ut sequenti Exercitatione dicemus, radix est, ex qua omnia Dei attributa dimanant, intelligere possunt eum esse æternum.

Ad 3tium. Resp. Quòd demonstratio à posteriori non repugnet propositioni per se notæ secundùm se, quia, ut jam dictum, hæc propositio est, cujus extrema, attributum scilicet & subjectum immediatè connectuntur, sed immediatæ connexioni extremorum non repugnat effectus, per quem illa probari potest; repugnat autem illi medium probativum *à priori*, &c.

Propositio per se nota quoad nos tantùm, est ea, cujus prædicatum non est quidem immediatè cum subjecto connexum, sed tamen ita est evidens, ut etiam per sensuum experientiam innotescat, ut, *Sol est lucidus*, *Ignis calefacit.*

Propositio denique per se nota secundùm se & quoad nos simul, est ea, cujus attributum est immediatè connexum cum subjecto, ac insuper ex sola terminorum apprehensione nobis innotescit.

3 Not. 3tio. Quòd ad propositionem per se notam secundùm se, tria requiruntur: 1mo. Ut prædicatum seu attributum immediatè & per se conveniat subjecto; undè hæc propositio: *Homo est risibilis*, non dicitur per se nota secundùm se, quia *risibilitas* immediatè homini non competit, sed mediante *rationalitate.* 2do. Excludere debet medium, per quod demonstretur *à priori* (non tamen *à posteriori*, ut jam dictum) prædicatum convenire subjecto. 3tio. Debet esse connexio essentialis prædicati cum subjecto: nam si connexio tantùm sit accidentalis, atque ideò separari possit prædicatum à subjecto, propositio non erit per se nota secundùm se, sed solùm quoad nos, id est, sensibus pervia, ut hæc propositio *Sol est lucidus.*

Notandum 4to. Fieri posse, ut propositio aliqua per se sit nota, non tamen quoad nos, ut de hac propositione *Deus est* mox ostendemus (*a*); quia scilicet potest esse apta, ut cognoscatur ex terminis: imò de facto sic cognoscitur à Beatis, qui Deum essentialiter seu, ut ajunt, quidditativè cognoscunt: & tamen nobis esse ignotam. Nec repugnat, quòd eadem propositio sit nota & ignota, demonstrabilis, & indemonstrabilis, respectu videlicet diversarum mentium seu intellectuum. 4

Not. 5to. Omnes fermè Theologos in hoc convenire, quòd hæc propositio objectiva, *Deus est*, sit per se nota secundùm se: illa siquidem propositio est per se nota secundùm se, cujus attributum est de essentia subjecti. Atqui hujusmodi est dicta propositio. Ergo &c. Sed non conveniunt, an, sicut ea propositio est per se nota secundùm se, sit etiam nota per se quoad nos. Thomistæ negant: affirmant verò Scotistæ. Utriusque partis argumenta & Responsiones distinctis §§. proponimus. 5

§. II.

(*a*) §. sequenti ex S. Thomâ.

6 §. II.

Proponuntur argumenta, quibus ostenditur hanc propositionem*, Deus est, *non esse per se notam quoad nos.

Argumentum 1mum. petitur ex auctoritate S. Thomæ 1. *cont. Gent. c.* 11. ubi hæc eloquitur: *Sicut nobis est per se notum, quòd totum sit majus sua parte, sic videntibus ipsam essentiam divinam per se notum est Deum esse, ex hoc, quòd sua essentia est suum esse; sed quia ejus essentiam videre non possumus, ad ejus esse cognoscendum, non per se ipsum, sed per ejus effectus pervenimus.*

Idem apertiùs ostendere videtur 1. *p. q.* 2. *a.* 1. ubi sic loquitur: *Quia nos nescimus de Deo quid sit*, (hæc propositio *Deus est*) *non est nobis per se nota, sed indiget demonstrari per ea, quæ sunt magis nota quoad nos, & minùs nota quoad naturam, scilicet effectus.*

Resp. Adversarii: 1mo. Quòd hîc S. Doctor nihil aliud velit, nisi quòd propositio hæc, *Deus est*, non sit nobis nota quemadmodùm prima illa principia, *totum est majus sua parte, &c.* ut clarè constat ex cit. loc. cont. Gent. quod ultrò fatendum est: nam hæc propositio, *Deus est*, non ita intelligitur sicut prima principia per se nota; eò quòd requirat majorem mentis attentionem, ac uberiorem terminorum explicationem.

Resp. 2do. Datô, quòd S. Thomas hujus sententiæ fuerit, nihilominùs ejus auctoritas prævalere non potest auctoritati S. Anselmi pluriumque aliorum SS. Patrum, qui §. sequenti proferentur, docentium neminem ignorare, atque adeo omnibus hominibus notum per se esse, quòd Deus sit.

7 Arg. 2dum. Illud est per se notum secundùm se & quoad nos, cujus hîc in statu viæ quidditativum seu essentiæ ipsius conceptum habemus, seu, prout S. Thomas ait, de quo scimus, quid sit. Atqui nos pro hoc statu hujusmodi conceptum de Deitate non habemus, nec scimus, quid sit. Ergo Deum esse non est nobis per se notum. *Min.* constat. *Maj.* etiam patet ex dictis; quia in tantùm aliqua propositio dicitur per se nota secundùm se & quoad nos, in quantùm cognoscimus immediatam ac necessariam illius extremorum connexionem: at id fieri non potest, nisi quidditativum horum extremorum habeamus conceptum. Ergo &c.

Resp. AA. *neg. maj.* quia, ajunt, non requiritur ad propositionem per se notam secundùm se & quoad nos, ut conceptum essentiæ seu quidditativum subjecti talis propositionis habeamus; nam 1mo. hæc propositio; *Quodlibet est vel non est*, est per se nota non tantùm quoad se, sed etiam quoad nos; & tamen prædicatum hujus propositionis plurima sub se continet, ut Deum, Angelos, &c. quorum essentiæ seu quidditativum conceptum non habemus. 2do. Hæc propositio, *Immaterialia non sunt circumscriptivè in loco*, est per se nota, saltem Sapientibus, & tamen hi non habent conceptum quidditativum rerum materialium, cùm illas non cognoscant per speciem propriam.

Argumentum 3tium. Illa propositio non est per se nota quoad nos, cujus 8
veritas nobis innotescit ex alio. Atqui veritas hujus propositionis, *Deus est existens*, nobis innotescit ex alio. Ergo &c. *Prob. min.* Veritas hujus propositionis, *Deus est existens*, nobis innotescit ex creaturis: *Invisibilia enim per ea, quæ facta sunt cognoscuntur*, inquit Apostolus Rom. 1. v. 20. Atqui creaturæ sunt aliud à Deo. Ergo veritas hujus propositionis, *Deus est existens*, nobis non innotescit nisi ex alio.

Resp. AA. *Dist. maj.* Si subjectum propositionis nullos habeat effectus, *conc.* Si aliquos habeat, *neg. maj.* pariter *Dist. min.* Atqui hæc propositio, *Deus est existens*, nobis innotescit ex alio, & illius subjectum, scilicet Deus, habet aliquos effectus, *conc.* Et nullos habet effectus, *neg. min.* Hincque patet, cur hoc principium, *Quodlibet est vel non est*, demonstrari non possit, id enim accidit, quia illius subjectum nullum effectum extra se producit; quod autem de Deo dici nequit. Sunt itaque propositiones quædam ita per se notæ secundùm se, ut quamvis sint etiam notæ quoad nos, nihilominùs quia subjectum earum habet effectus, per quos demonstrari potest, sic & per eos etiam innotescit, atque talis est hæc, *Deus est existens.*

9 Argumentum 4tum. Quod est per se notum omnibus, à nemine potest negari, qui significationem nominum intelligit. Atqui Deum esse & existere quidam negaverunt. *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus*, inquit Psalmista Psal. 13. ubi notat S. Augustinus, propterea in corde, id est, in mente id ab aliquibus dici, quia verè non audent hujusmodi impii homines etiam voce suam impiam sententiam exprimere. Item Cicero lib. 1. de nat. Deor. commemorat aliquos Philosophos dubitasse, an Deus esset; alios omninò negasse, ut Diagoram (*b*), quem ideò S. Augustinus contra *lit. Petil. c.* 21. Atheum vocat.

Resp. AA. 1mo. Insipientem, de quo Psaltes Regius loquitur, non negare Dei existentiam speculativè, sed practicè tantùm, seu, licèt de Dei existentia conscientiam habeat, illius tamen sensum extinguere, atque testimonium, quod penes se habet, præfocare nititur, ut libidini ac dissolutæ vitæ tranquilliùs serviat: unde in laudato psalmo non dicitur, quòd non credat Dei existentiam, sed quòd statuerit dumtaxat illam non credere, seu, quòd enitatur, ut illius ideam ex sua mente abjiciat.

Resp. 2do. Philosophos, qui fortè negarunt Dei existentiam, non satis attendisse ad hujus vocis *Deus* ideam, seu non comprehendisse ad quid ipsa se extendat: id verò contigit, Deo, ut ait S. Augustinus, spargente pœnales cæcitates super illicitas Philosophorum illorum cupiditates. Idem dicendum est de Atheis, si qui sint Athei speculativè, seu qui verè negent Dei existentiam: nempe perditis moribus sunt excæcati; undè addit laudatus Psaltes Regius: *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt*, id est, inquit S. Augustinus in eundem Psalmum, dum amant hoc sæculum, & non amant Deum; ipsæ sunt affectiones, quæ corrumpunt animam, & sic excæcant, ut posset etiam dicere imprudens in corde suo: *Non est Deus.*

Argumentum 5tum. Quod intuitivè 10 à nobis non videtur esse existens, illud per se notum non est. Atqui Deum esse existententem à nobis pro hoc nostro statu intuitivè non videtur, ut per se constat. Ergo Deum esse existentem quoad nos pro hoc nostro statu per se notum non est. *Prob. maj.* Quod intuitivè à nobis non videtur esse existens, illud à nobis absolutè non concedi-

(*b*) Diagoras cognomento Athens, à patria verò sua Milius dictus, origine mancipium, sed propter ingenii sui præstantiam à Democrito Philosopho emtus, & libertate donatus fuit. Cùm Athenis Philosophiam doceret omnemque divinitatem negaret, ob id ab Atheniensibus vocatus in judicium, fugam navi conscensâ capessit, sed naufragium passus interiit. Vixisse perhibetur An. M. 3568. Urb. Cond. 338. Olymp. 91. ant. Chr. 432.

ditur existere, sed tantùm ex suppositione & conditionatè, si nempè detur talis res, aut si ejus existentia nobis evidenter probetur; id esse existens jam eo ipso quoad nos per se notum non est. Ergo quod intuitivè à nobis non videtur esse existens, jam illud per se notum non est quoad nos.

Resp. AA. *Neg. maj.* & *suppositum*, quòd scilicet ad hoc, ut aliquid per se notum sit etiam quoad nos, requiratur intuitiva illius cognitio: sufficit quippè, quòd attributum seu prædicatũ intelligatur im̃ediatè convenire subjecto ex ipsis terminis, seu ex sola terminorum penetratione, quod hîc contingit. Hæc sunt potissima hujus sententiæ argumenta, & Responsiones ad illa. Placet modò etiam oppositæ opinionis rationes adducere in medium unà & Responsiones.

11 §. III.

Proponuntur argumenta eorum Doctorum, qui tuentur hanc propositionem, Deus est, per se notam esse secundùm se & simul quoad nos.

A Argumentum 1mum. Illa propositio nobis per se nota est, cujus veritas nobis est ingenita & innata. Atqui veritas hujus propositionis nobis est ingenita & innata. Ergo &c. *Maj.* constat. *Min. prob.* 1mo. Ex S. Scriptura *Psal.* 4. *Signatum est super nos lumen vultûs tui Domine. Job.* 36. legimus, *Omnes homines videre Deum*, quod de intuitiva Dei visione intelligi non potest, sed secundùm notitiam ipsius dumtaxat existentiæ. Item Rom. 1. ait Apostolus: *Quod notum est Dei esse manifestum in illis* (hominibus) id est, Quod de Deo naturali lumine cognosci potest, in illorum (hominum) mente manifestum est. 2do. Ex SS. Patribus. Communiter siquidem SS. Patres affirmant esse hominibus naturaliter insitam Dei notionem. Ut S. Justinus *Apolog.* 1. Clemens Alexandrinus *Orat. adhort. ad Gent.* Tertullianus *Apologet. c.* 17. Arnobius *lib.* 1. *cont. Gent.* Cyprianus *Tract. de vanit. Idol.* ubi ait: *Summi delicti est, nolle eum agnoscere, quem ignorare non possis.* Quam sententiam ad verbum ex Tertulliano loc. cit. est mutuatus. S. Augustinus *Tract.* 106. *in Joan.* ubi ait: *Hæc est virtus veræ divinitatis, ut creaturæ rationali ratione utenti non omninò ac penitùs possit abscondi.* Quod idem asserit S. Hieronymus in *Psal.* 95. Prudentius in *Carmine cont. Sabellianos in Apotheosi.* S. Gregorius in *c.* 36. *Job.* Damascenus *lib.* 1. *Fidei orthodoxæ c.* 1. & 3. Anselmus in *Prosol. c.* 3. & 4. &c. &c.

Resp. Adversarii. Triplici ratione dici posse omnibus esse naturaliter insitam notitiam quòd *Deus sit*, etiam si hoc per se notum non sit omnibus. 1mo. Ut intelligatur de notitia universali Dei, scilicet quia omnes desiderant beatitudinem in communi, & norunt aliquid esse, quod possit hominem felicem reddere; id quod re ipsa Deus est. Atque ita omnes cognoscunt hoc ipso Deum universaliter & confusè, quo pacto id exponit S. Thomas *hîc a* 1. *ad* 1. 2do. Ut ideò dicatur ea notitia naturaliter insita omnibus, quia potest naturaliter comparari per discursum non admodùm difficilem, sicque interpretatur S. Gregorius textum adductum Job. 36. *Omnes homines vident Deum.* 3tio Ut naturaliter haberi hæc notitia dicatur, quia ex quadem consuetudine haberi solet communiter ab omnibus sine præsenti discursu, statim ac Dei nomen audiunt ab iis, qui scilicet anteà quemdam ejusmodi sermonem, seu, ut ajunt, discursum habuerunt, quo id sibi persuaderent sive per rationem, sive per aliorum auctoritatem. Adde ex S. Thoma *lib.* 1. *cont. Gent. c.* 11. illa nobis naturaliter

eſſe inſita dici poſſe, quæ à prima pueritia didicimus, & veluti cum lacte & natura à parentibus accepimus; atque etiam hoc ſenſu intelligi poſſe S. Scripturæ & SS. Patrum de congenita nobis Dei notitia loquutiones.

12 Argumentum 2dum. Illud eſt per ſe notum ſecundùm ſe, quod natum eſt parere evidentem ſui cognitionem ſine medio à priori. Atqui quod natum eſt parere evidentem ſui cognitionem ſine medio à priori, illud etiam per ſe notum eſt quoad nos; cùm tale non cognoſcatur per aliud hoc ipſo, quia parit evidentem ſui cognitionem ſine medio probante. Ergo quod per ſe notum eſt ſecundùm ſe, illud etiam notum eſt quoad nos. Subſum. Atqui hæc propoſitio, *Deus eſt*, eſt nota per ſe ſecundùm ſe, ut ex dictis conſtat. Ergo etiam quoad nos.

Reſp. AA. *conc. maj.* & *diſt. min.* Quod natum eſt parere evidentem ſui cognitionem ſine medio probativo à priori, illud etiam notum eſt per ſe quoad nos, potentiâ vel actu, ſcilicet pro ſtatu patriæ vel viæ, *conc.* ſemper actu & pro ſtatu viæ, *neg. min.* Igitur, ut aliquid dicatur nobis per ſe notum, non ſufficit, quòd in nobis ut comprehenſoribus per ſe notum ſit; ſed requiritur, ut nobis quà viatoribus per ſe innoteſcat. Quæſtio igitur non verſatur circa potentiam remotam, ſed certè circa actum, ſeu actuale exercitium cognitionis; quæritur enim, quamnam de facto, & pro hoc ſtatu viæ notitiam de Deo habeamus.

13 Argumentum 3tium. Ea propoſitio eſt per ſe nota quoad nos, quæ abſque ullo medio probativo nobis innoteſcere poteſt. Atqui talis eſt hæc propoſitio, *Deus eſt*. Ergo eſt etiam per ſe nota quoad nos. *Prob. min.* Illa propoſitio abſque ullo medio probativo nobis innoteſcere poteſt, in qua prædicatum intelligitur eſſe immediatè connexum cum ſubjecto ex ſola terminorum penetratione. Atqui ejuſmodi eſt dicta propoſitio. Ergo &c. *Prob. min.* Qui perfectè noſcit quid tùm Dei tùm exiſtentiæ nominibus ſeu terminis intelligatur, is evidenter cognoſcit connexionem eſſentialem, quam exiſtentia cum Deo habet. Ergo ex ſola terminorum penetratione evidenter intelligitur attributum ſeu prædicatum hujus propoſitionis, *Deus eſt*, eſſe immediatè connexum cum ſubjecto. *Prob. ant.* Dei nomine intelligitur Ens ſummum, ſeu Ens perfectiſſimum. Atqui qui noſcit, quid intelligatur nomine Entis ſummi ſeu perfectiſſimi, cognoſcit evidenter connexionem eſſentialem, quam exiſtentia habet cum eo; quod ſic *prob.* Nomine Entis perfectiſſimi intelligitur Ens quod habet omnes omninò perfectiones. Atqui cum hujuſmodi Ente neceſſariò connectitur exiſtentia. Ergo &c. *Prob. min.* Si exiſtentia neceſſariò & immediatè cum eo non connecteretur, tunc Ens illud poſſet concipi ſine exiſtentia. Atqui Ens, quod habet omnes omninò perfectiones, concipi non poteſt abſque exiſtentia; cùm exiſtentia ſit maxima perfectio. Ergo &c.

Reſp. AA. *Diſt. hanc ult. min.* Ens, quod habet omnes omninò perfectiones concipi non poteſt abſque exiſtentia vel formali, vel objectiva; ſeu, quod idem eſt, vel in apprehenſione, vel in re, *conc.* abſque exiſtentia objectiva, ſeu in re & in actu exercito, *neg. min.* & *conſ.* Solutio hæc clara fiet ex Reſp. tertia ad ſeq. Inſt. 2.

Inſt. 1mo. Exiſtentia, quæ eſt in re ſeu in actu exercito, eſt maxima perfectio. Ergo Ens, quod habet omnes omninò perfectiones, abſque ea concipi non poteſt.

Reſp. AA. *Diſt. conſ.* Ergo Ens, quod habet omnes omninò perfectiones ex

ex supposito, quòd detur tale Ens, absque ea concipi non potest, *conc.* absolutè & sine tali suppositione, *neg. cons.* Licèt ergo sit evidens, quòd Enti summè perfecto competat ipsa existentia etiam objectiva; attamen non aliter ipsi ea competet nisi ex supposito, quòd detur hujusmodi Ens summè perfectum, quod pro priori probandum venit.

Inst. 2do. cum S. Anselmo. Deus est id, quô majus quid excogitari non potest. Atqui per se notum est, id, quô majus quid excogitari non potest, existere, cùm utique illud majus sit quod existit, quàm id, quod non existit. Ergo &c.

Resp. AA. 1mo. S. Anselmum, postquàm *Prosol. c. c.* 24. dixisset Deum esse, quo majus quid excogitari non potest, statim subdere, *Quod qui benè intelligit, utique intelligit id ipsum sic esse, ut nec cogitatione queat non esse.* quibus verbis sufficienter innuit, non omnes hoc bene intelligere, defectu utique debiti discursûs & medii probantis; ac proinde Dei existentiam nobis non esse per se notam secundùm se; quapropter & ipse integrum librum composuit, ut eandem Dei existentiam probaret.

Resp. 2do. Deus est, quô majus quid excogitari non potest, ex supposito, quòd detur, *conc.* Absolutè, & sine tali suppositione, *neg.* Solutio habetur ex dictis.

Resp. 3tio. *Dist maj.* Deus est id, quô majus quid excogitari non potest in actu signato seu in apprehensione, *conc.* Jure & in actu exercito, *neg. maj.* Pro uberiori hujus distinctionis intelligentia Not. quòd nomina significent ideas rerum in actu signato, & ut conceptas à nobis: verba autem illas significent in actu exercito, & per modum actionis, aut exercitii actualis: quando enim dicitur *Amor* e. g. actus amandi non importatur ut exercitus, sed tantùm ut possibilis, atque adeò tantùm in actu signato; at verò quando dicitur *Amo*, jam tunc importatur exercitium actûs amoris, ac proindè velut actu existentis. Ita pariter quando dicitur *Deus*, importatur dumtaxat existentia in actu signato, & ut formalis, seu apprehensa; non verò in actu exercito, & objectiva; hæc enim primùm probanda venit mediante discursu.

Inst. 3tio. Essentia & Existentia in Deo non distinguuntur. Atqui immediatè concipimus Essentiam Dei, videlicet Ens summè perfectum. Ergo & ejus Existentiam.

Resp. AA. *Dist. min.* Immediatè concipimus Dei essentiam objectivam, *neg.* Formalem, *conc. min.* & *Dist cons.* Ergo & existentiam formalem immediatè concipimus, *conc.* Objectivam, *neg. cons.*

Inst. 4to. *Deus est colendus*, est propositio per se nota quoad nos. Ergo à fortiori hæc, *Deus est*; siquidem est illius fundamentum.

Resp. AA. 1mo. *Dist. ant.* Est per se nota, suppositô quòd Deus sit, *conc.* nulla facta illius existentiæ suppositione, *neg. ant.*

Resp. 2do. *Trans. ant. neg. cons.* Nam hæc propositio, *Deus est colendus*, est primum principium Synteresis, adeoque per se nota: secùs verò ista, *Deus est*; & quamvis ista præsupponatur ad alteram tanquam ejus fundamentum, non tamen requiritur, ut etiam nobis immediatè innotescat, sed ad hoc sufficit, si per se nota sit secundùm se, & quoad nos mediante discursu.

Inst. 5to Deus est causa, cur omnia cognoscamus. Ergo debet primò & per se nobis esse cognitus: *Propter quod enim unumquodque tale, & illud magis tale*, inquit Philosophica parœmia.

Resp. AA. *Dist. ant.* Deus est causa effectiva, in quantùm nobis dedit intellectum, quô omnia cognoscere valeamus, *conc.* Est causa objectiva, &c. *neg. ant.* Porrò adducta parœmia non est universalis, non enim valet in causis efficientibus: vinum namque est causa effectiva e. g. ebrietatis; non tamen sequitur vinum quoque magis esse ebrium. Item ignis est causa effectiva caloris; ipse tamen minimè calidus est.

14 Argumentum 4tum. Illa propositio est per se nota, cui assentimur sine discursu. Atqui hujusmodi est hæc propositio, Deus est. Ergo &c. *Prob. min.* Nisi hæc propositio absque discursu cognosci posset, sequerentur posse dari ignorantiam invincibilem in eis, qui sunt hebetis Ingenii: ii siquidem non sunt capaces demonstrationis. Falsum consequens. Ergo & antecedens.

Resp. ad 1mum. *neg. min.* Ad 2dum. *neg. seq. maj.* Ad hoc enim, ut quis non habeat ignorantiam invincibilem de Dei existentia, non requiritur, quòd illa sit per se nota & ante omnem discursum; sed sufficit, quòd per aliquem discursum facilem desumtum ex aspectu totius Universi, ejusque mirabili ordine cognosci valeat: ad quam cognitionem quilibet etiamnum rudis planè potest pertingere. Datô quoque, quòd in hujusmodi hominibus non sit cognitio evidens & demonstrativa de Dei existentia, est tamen in eis probabilis & conjecturalis, ob Universi magnitudinem, ordinem, &c. Undè tenentur ulteriùs inquirere; quòd si facerent, procul dubio uberiorem Dei cognitionem consequerentur.

Inst. Puer, ut D. Thomas docet, perveniens ad usum rationis, tenetur pro primo instanti se convertere ad Deum. Atqui profectò in illo instanti notitiam Dei, mediante discursu, assequi non potest. Ergo pro priori jam debet eam habere ad instar primorum principiorum; & sic propriè verificatur illud Psal. 4. v. 7. *Signatum est super nos lumen vultûs tui Domine.*

Resp. AA. Quòd licèt hujusmodi puer ad Deum se convertere teneatur, non tamen quatenùs ejus existentia distinctè, ac in particulari apprehenditur, sed dumtaxat quatenus in confuso, & in alio, nempè sub ratione beatitudinis ac finis ultimi ab eo apprehendi & cognosci potest; nisi fortè uberiori lumine à Deo donetur. Cæterùm neque illud instans intelligi debet velut physicum, sed morale dumtaxat; cum quo discursus ac illatio unius ex alio stare potest.

Argumentum 5tum. Si hæc propositio, *Deus est*, nobis non est nota per se, tunc id provenit vel ex defectu nostri intellectûs, vel ex improportione objecti. Neutrum dici potest: non posterius; quia licèt Deus in ratione Entis nobis sit improportionatus, non tamen talis est in ratione cognitionis; adeoque est objectum cognitioni nostræ proportionatum; alioquin à nemine cognosci posset. Sed neque prius dici potest: etsi enim intellectus deficiat pro hoc nostro statu circa Deum quoad *quid est*; non tamen deficit quoad *an est*. Ergo &c. 15

Resp. AA. Id provenire ex defectu luminis intellectûs nostri, ac proindè ex improportione intellectûs cognoscentis & objecti cognoscendi: intellectus humanus enim secundùm lumen naturale deficit non modò quoad quidditativam, sed etiam quoad immediatam Dei cognitionem, *an sit.*

Argumentum 6tum. Illa propositio est per se nota etiam quoad nos, cujus oppositum non potest cogitari. Atqui hujus propositionis, *Deus existit*, oppositum non potest cogitari. Ergo &c. 16

Resp. AA. Illam propositionem esse per se notam quoad nos, cujus oppositum cogitari non potest ante omnem discursum; at propositionis hujus, *Deus existit*, oppositum tamdiu potest cogita-

gitari, quamdiu realis existentia subjecti non est per discursum aliquem præcognita. Cæterùm cùm creaturæ sint obviæ, quæ clamant, *Ipse fecit nos* & non ipsi nos, ideò ex hoc potest concedi, quòd oppositum memoratæ propositionis cogitari nequit.

17

EXERCITATIO SECUNDA.

De gradu constitutivo, seu differentia Essentiali ac primaria essentiæ divinæ.

Ad Caput I. Partis I. Tractatûs *De Deo Uno & Trino* num. 6. Tom. 2.

Quamquam haud pauci Doctores essentiam à natura distinguant, eò quòd prius sit *esse* quàm *operari*; operatio autem ad naturam non verò ad essentiam pertineat: existimamus tamen, quòd hæc distinctio *ratiocinantis ratiocinis* dumtaxat, non autem *rationis ratiocinatæ* nuncupari debeat: sicut eadem v. g. humanitas considerata ut dat *esse* homini, non exprimendo rationem operandi, appellatur *essentia*; & considerata ut dat posse operari appellatur *natura*. Unde quæ hîc de *essentia* dicentur, etiam de *natura* sunt intelligenda.

18

§. I.

Nonnulla ad præsentis quæstionis elucidationem præmittuntur.

Plura in Deo dari attributa seu prædicata quidditativa seu essentialia nemo Theologorum ambigit. 1mo. enim Deus est essentialiter substantia; quia est Ens essentialiter per se subsistens. 2do. Deus est essentialiter actus purus, eò quòd excludat omnem potentialitatem. 3tio. Deus est essentialiter vita intellectiva; quia est tale Ens, quod exigit essentialiter cognoscere omnia, quæ cognosci possunt, quod sanè est vivere intellectualiter. 4to. Deus est essentialiter spiritus, seu spiritualis; utpotè ab omni prorsus materia alienus. 5to. Deus est essentialiter *Ens à se*, non quidem positivè seu effectivè, quasi nimirùm se ipsum produceret, sed negativè, in quantum scilicet dicit negationem dependentiæ ab alio quoad suum *esse* seu *existere*. Circa hæc igitur & similia quæritur hîc, quænam sit talis ratio, per quam intelligatur divina essentia primò constitui ac distingui ab omni alio.

Porrò tres sunt magis pervulgatæ hac in re Scholæ opiniones. Prima pro hujusmodi ratione formali primò constitutiva essentiæ Dei adstruit intellectionem divinæ naturæ; quæ dupliciter considerari potest, 1mo. pro ipsa vi seu facultate intelligendi. 2do. pro ipsa actuali intellectione. Secunda sententia statuit infinitatem Dei pro ejusmodi constitutivo. Triplex autem distingui potest infinitas; *materialis* nempè, quæ est complexio seu collectio omnium perfectionum; *formalis*, quæ in suo conceptu dicit carentiam omnis termini, seque omnes divinas transcendit perfectiones; ac denique *radicalis*, quæ est radix seu potiùs exigentia omnium perfectionum, 19

num, quæ in Deo formaliter reperiuntur. Tertia denique sententia assignat Aseitatem omnimodam, seu Independentiam, quæ etiam tripliciter considerari potest; 1mo. pro Independentia ab alio tanquam à causa; 2do. ab alio tanquam à principio; & 3tio. ab alio tanquam à radice seu fundamento. His ita præmissis modò exponenda nobis veniunt singularum harum opinionum seu sententiarum Argumenta eorumque solutiones.

§. II.

20 *Proponuntur & resolvuntur Argumenta, quibus probatur divinam essentiam in intellectione divina actualissima esse constitutam.*

ARgumentum 1mum. petitur ab auctoritate S. Thomæ 1. *p. q.* 14. *d.* 4. *in* ☉ ubi sic loquitur: *Sicut esse consequitur formam, ita intelligere sequitur speciem intelligibilem; in Deo autem non est forma, quæ sit alind, quàm suum esse; undè cùm ipsa sua essentia sit* etiam species intelligibilis, *ex necessitate sequitur, quòd ipsum ejus intelligere sit ejus essentia & ejus esse.* Item *ib. q.* 18. *a.* 3. *ad* 2. ait: *Deus est ita suum vivere, sicut est suum esse & suum intelligere.* Denique *ib. q.* 14. *a.* 2. *in* ☉ ait: *In Deo intellectus & intellectum* (id est, essentia divina) *sunt idem omnibus modis.*

Resp. AA. Mentem S. Thomæ facilè colligi posse ex 1. *ad. Hanibal. disp.* 35. *q.* 1. *a.* 2. *ad* 3. ubi ait: *Sicut intelligere est idem re cum essentia divina differens ratione, ita & velle.* Atqui *velle* differt formaliter ab essentia. Ergo etiam *intelligere*; ac proindè *intelligere divinum* non est formalis ratio essentiæ divinæ. Itaque locis cit. S. Doctor inter *esse* & *intelligere* duntaxat statuit identitatem realem, seu quæ sit exclusiva distinctionis realis; non verò identitatem virtualem, seu quæ sit exclusiva distinctionis virtualis: quod manifestè constat ex primo textu; nam cùm ibi dicat *intelligere* sequi ad speciem intelligibilem, & rursus hujusmodi in Deo esse ipsam Dei essentiam, apertè indicat *intelligere* sequi ad essentiam divinam, atque adeò non esse formaliter ac primariò ipsam essentiam divinam.

Prætereà dici potest, quòd S. Thomas locis cit. non loquatur de ipsa ratione formali constitutiva essentiæ (alioquin vivere præcisè secundùm se sumtum esset etiam ipsa ratio formalis) sed tantùm de prædicatis quidditativis: certum enim est, quòd *esse*, *vivere* & *intelligere* saltem radicaliter Deo quidditativè conveniant; non enim hæc à nobis concipiuntur per modum attributorum. At quodnam horum sit prima ratio formalis constitutiva essentiæ divinæ, per quam distinguitur ab omni alio, non definit hic S. Doctor. Cæterùm hæ voces, *omnibus modis*, in ultimo textu allatis tantùm excludunt distinctionem actualem ante operationem intellectûs tàm realem quàm formalem ex natura rei; neutiquàm verò distinctionem virtualem saltem inadæquatam.

Inst. Prædicatum quidditativum pertinet ad rationem formalem constitutivam alicujus rei. Atqui juxta concessa *intelligere* est prædicatum quidditativum divinitatis. Ergo &c.

Resp. AA. *Dist maj.* Si simul sit distinctivum rei ab omni alio, & ratio à priori cæterorum, quæ in illa reperiuntur, *conc.* secùs, *neg. maj.* Nam etiam animalitas respectu hominis est prædicatum essentiale; sed quia non est distinctivum & radix eorum, quæ ei intrinsecè conveniunt, ideò neque ratio formalis illius nuncupatur; sed sola rationalitas id munus sibi vindicat.

Atqui,

Atqui, ut posteà dicetur, ipsum *intelligere divinum* non est distinctivum divinæ essentiæ, neque radix illius attributorum, &c. Adeoque nec ejus ratio formalis constitutiva dici potest aut debet.

21 Argumentum 2dum. Ipsum *intelligere actualiter* est gradus perfectissimus inter omnes gradus, qui ad constituendas naturas concurrunt. Ergo & in eo sita est essentia divina; nam illa consistit in prædicato seu attributo omnium perfectissimo.

Resp. AA. *Transf. ant neg. cons.* Ejus adjectam rationem *Dist.* consistit in prædicato omnium perfectissimo, quod primum sit differentiale tàm intra quàm extra lineam vitæ intellectivæ, *conc.* solùm extra lineam vitæ intellectivæ *neg.* Ipsum ergo *intelligere actualiter* esse nequit ratio formalis seu primum differentiale divinæ essentiæ; nam quamvis concederetur, quòd *intelligere divinum* sit id, per quod Deus differt à natura non intellectiva, non est tamen id, per quod differt ab ipsis naturis, quæ sunt intra lineam vitæ intellectivæ, ut constat.

Neque dicatur, quòd ipsum *intelligere* in Deo sit illimitatum & actualissimum, ac proinde ipsam naturam divinam ab aliis naturis intellectivis etiam distinctam reddere. Nam

Contrà est, quòd *intelligere divinum* non ob aliam rationem sit illimitatum, nisi quia supponit Aseitatem, seu quia fluit ab essentia tanquam ab Ente à se; at sic potiùs ipsa Aseitas erit ratio distinctiva ipsius divinæ naturæ tàm intra, quàm extra lineam vitæ intellectivæ; non autem ipsa intellectio.

Inst. 1mo. Vivens perfectissimum necessariò constituitur primariò per ultimam actualitatem in linea vitæ intellectivæ, cùm aliàs hoc ipso non esset vivens perfectissimum. Atqui ultima actualitas in linea vitæ intellectivæ est ipsa vita secunda intellectiva, seu ipsum actualissimum *intelligere.* Ergo vivens perfectissimum primariò constituitur per ipsum actualissimum *intelligere. Subs.* Atqui ipsa essentia divina est vivens perfectissimum. Ergo &c.

Resp. *Dist. maj.* Vivens perfectissimum primariò constituitur per ultimam actualitatem, si simul sit prima ratio, quæ in hujusmodi vivente concipiatur, & ab ea cætera fluant, *conc.* secùs, *neg. maj.* & *Dist. min.* Atqui ultima actualitas in linea vitæ intellectivæ est ipsum actualissimum intelligere, &. simul primum, quod in hujusmodi vivente concipitur, cæteraque ab eo fluunt, *neg.* Aliter, *conc. min.* & *neg. cons.* Certè cùm intellectio actualis sit quædam operatio, supponit principium seu facultatem intelligendi, à qua egrediatur; ipsa verò facultas intelligendi supponit naturam jam in suo esse constitutam; priùs enim intelligitur rem esse, quàm facultate operandi eam esse instructam; ex quo etiam datur intelligi cætera ab illa actuali intellectione nequaquam fluere posse.

Inst. 2do. Nihil priùs intelligitur dari in Deo, quàm ejus vivere. Atqui ejus vivere est actu intelligere. Ergo &c.

Resp. *Dist. maj.* Nihil priùs intelligitur dari in Deo, quàm ejus vivere sibi radicale ac primò differentiale ab omni alio, *conc.* Quidditativum, aut potiùs quod rationem attributi subeat, *neg. maj.* & *Dist. min.* Atqui ejus vivere radicale & primò differentiale est ipsum actu intelligere, *neg.* Quidditativum, *conc. min.* & *neg. cons.* Deus igitur, cùm non aliter vivat nisi ut est à se, jam non intelligitur in suo primo differentiali conceptu sine limitatione, nisi in ipsa Aseitate, in qua radicatur ejus vita cum omnibus reliquis perfectionibus, quæcunque intelliguntur dari in Deo.

Inst. 3tio. In Deo non datur alia vita nisi vita secunda. Atqui in Entibus in-

intellectivis vita secunda est actu intelligere. Ergo &c. *Min.* constat. *Maj.* autem ex eo liquet, quòd in Deo omnia sint in actu, Unde *subs.* Atqui vita est primum in Deo. Ergo actu intelligere est id, quod intelligitur primum dari in Deo.

Resp. *neg. maj.* Nam licèt in Deo omnia sint in actu, supponunt tamen radicem seu rationem à priori, à qua fluant, prout manifestum est de attributis. Et numquid prius est esse intellectum quàm intellectionem? Supponit itaque vita secunda vitam radicalem sine ulla tamen potentialitate.

Inst. 4to. Vita radicalis est vita actualissima. Sed hujusmodi vita est vita secunda. Ergo &c.

Resp. *Dist. maj.* Est vita actualissima, scilicet excludens omnem potentialitatem, *conc. maj.* Est vita actualissima, sic ut non sit ratio à priori intellectionis divinæ, *neg. maj.* &c. Actus enim vitalis, qualis est intellectio, debet supponere suam radicem, à qua egrediatur.

Inst. 5to. Vita radicalis disjuncta à vita secunda non est perfectio simpliciter simplex; nam meliùs est esse constitutum in actu vivendi, quàm tantùm esse in potentia ad illum.

Resp. Quòd vita radicalis non ideò dicatur radicalis, quasi non esset actus; sed tantùm quia est ratio à priori ipsius intellectivæ operationis.

22 Argumentum 3tium. Illud est prima ratio formalis essentiæ divinæ, quod Verbum divinum recipit vi suæ processionis. Atqui vi suæ processionis recipit *actu intelligere.* Ergo &c. *Maj.* patet; quia secunda persona SS. Trinitatis per id, quòd à Patre recipit, ex vi suæ processionis constituitur Filius; non potest autem constitui Filius nisi per communicationem naturæ, Ergo &c. *Min.* etiam aperta est; nam secunda persona procedit per modum Verbi, sed esse Verbi, cùm sit terminus intellectionis, nihil aliud est quàm *intelligi*, seu existere per ipsum intelligere. Ergò secunda persona Trinitatis ex vi suæ processionis recipit ipsum *intelligere.*

Resp. AA. 1mo. Istud Argumentum, si quid probaret, certè probaret, quòd ipsum *actu velle & spirare* sit primum differentiale divinæ naturæ. Sic enim formatur Argumentum: Illud est ratio formalis essentiæ divinæ, quod Spiritus S. vi suæ processionis recipit. Atqui Spiritus S. vi suæ processionis recipit ipsum *actu spirare.* Ergo &c. *Min.* videtur evidens. *Maj.* probatur: Tertia persona per id, quod recipit à Patre & Filio vi suæ processionis, constituitur Spiritus S. Atqui non potest constitui Spiritus S. nisi per communicationem naturæ; quemadmodùm non potest constitui Filius, nisi per communicationem naturæ, Ergo &c.

Resp. 2do. *Dist. maj.* Illud est prima ratio formalis essentiæ divinæ, quod Verbum divinum recipit vi suæ processionis tanquàm prædicatum quidditativum, aut potiùs attributi rationem habens, *neg.* tanquàm prædicatum primò differentiale, *conc. maj.* Atqui vi suæ processionis recipit ipsum *actu intelligere* tanquàm prædicatum quidditativum &c. *conc. min.* tanquam primò differentiale, *neg. min.* & *cons.* Sicut igitur Spiritus S. vi suæ processionis recipiendo ipsum *actu spirare* non tamen recipit illud tanquàm primò differentiale ipsius essentiæ divinæ, quæ ei communicatur per mutuum Patris ac Filii amorem; ita neque Filius vi suæ processionis, licèt recipiat ipsum *actu* intelligere, non tamen illud recipit tanquam primò differentiale essentiæ divinæ.

Inst. S. Thomas 1. *p. q.* 27. *a.* 2. probat processionem Verbi divini esse gene-

generationem; quia in Deo idem est *esse* & *intelligere.* Atqui hæc ratio nihil concluderet, nisi ipsum *intelligere* esset virtualiter idem cum essentia divina: nam si *intelligere* solùm identicè sit idem cum essentia divina, palàm fit, quòd processio Spiritus sancti sit etiam generatio; quia etiam *velle* est idem identicè cum essentia divina. Ergo &c.

Resp. *neg. maj.* Scilicet quòd S. Thomas ibidem probaverit processionem Verbi esse generationem, quia idem est *esse* & *intelligere;* sed potiùs ex eo, quòd procedat per modum *intelligibilis actionis, & secundùm rationem similitudinis; quia conceptio intellectûs est similitudo rei intellectæ.* Nec refert, quòd posteà subdat: *In Deo idem est intelligere & esse.* Hoc quippe ait, ut ostenderet, quòd Verbum sit similitudo Patris non solùm in *esse intentionali* (siquidem intellectus, saltem creatus, tantùm petit assimilari objecto in *esse intelligibili*) sed etiam in *esse naturali* & *entitativo.* Ad hanc autem similitudinem verificandam non requiritur, ut intelligere sit virtualiter esse divinum; sed sufficit, si sit cum eo realiter identificatum.

23 Argumentum 4tum. Si *actualiter intelligere divinum* non esset formalis ratio essentiæ divinæ, tunc ideo; quia sub conceptu operationis est actus agentis *ut ab hoc,* virtualiter supponens principium. Atqui hæc ratio non subsistit. Ergo &c. *Prob. min.* Operatio egreditur ab agente per influxum actualem ipsius agentis. Atqui intellectio divina non egreditur à Deo intelligente per actualem influxum illius; influxus enim actualis in aliud supponit principium influens per modum causæ, quæ in Deo locum non habet. Ergo &c.

Resp. AA. *neg. min.* Ad ejus prob. *Dist. min.* Intellectio divina non egreditur per influxum actualem realem &c. *conc.* Virtualem, *neg. min.* Nam fermè eodem modo egreditur intellectio ab ipsa essentia divina, quo attributa divina, quæ quidem ab ea realiter non dimanant, benè tamen virtualiter; undè fit, quòd respectu eorum causa dici nequeat, nisi causam quis latè sumere velit, nempè pro ratione à priori, vel fundamento, &c.

Inst. Ergo sic sequitur, quòd intellectioni divinæ conveniat *esse ab alio.* Atqui hoc repugnat; quia esse ab alio est caracter Entis creati. Ergo &c.

Resp. *Dist. maj.* Intellectioni divinæ conveniet esse ab alio tanquam principio per egressionem virtualem, *conc.* Realem, *neg. maj.* & *Dist. min.* Esse ab alio per egressionem realem est caracter Entis creati, *conc.* per egressionem virtualem, neg. min. &c. Solutio hæc patet ex priori.

§. III.

Proponuntur & resolvuntur Argumenta illorum, qui tuentur ipsam essentiam divinam formaliter consistere in virtute intellectiva, seu in gradu radicaliter intellectivo. 24

ARgumentum 1mum. Perfectior est essentia, quæ plura in se continet prædicata seu attributa essentialia, quàm quæ pauciora; prout patet in essentia hominis, quæ ob hanc rationem & causam est perfectior essentiâ bruti. Atqui gradus radicaliter intellectivus continet in se plura prædicata essentialia; cùm sit gradus inferior, gradus autem inferior contineat gradus superiores, ut videre est in prædicamento substantiæ. Ergo &c.

Resp. AA. Licèt gradus radicaliter intellectivus contineat plura prædicata essentialia seu gradus, ut ajunt, *essendi;* plures tamen radicaliter continet ipsa

Aseitas: nam si quæratur, cur Deus actu illimitatè intelligat, benè respondetur, quia habet virtutem intellectivam seu intelligendi illimitatam: quòd si quæras, cur habeat hujusmodi virtutem intelligendi, respondetur; quia est suprema substantia: si ulteriùs quæras, cur sit suprema substantia, respondebitur; quia à nulla alia pendet: quòd si quæras, cur à nulla alia pendeat, tandem respondere debebis; quia est Ens à se; hujus autem nullam ulteriorem rationem reddere valebis. Undè, ut vides Aseitas est gradus inferior gradu intelligendi etiam radicaliter; ac proinde eo perfectior.

Inst. 1mo. Gradus radicaliter intellectivus longè majorem exprimit perfectionem quàm gradus Entis, quia ei superaddit perfectionem vitæ. Ergo &c.

Resp. In aliquo genere, *conc.* in omni genere, *neg.* Licèt igitur gradus intellectivus videatur excedere gradum Entis, quà talis præcisè; attamen rursus ab eo exceditur, in quantùm scilicet gradus Entis est gradus Entis à se; quo fit, ut gradus intellectivus illimitatus ab eo, tanquàm à ratione *à priori*, fluat.

Inst. 2do. Omnis perfectio creaturarum consistit in majori assimilatione ad naturam divinam. Atqui in naturis creatis, quæ sunt participationes naturæ divinæ, perfectior est gradus intellectualis, quàm gradus Entis. Ergo in Deo majorem exprimit perfectionem.

Resp. Quòd quamvis concedi possit, quòd in creatis naturis gradus intellectivus sit gradus omnium perfectissimus; non tamen in natura divina; nam in hac illud est prædicatum omnium nobilissimum, quod alia radicaliter exprimit. Prætereà gradus intellectivus non est primum differentiale intra lineam naturæ intellectivæ, ut suprà dictum est, ac proindè nec ratio formalis essentiæ divinæ dici potest.

Argumentum 2dum. Illud est ratio 25 formalis constitutiva alicujus naturæ intellectualis, quod est radix & principium ipsarum operationum intellectualium. Atqui hujusmodi est ipsa virtus intellectiva, seu gradus radicaliter intellectivus. Ergo &c.

Resp. AA. 1mo. *Dist. maj.* Illud est ratio formalis constitutiva alicujus naturæ, quod est principium ipsarum operationum intellectualium, tàm ultimatum quàm proximum, *conc.* Si solummodò sit proximum, *neg. maj.* & *Dist. min.* Atqui radix & principium ipsarum operationum intellectualium proximum est ipsa virtus intellectiva, &c. *conc.* tàm proximum quàm ultimatum, seu fontale, *neg. min.* nam virtus intellectiva supponit naturam jam in suo *esse* constitutam; priùs quippe intelligitur rem esse, quàm vim habere operandi.

Resp. 2do. Quòd non sufficiat ad rationem formalem naturæ intellectualis, ut sit principium operationum intellectualium; debet enim prætereà esse ipsum primum distinctivum: certum autem est, ipsam virtutem intellectivam convenire de facto etiam cuilibet menti creatæ, sive Angelicæ, sive humanæ, atque adeò soli menti divinæ non esse propriam.

Inst. Quod est primum, quod in natura concipitur, etiam est illius distinctivum. Atqui vis intelligendi est primum, quod in natura divina concipitur. Ergo &c. *Maj.* facilè conceditur. *Min. prob.* Illud est primum, quod in natura divina concipitur, quod illi magis est proprium. Atqui Deo nihil est magis proprium, quàm vita intellectualis. Ergo &c.

Resp. ad 1mum. *Dist. min.* Atquivis intelligendi est primum, quod in natura divina

divina

divina concipitur, præsupposita Aseitate, *conc.* secùs, *neg min.* Ad 2dum *Dist. maj.* Illud est primum, quod in natura divina concipitur, quod illi magis est proprium tanquàm primò differentiale tùm intra tum extra lineam naturæ intellectualis, *conc.* secùs, *neg. maj.* &c.

26 Argumentum 3tium. S. Thomas, 1. 2. *q.* 110. *a.* 4. *in* ⊙ docet, quòd gratia sanctificans sit participatio naturæ divinæ exprimens illam in aliquo prædicato formali, prout *inf.* §. 5. dicemus. At verò gratia sanctificans eatenùs participat naturam divinam, quatenùs exprimit virtualem radicem videndi Deum, ut est in se. Atqui ratio virtualis radicis videndi Deum est ipsissima virtus intellectiva, seu, ut ajunt, intellectualitas radicalis. Ergo &c.

Resp. AA. Quòd gratia sanctificans non solùm exprimat virtualem radicem videndi, sed etiam amandi Deum. Atqui amor Dei pro suo principio formali non habet ipsam virtutem intellectivam, ut constat. Ergo ea non exprimitur à gratia sanctificante; sed potiùs ipsum *esse* divinum, quod est prima radix amoris ac visionis beatificæ.

27 Argumentum 4tum. Idem S. Thomas 1. *p. q.* 14. *a.* 8. dicit & probat Scientiam Dei esse causam rerum; quia *esse* divinum est suum *intelligere.* Atqui hæc ratio nullius esset momenti, si id de sola identitate reali intelligeretur. Ergo &c. *Min. prob.* Quia etiam relationes & cætera attributa sunt idem realiter cum essentia divina; & tamen ex hac identitate non colligitur, quòd relationes & attributa in divinis sint rerum causa.

Resp. AA. 1mo. Si hoc Argumentum quidquam evinceret, probaret potiùs pro actuali intellectione, quàm radicali; siquidem scientia Dei in actuali cognitione consistit. Undè nihil facit ad rem præsentem.

Resp. 2do. S. Thomam hoc ideò dixisse, non velut indicare voluisset *intelligere divinum* esse formaliter ipsam divinam essentiam; sed tantum ut afferret rationem, cur *intelligere divinum* sit efficax, non verò *intelligere creatum*; seu ut ostenderet efficaciam intellectûs divini, quæ non convenit intellectui creato (fertur enim iste in suum objectum tantùm in *esse intelligibili*, non verò in *esse entitativo*) exindè provenire, quòd *intelligere*, seu, si mavis, intellectus sit idem realiter cum essentia divina, adeoque perfectissimus, & efficacissimus, ita quidem, ut habens adjunctam voluntatem effectivè extrà producat, quod interiùs concipit; quod intellectui creato certè non convenit, ùt jam diximus, & hoc ob ejus limitationem.

§. IV.

Proponuntur & resolvuntur Argumenta eorum, qui ipsam essentiam divinam in ipsa infinitate reponunt. 28

Argumentum 1mum. Quod est distinctivum ipsius essentiæ divinæ, illud etiam est ejus ratio formalis. Sed infinitas est distinctivum ipsius essentiæ divinæ; per hanc enim distinguitur ab omni alio. Ergo &c.

Resp. AA. *Dist. maj.* Quod est primarium distinctivum ipsius essentiæ divinæ, illud etiam est ejus ratio formalis, *conc.* Quod est tantùm distinctivum consecutivè, scilicet ad ejus Aseitatem, *neg. maj.* &c. Vel aliter *Dist. maj.* Quod est distinctivum ipsius essentiæ divinæ tanquam ratio specifica & primò differentialis, est formalis ratio ejus essentiæ, *conc.* tanquam modus illi proprius & aliis incommunicabilis, *neg. maj.* &c Porrò infinitas non importat

 nisi

nisi modum naturæ divinæ, quia infinitas se habet respectu Dei, sicut finitas respectu creaturæ. Atqui in creatura finitas non est natura, sed modus naturæ. Ergo & infinitas in Deo.

Inst. 1mo. Infinitas est radix omnium illorum, quæ dicuntur de Deo; quia omnia quæcunque dicuntur de Deo, ideò dicuntur quia est infinitus & illimitatus. Ergo non tantùm consecutivè, sed etiam formaliter est distinctivum ipsius essentiæ divinæ.

Resp. *neg. ant.* cum sua probat. Cùm enim nihil sit infinitum in perfectione, nisi quod est à se; jam non ipsa infinitas, sed potiùs Aseitas erit radix omnium perfectionum divinarum.

Inst. 2do. Sine infinitate non intelligitur Aseitas. Ergo &c.

Resp. *Dist. ant.* Sine infinitate non intelligitur ipsa Aseitas consecutive, *conc.* formaliter & constitutivè, *neg. ant.* &c.

29 Argumentum 2dum. Primum & formale constitutivum illius, quo nihil majus excogitari potest, necessariò est ipsa infinitas, cùm sine illa hoc ipso tale non sit, quo nihil majus excogitari potest. Atqui essentia divina est id, quo nihil majus excogitari potest. Ergo &c.

Resp. AA. *neg. maj.* ad rationem adjunctam Resp. cum distinctione: sine infinitate tale non est nec datur radicaliter & constitutivè *neg.* consecutivè, *trans.* Fatendum itaque est, quòd si essentia divina non esset infinita, hoc ipso non esset id, quo majus cogitari nequit; hoc tamen non probat, quòd infinitas sit ratio formalis constitutiva essentiæ; alioquin quodlibet Attributum divinum etiam esset ratio formalis constitutiva essentiæ divinæ: nam e. g. sine Sapientia ipsa essentia divina non est id, quo nihil majus cogitari potest. Ergo ipsa Sapientia erit formaliter ipsa essentia? Sanè pessima illatio. Igitur ex hoc argumento solùm sequitur, quòd ipsa infinitas secundùm nostrum concipiendi modum ipsam essentiam consecutivè, non verò constitutivè ac formaliter afficiat.

Inst. 1mo. Ipsa infinitas est ratio à priori, quòd essentia sit actus purus; ideò enim essentia continet omnes perfectiones, quia est Ens infinitum. Atqui essentia est essentialiter actus purus. Ergo infinitas non tantùm consecutivè, sed etiam formaliter ipsam essentiam afficit.

Resp. *Dist. maj.* Infinitas est ratio à priori, &c. præsupposita Aseitate, *conc.* secùs, *neg. maj* Si enim quæras cur Deus sit Ens infinitum, tunc hujus recta redditur ratio, cùm respondetur, quia est Ens à se.

Inst. 2do. Ergo essentia divina non erit essentialiter infinita, si ejus essentia in infinitate formaliter non consistat.

Resp. 1mo. *Dist.* Ergo essentia divina non erit essentialiter, id est, identicè infinita, *neg.* Non erit essentialiter, id est, formaliter & secundùm suum primò differentiale, *conc.*

Resp. 2do. *neg. hanc seq.* Ut enim Deus per se primò & essentialiter dici possit infinitus, sufficit, quòd infinitas, ut modus naturæ divinæ, in ea transcendentaliter imbibita sit.

Argumentum 3tium. Ens infinitè perfectum debet includere in suo conceptu quidditativo omnes perfectiones simpliciter simplices. Atqui natura divina est infinitè perfecta. Ergo debet essentialiter includere cumulum omnium perfectionum, ac proindè constitui per infinitatem. 30

Resp.

Resp. AA. 1mo. *Neg. maj.* Quia si essentia divina in suo conceptu formali includeret omnes perfectiones, tunc Attributa divina non distinguerentur virtualiter ab essentia divina.

Resp. 2do. *Dist. maj.* Ens infinitè perfectum debet includere omnes perfectiones explicitè vel implicitè, *conc.* Explicitè, *neg. maj.* &c.

Inst 1mo. Ens infinitè perfectum debet continere in suo conceptu omnes perfectiones simpliciter simplices perfectissimô modô. Atqui perfectius est eas explicitè continere, quàm solùm implicitè. Ergo &c.

Resp. *Dist. maj.* debet continere perfectissimô modô possibili, *conc.* Impossibili, *neg. maj.* Porro hæc continentia explicita possibilis non est; si enim perfectiones simpliciter simplices in essentiæ conceptu continerentur ac relucerent explicite, tunc tolleretur distinctio virtualis, & sic prædicata contradictoria salvari non possent.

Inst. 2do. SS. Patres docent, quòd nomen *Qui est* ideò sit Deo maximè proprium, quia imbibit totam essentiæ, seu, ut ajunt, essendi perfectionem seu cumulum omnium perfectionum. Ergo &c.

Resp 1mo. SS. Patres loqui de imbibitione seu continentia radicali, id est, quòd nomen *Qui est* seu Aseitas sit radix omnis perfectionis; non verò de continentia formali, quasi nimirùm ipsa essentia esset formaliter bonitas, justitia, &c.

Resp. 2do. *Dist ant.* SS. Patres docent, quòd nomen, *Qui est*, ideò sit Deo maximè proprium, quia imbibit totam perfectionem essentiæ, seu, ut ajunt, essendi secundùm conceptum implicitum, *conc.* secundùm conceptum explicitum, *neg. ant. & cons.*

§. V.

Proponuntur ac solvuntur Argumenta, quibus demonstrari videtur rationem formalem constitutivam divinæ essentiæ seu naturæ in Aseitate omninò reponendam esse. 31

NOt. Qui Aseitatem statuunt pro primo constitutivo metaphysico essentiæ divinæ, sumunt Aseitatem adæquatè, prout nimirum importat non tantùm negationem causæ effectricis, sed etiam negationem radicis ac principii producentis. Hoc prænotatô ponitur

Argumentum 1mum. desumtum 32
ex eo, quòd hæc sententia magis videatur esse de mente tùm S. Scripturæ, tùm SS. Patrum: *Nobis namque*, ut bene ait S. Hilarius, *non aliter de Deo loquendum est, quàm ut ipse ad intelligentiam nostram locutus est, ac etiam loquuntur SS. Patres.* Atqui S. Scriptura inprimis videtur huic sententiæ favere: nam *Exod.* 3 Deus Moysi interroganti quis esset, respondit: *Ego sum qui sum; sic dices filiis Israël, qui est misit me ad vos;* quo loquendi modo non solùm constitutivum divinæ essentiæ, verùm etiam distinctivum ab omni alio, in quo ratio formalis alicujus rei consistit, designatur. Indè est, quod Job, ad ostendendam in Deo summam hanc Entis necessitatem ac plenitudinem dicat: *Ipse solus est.* Job. 23.

Videtur etiam hæc sententia esse de mente SS. Patrum.

S. Justinus in *Exhort. ad Græcos. Deus*, inquit, *opus esse non duxit, ut se aliquo nomine designaret, solus & unus existens.*

S. Hilarius *l. 1. de Trin.* ad hæc verba Exod. *Ego sum qui sum,* sic loquitur: *Admiratus sum planè tàm absolutam de Deo significationem, quæ naturæ divinæ incomprehensibilem cognitionē aptissimo ad intelligentiam humanam sermone loqueretur. Non enim aliud proprium magis Deo, quàm esse, intelligitur; quia id ipsum quod est, neque desinentis est aliquando neque cœpti.* Et in

Psal. 2.

Psal. 2. *Ipse est*, inquit, *qui quod est, non aliundè est: in se se est, secum est, ad se est, suus sibi est, & ipse sibi omnia est.*

S. Ambrosius in *Psal.* 43. exponens citata verba Exod. *Cognoscens* ait, *mentem ejus Deus, non respondit nomen, sed negotium: hoc est, rem expressit, non appellationem, dicens: Ego sum qui sum; quia nihil tàm proprium Dei, quàm semper esse.*

S. Hieronymus *Epist. ad Damas.* 57. *num.* 14. hæc scribit: *Una est Dei & sola natura, quæ verè est: id enim, quod subsistit, non habet aliundè, sed suum est; cætera, quæ creata sunt, etiamsi videntur esse, non sunt; quia aliquando non fuerunt; & potest rursum non esse, quod fuit: Deus solus, qui æternus est, hoc est, qui exordium non habet, essentiæ nomen verè tenet; idcirco & ad Moysen de rubo loquitur: Ego sum qui sum.*

S. Augustinus in *Psal.* 134. sic loquitur: *Tanquam solus sit, dixit Ego sum qui sum, &, Dices filiis Israel: Qui est misit me ad vos. Non dixit, Dominus Deus ille omnipotens, misericors, justus: quæ si diceret, utique vera diceret. Sublatis de medio omnibus, quibus appellari posset & dici Deus, ipsum esse se vocari respondit: & tanquam hoc esset ei nomen; hoc dices eis, inquit, Qui est misit me.*

S. Joannes Damascenus *lib.* 1. *Orthod. fid. c.* 12. *Ex omnibus*, inquit, *nominibus, quæ Deo tribuuntur, nullum æquè proprium videtur, atque Entis nomen: quemadmodùm ipsemet, cùm Moysi in monte oracula ederet, ait: Dic filiis Israel, qui est, misit me. Universum enim id, quod est, tanquàm immensum quoddam & infinitum essentiæ pelagus complexu suo continet.*

Denique S. Bernardus, ut alios prætermittamus, *lib.* 5. *de consid. c.* 6. *Quis est?* inquit, *non sanè occurrit melius, quàm Qui est. Hoc ipse voluit de se responderi, hoc docuit, dicente Moyse ad populum, ipso quidem injungente: Qui est, misit me ad vos. Meritò quidem .... si bonum, si magnum, si beatum, si sapientem, vel quidquid tale de Deo dixeris, in hoc verbo instauratur, quod est, Est. Nempe hoc est ei esse, quod hæc omnia esse, si & centum talia addas non recessisti ab esse; si ea dixeris nihil addidisti; si non dixeris, nihil minuisti.*

Resp. AA. Quando S. Scriptura & SS. Patres exprimunt Dei essentiam per verbum *Esse*, seu per rationem *Entis per essentiam*, loquuntur de ea in sensu lato sumpta, quatenùs nempe habet rationem Entis transcendentis omnes perfectiones divinas, Deumque considerant ut Ens increatum, & prout à creaturis distinguitur; non verò prout est radix divinorum attributorum, atque ab iis virtualiter distinguitur. Et sic etiam respondendum est ad auctoritatem S. Thomæ, cùm passim docet, quod *Esse* sit essentia seu quidditas Dei, & 1. *p. q.* 13. *a.* 11. quando asserit, Nomen *Qui est* propriissimum esse inter omnia divina nomina.

Attamen adducti S.Scripturæ & SS.Patrum textus, videntur amplius quid innuere, quàm sua responsione contendant Adversarii, nempè Aseitatem esse primarium essentiale attributum divinæ naturæ, &c.

Argumentum 2dum. Ut aliquid sit ratio formalis constitutiva alicujus rei, tria in eo reperiri debent: 1mum. ut nihil aliud se prius supponat, adeoque sit primum in re. 2dum. ut cætera ex eo fluant. 3tium. ut illi rei sit proprium. Atqui hæc tria reperiuntur in Aseitate. Ergo &c. *Maj.* facilè admittitur. *Min. prob.* 1mo. quidem in Dei natura nihil concipitur, quod prius sit Ente à se, adeoque illud primum est, quod in ea intelligitur; & certè alioquin Aseitas desineret esse independentia perfecta & omnimoda, quandoquidem ab 33

alia

alia perfectione tanquam à radice fluere conciperetur. 2do. Ens à se est in Deo fons & origo omnium, quæ in Deo reperiuntur; quod enim à se ipso habet existere seu esse, habet necessariò omnes perfectiones, quæ sequuntur ipsam substantiam; sicuti si creatura per impossibile sibi suum esse dedisset, tunc eo ipso etiam omnes omninò perfectiones sibi dedisset; qui enim sibi dat majus, dat & sibi minus, si illius capax sit. 3tio. Ens à se, utpotè creaturis incommunicabile est maximè proprium Deo, ut pàtet ex S. Thoma suprà cit. *q.* 13. aliisque SS. Patribus.

Resp. AA. Quòd quamvis primæ duæ conditiones in Aseitate reperirentur, quod tamen absolutè non conceditur, quin potiùs contrarium in præcedentibus paragraphis ostensum est; attamen certum est, quòd hæc tertia deficiat; quia quod proprium est alicujus rei, ita ei debet esse proprium, ut per illud distinguatur ab omni non se. Atqui Aseitas non distinguit essentiam divinam ab omni non se, eò quòd in omni attributo, persona, & in omni eo, quod divinum est, inveniatur. Ergo &c.

Verùm regeri potest, hoc quidem verum esse, si Aseitas inadæquatè sumatur; falsum verò, si ipsa spectetur adæquatè; siquidem cætera attributa divina ita sunt à se, ut tamen non dicant independentiam ab alio, tanquam à radice seu fundamento, cùm ab essentia ceu à radice fluant; unde eis non convenit Aseitas adæquatè sumta.

34 Argumentum 3tium. Gratia sanctificans est formalis participatio naturæ divinæ, ut Adversarii communiter docent. Ergo per id formaliter constituitur natura divina, quod participatur à gratia sanctificante. Atqui gratia participat solum esse divinum, non intellectionem sive radicalem, sive actualem, aut infinitatem, &c. Ergo &c.

Resp. AA. 1mo. Argumentum istud nimium probare: probat enim, quòd gratia sanctificans sit participatio omnimodæ Dei independentiæ; nam Aseitas nihil aliud est, quàm omnimoda Dei independentia & tota Entis plenitudo; quod absque absurdo dici non potest. Facilè quidem conceditur, quòd gratia sanctificans sit participatio *esse divini* seu naturæ divinæ; sed an essentia seu natura divina sita sit in Aseitate hoc argumentô non probatur.

Resp. 2do. *Intelligere divinum* & *infinitatem* meritò posse dici à gratia participari: 1mo. quidem, infinitas radicalis, cùm sit radix attributorum hoc ipso exprimit ipsam naturam seu essentiam divinam, & sic participatur à gratia sanctificante. 2do. *Intelligere divinum* saltem radicale, eò quòd diversa munia inadæquata sibi adsciscat, ratione quorum potest à diversis perfectionibus creatis participari; sic prout habet rationem naturæ & radicis operationum intellectualium, exprimitur à gratia. Vid. sup. §. 3. *arg.* 3.

Argumentum 4tum. Esse à se est ultima actualitas essentiæ divinæ, cùm in linea essendi non detur ulterior actualitas, quàm *esse*. Atqui ultima actualitas, quæ nec re nec ratione distinguitur ab essentia, rectè assignatur pro ratione formali illius; sic quia rationalitas est ultima ratio essentiæ hominis, nec re, nec ratione differens ab ea, ideo pro ejus ratione formali meritò habetur. 35

Resp. AA. 1mo. *neg. maj.* Quia quamvis *esse* sit ultimus actus in toto genere Entis, non est tamen ultimus actus sub conceptu essentiæ per modum actûs primi, præsuppositivè ad actum existentiæ: *esse* enim, ut ait S. Thomas consequitur formam.

Verùm hæc responsio non videtur satis solida; quia licèt in creatis locum habere possit, neutiquam autem in divinis locum habere potest; nam essentia divina nequit se habere per modum actûs primi præsuppositivè ad actum existentiæ, eò quòd sic argueret potentialitatem.

Resp. igitur 2do. *neg. min.* Quia, inquiunt, actus essendi distinguitur per rationem ab essentia, siquidem diversis conceptibus, saltem inadæquatis, exprimi possunt.

Inst. actus *essendi* in Deo, seu ratio Entis per essentiam est id, quod primò concipitur in Deo, prout constituitur in se & differt ab omni alio. Atqui id, quod in qualibet re primò concipitur ceu constitutivum & distinctivum ab omni alio, est ipsius essentia. Ergo ratio Entis per essentiam seu *à se* est propriè essentia Dei. *Maj. prob.* Quia quòd Deus sit Ens à se est ratio à priori omnium proprietatum ac perfectionum Ipsius. Ergo essentia divina per rationem Entis à se non solùm distinguitur à creaturis, verùm etiam à suis attributis, eò quòd ex ea dimanent tanquam ex ratione à priori omnium illorum.

Resp. *neg. maj.* intellectam de distinctivo ab omni alio prædicato seu attributo in Deo; nam per rationem Entis Deus non distinguitur ab attributis, ut jam dictum est. Ad ejus probationem *neg. ant.* Quod tamen sic probari potest: 1mo. Ex S. Maximo Martyre *ad lib. de divin. nomin. c. 5*, ubi sic ait: *In hoc enim* (scilicet Ente divino per essentiam) *primo statim incubitu mens intendit ac cogitat ipsum esse; deindè sic quodammodò ista considerat.* 2do. Ex S. Bernardo *loc. sup. cit.* ubi *Neque enim*, inquit, *aliundè bonus, quàm undè magnus; neque aliundè justus, aut sapiens, quàm undè magnus & bonus; nec denique simul hæc omnia est, quàm undè Deus; & hoc est, quia non est ab alio, quàm à se ipso.* 3tio. Ex S. Thoma, qui 1. *p. q.* 3. usque ad 10. singillatim probat omnia, quæ de Deo formaliter dicuntur, non ex alia ratione ei convenire, quàm quòd sit Ens à se. 4to. Demum ratione; quia hoc ipso, quòd Deus sit Ens per essentiam seu imparticipatum, caret omni limitatione in ratione Entis, ac proindè claudit in se omnia prædicata divina, & ea in hanc Aseitatem resolvuntur; hinc, si quæras, cur Deus sit infinitus, æternus, immutabilis, &c. aliaque attributa sibi identificet? Rectè respondebitur: *quia est Ens à se.*

Resp. AA. S. Maximum per Ipsum *esse* non intelligere rationem Entis à se ut prævenientem omnes gradus speciales Dei; sed totam essendi plenitudinem, prout nimirùm absque mensura aliqua claudit formaliter omnia, quæ in Deo reperiuntur; quando enim Deum concipimus, ordinariè concipimus id, quo majus cogitari non potest, qui conceptus importat omnem omninò perfectionem; tùm verò primùm unamquamque in particulari considerare ordimur.

Mens item S. Bernardi alia non fuit, quàm quòd Deus non habeat allundè seu ab alio principio suas perfectiones, sed omnes à se ipso, sicut habet *esse* à se ipso. Ex quo solùm inferri potest Aseitatem esse quamdam rationem omnibus attributis comunem; non verò rationem à priori omnium illorum.

S. Thomas verò non probat omnes perfectiones divinas ex eo, quòd Deus habeat actum *essendi* à se, sed ex eo, quòd sua essentia & natura sit sua subsistentia, & realiter identificetur cum actu existentiæ: in illis enim locis plerumque loquitur de *esse subsistente*, ut ea legenti patet.

Ratio denique adjecta est minùs convincens; eò quòd claudere in se omnem perfectionem Entis conveniat Deo in concreto sumto, prout videlicet in se importat tùm essentiam, tùm attributa; adeoque hæc plenitudo Entis, quæ videtur esse formaliter ipsa Aseitas, non

non potest esse ratio formalis essentiæ divinæ, prout distinguitur virtualiter à suis attributis.

Quando autem asseritur, quòd ex Aseitate inferantur cætera attributa, atque in eam resolvantur,

Resp. Verum quidem esse id, sed per quamdam illationem duntaxat logicam; quemadmodùm ex eo, quòd congeries omnium perfectionum in Deo contineatur, benè infertur, quòd Deus sit justus, sapiens, &c. quod tamen non arguit rationem à priori; enimverò perfectiones illæ non radicantur in hujusmodi congerie.

At omnes hæ responsiones & solutiones non videntur satis solidæ; quia necessitas existendi ita imbibitur in conceptu formali divinæ essentiæ, ut ne quidem per mentem possit ab ea præscindi, prout docet S. Thomas. Et certè alioquin essentia præsupponeretur per modum actûs primi ad actum existendi, quod importat compositionem & potentialitatem; sic enim essentia divina ad actum essendi, quantùm ad conceptum explicitum compararetur, ut perfectibilis ad perfectivum.

36 Argumentum 5tum. Essentia divina secundùm se debet perfectior esse aliis omnibus ab ea dimanantibus, cùm sit fontalis plenitudo illarum. Ergo debet formaliter consistere in prædicato omnium perfectissimo. *Subs.* Atqui ratio Entis à se est omnium rerum, quæ de Deo prædicantur, perfectissima. Ergo &c. *Prob. Subs.* 1mo. Quia Ens per essentiam tanquam radix sive ratio à priori aliarum perfectionum debet esse realitas omnium perfectissima. Accedit auctoritas S. Dionysii *lib. de Divin. nom.* ubi, *Meritò*, inquit, *principaliùs omnibus aliis tanquam ENS Deus ex dono cæteris omnibus suis donis antiquiore celebratur.*

Resp. AA. *Dist. cons.* Debet consistere in prædicato omnium perfectissimo in ratione essentiæ & primæ radicis proprietatum, *conc.* Debet consistere in prædicato omnium perfectissimo ex eo, quòd totam Entis plenitudinem ambiat, *neg. cons.* Solutio patere videtur ex dictis. Ad rationem verò adjectam *neg. ant.* Quia ex prædicato transcendentè, seu communi eorum, quæ constituunt rerum essentias, non rectè infertur prædicatum minùs patens magisque particulare ac determinatum; sicut ex animalitate non rectè infertur rationalitas. Cùm igitur ratio Entis sit prædicatum transcendens, non rectè ex ea, tanquam ex ratione à priori, inferuntur cætera attributa, putà sapientia, bonitas, &c. Ad auctoritatem S. Dionysii, seu auctoris libri de Divinis nominibus, quicunque ille sit, Resp. Quòd ipse nihil aliud voluerit, nisi quòd ratio Entis sit secùndum nostrum intelligendi modum prior omnibus aliis perfectionibus; non tamen prædicatum virtualiter distinctum ab aliis, sed tanquàm quid eis commune, distinctum tamen ab omni Ente creato.

Verùm hac responsione seu solutione adductum Argumentum 5tum. neutiquam enervari videtur. Argumentum enim hoc loquitur de Aseitate adæquatè sumta; responsio verò spectat Aseitatem inadæquatè tantùm sumtam, prout nimirùm importat solam causæ effectricis negationem.

Argumentum 6tum. Si Aseitas non esset gradus constitutivus seu differentia essentialis & primaria essentiæ divinæ; tunc vel esset *intelligere divinum* seu *intellectio divina*; vel *infinitas*. Atqui nec *intelligere divinum*, nec *infinitas* possunt esse gradus ille constitutivus, &c. Ergo &c. *Maj.* est Adversariorum. *Min. prob.* 1mo. de intellectione seu *intelligere* divino. Intelligere divinum 37

sive actuale, sive radicale, non potest esse priùs, quàm ratio veri & intelligibilis. Ergo non potest esse ipsa Dei essentia, aut illius primaria & essentialis differentia. *Ant.* patet; quia aliàs esset prius quàm suum objectum, quod implicat. *Prob. cons.* Intelligibilitas supponit ex natura rei entitatem, cùm ad illam sequatur tanquàm ejus affectio. Ergo talis intelligibilitas, qualis est divina, supponit ex natura rei talem entitatem, nempe divinam essentiam in suo esse constitutam; Ergo &c. Præterea intellectus sive radicalis, sive actualis, quomodocunque spectetur, ab Aseitate adæquatè sumta tanquam à prima essentiæ divinæ ratione fluat necesse est; si enim prima non esset, eo ipso desineret esse independentia perfecta & omnimoda; quandoquidem ab alia priori perfectione tanquàm à radice fluere conciperetur. Undè constare videtur, quòd responsiones ad argumenta tùm §. 2. tùm 3. datæ, cùm huic firmo & vero innitantur fundamento, solidæ sint & sufficienter convincentes; essentiam videlicet divinam non posse formaliter consistere in ipsa intellectione sive radicali, sive actuali; eò quòd hæc præsupponat Aseitatem, à qua fluat necesse est.

Resp. AA. Naturam divinam non constitui per *intelligere* sub conceptu operationis, sed tantùm sub conceptu ultimæ actualitatis per se subsistentis in genere intellectuali.

Sed contrà est; quia implicat concipere, quòd *intelligere* possit præscindi à ratione operationis; enimverò intelligere actuale non est aliud, quàm percipere objectum, illud repræsentare, illud actu attingere. Deinde intellectio, prout est ultimus actus naturæ intellectualis, vel distinguitur formaliter à ratione operationis, vel non: si distinguitur; ergo intellectio non erit perfectissima & actualissima; siquidem conciperetur carere ratione operationis sibi propria. Si non distinguitur formaliter ab operatione; ergo nec ab ea præscindit.

Prob. eadem *min.* quoad infinitatem. Vel infinitas hîc sumitur materialiter, scilicet pro complexione omnium perfectionum, & tunc non est gradus formaliter constitutivus divinæ naturæ; tùm quia infinitas hujusmodi non est specialis quædam ratio primò constitutiva; tùm quia non potest dici ratio à priori, ex qua cætera fluant. Vel sumitur formaliter, seu pro infinitate formali. Atqui sic sumta, cùm rationem habeat modi, non potest dici primum constitutivum divinæ essentiæ; modus enim supponit essentiam constitutivam. Præterea hæc infinitas probari potest per independentiam; ideò quippe Deus dicitur in omni perfectionis genere infinitus; quia est Ens necessarium & independens. Vel denique infinitas sumitur radicaliter, seu pro infinitate radicali, in quantùm nimirùm est exigitiva omnium perfectionum, ac proindè importat omnimodam independentiam. Atqui sic non videtur distingui ab Aseitate; nam Aseitas non est nisi perfectissima hujusmodi Entis necessitas & independentia; undè de hujusmodi infinitate eodem modo sentiendum est, ac de Aseitate.

Quamobrem advertendum est, quòd omnia responsa ad Argumenta priori §. adducta solummodò impugnent infinitatem aut materialem aut formalem, eamque meritò excludant à ratione formali constitutiva essentiæ divinæ. Verùm quia primum argumentum ibidem adductum cum suis Instantiis potiùs de infinitate radicali, quàm formali vel materiali, loqui videtur; hinc responsa ibi adjecta non adeò ad rem & propositum esse videntur. Modò adhuc solvendæ sunt objectiones, quibus evinci vide-

videtur, Aseitatem non esse de ratione formali essentiæ divinæ.

38 Ob. 1mo. Prima ratio formalis constitutiva divinæ essentiæ debet esse aliquid positivum. Atqui Aseitas est quid negativum. Ergo &c. *Min.* videtur certa; nam Aseitas, ut jam dictum, nihil aliud est, quàm quædam independentia ab alio. *Maj.* etiam patet; quia Ens reale positivum, non potest constitui per Ens merè negativum, &c.

Resp. *Dist. maj.* Prima ratio formalis constitutiva divinæ naturæ non potest esse aliquid negativum, tam ratione ejus, quod importat in obliquo, quàm quod importat in recto, *conc.* Ratione ejus solùm, quod importat in oliquo, *neg.maj.* & *Dist.min.* Atqui Aseitas est quid negativum ratione ejus, quod importat in obliquo, *transf. min.* ratione ejus, quod importat in recto, *neg min.* & *conf.* Licèt itaque Aseitas secundùm obliquum dicat negationem dependentiæ ab alio, considerata tamen secundùm id, quod dicit in recto, seu ratione rei significatæ est maximè quid positivum; est enim sub hoc respectu Entis quædam necessitas ac plenitudo: uno verbo Ens perfectissimum, quo nihil melius cogitari potest, & à quo cætera omnia dimanant. Præterea, ut advertunt SS. Patres, longè meliùs exprimitur divina essentia per negationem, quàm per affirmationem. *Deus ineffabilis est*, inquit S. Augustinus in Psal. 85. *faciliùs dicimus quid non sit, quàm quid sit.*

Inst. 1mo. Si nomine Aseitatis intelligatur Entis necessitas ac plenitudo, jam illa à nobis non consideratur ut specialis ratio; sed potiùs ut communis, seu ut omnis perfectio. Atqui hoc non concordat cum iis, quæ dicta sunt paragraphô præcedenti. Ergo &c.

Resp. *Dist. maj.* Si nomine Aseitatis intelligatur Entis necessitas & plenitudo, erit omnis perfectio explicitè seu formaliter, *neg.* Radicaliter, *conc. maj.* &c. Quando itaque dicitur; quòd Aseitas seu independentia sit quædam Entis necessitas ac plenitudo, sic non est intelligendum, quasi in suo conceptu formali, saltem relatè ad nostrum intellectum, omnes complecteretur perfectiones; sed tantùm quòd sit radix, fons, ac principium omnium eorum, quæ de Deo dicuntur.

Inst. 2do. Actu & explicitè continere omnes perfectiones est melius ac perfectius, quàm eas tantùm radicaliter continere. Ergo, cùm essentia divina in eo, quod perfectissimum est, constituatur; sequitur, quòd Aseitas illius constitutivum formale esse nequeat.

Resp. *Dist. conf.* Sequitur, quòd Aseitas illius constitutivum esse nequeat, si essentia divina sumatur metaphysicè, & pro eo, quod est prima ratio Deitatis, *neg.* si sumatur physicè, & secundùm suam totam plenitudinem formalem, *subdist.* Non potest esse constitutivum totale, *conc.* partiale & primarium, *neg. conf.* Hæc objectio videtur esse contra statum quæstionis. Quæritur enim hîc, quænam sit ratio seu perfectio primaria essentiæ divinæ metaphysicè sumtæ (non autem physicè consideratæ) à qua cætera diffluant: & assignamus Aseitatem; eò quòd ea sit fons omnium perfectionum, ut hactenus probatum est, &c.

Inst. 3tio. Aseitas est gradus communis. Ergo ab ea tanquam à speciali ratione cætera fluere nequeunt.

Resp. Huic argumento jam satisfactum esse priori paragraphô. Fatendum enim, Aseitatem seu independentiam, inadæquatè sumtam pro negatione causæ effectricis, esse gradum communem, utpote divinis attributis ac relationibus proprium. At negatur, quòd hæc Aseitas sumta pro negatione vel principii & originis, vel radicis seu causæ virtualis eis competat: relationes enim, ut filiatio, ac spiratio sunt ab

Dddddd 3 alio

alio tanquam à principio & origine; attributa verò sunt ab alio ceu radice, aut causa virtuali, nempe ab ipsa Aseitate. Ergo &c.

Inst. 4to. Aseitas illa omnimoda convenit etiam gradibus genericis, qui sunt in Deo; putà gradibus Entis, Substantiæ; hi enim important Aseitatem adæquatè sumtam. Ergo Aseitas adæquatè sumta non est ratio specialis essentiæ divinæ.

Resp. *neg. cons.* Gradus enim Entis & Substantiæ sunt ipsa formaliter essentia; divina quippe natura, ut manifestum est, est formaliter Ens ac Substantia, & proinde necesse est, ut Aseitas formaliter imbibatur in ratione Entis ac Substantiæ; non tamen ita in aliis divinis perfectionibus, quæ virtualiter saltem distinguuntur ab essentia divina.

39 Ob. 2do. Ratio formalis divinæ essentiæ debet ei competere, qui verè Deus est. Atqui Aseitas omnimoda non competit ei omni, qui Deus est; Filius enim & Spiritus sanctus sunt verè Deus, & tamen eis non competit illa Aseitas, cùm Filius sit à Patre, & Spiritus sanctus à Patre & Filio, tanquam à principio producente. Ergo &c.

Resp. *Dist. maj.* Debet ei competere identicè, qui verè Deus est, *conc.* formaliter, *subdist.* Ratione ipsius essentiæ, *conc.* ratione ipsius personalitatis, *neg. maj.* Nam alioquin inter essentiam divinam & personas non daretur distinctio virtualis.

Inst. 1mo. Essentia divina, quæ est in Filio, est à Patre tanquam à principio; sicuti essentia quæ est in Spiritu sancto est à Patre & Filio. Ergo essentia divina tam perfectam Aseitatem non habet in Filio & Spiritu sancto sicut in Patre. Atqui hoc est absurdum; quia sequeretur Patrem esse perfectiorem aliis personis. Ergo &c.

Resp. *Dist. ant.* Essentia divina quæ est in Filio est à Patre per communicationem, *conc.* per productionem, *neg. ant.* In divinis enim sola persona producitur, sicut & sola producit, adeoque Filius in ratione essentiæ eandem Aseitatem habet ac Pater; licèt fatendum sit, quòd in ratione personalitatis non habeat Aseitatem, prout hæc negat originem seu principium ab alio, alioquin Filius non esset. Itaque Pater est principium Filii in ratione personæ, non tamen in ratione essentiæ; essentia enim Dei est omninò improducta.

Inst. 2do. Pater à SS. Patribus nuncupatur fons, origo, caput, & radix divinitatis. Ergo certè respectu essentiæ divinæ principii rationem sibi vindicat.

Resp. SS. Patres aliud significare nolle, nisi quòd Deus Pater sit principium sine principio, cujus solius est totam naturam communicare aliis personis; nam quamvis Filius etiam Spiritui S. naturam communicet, non tamen eam Patri communicat; è contrà Pater utrique, Filio nempe ac Spiritui S. illam communicat.

Ob. 3tio. Sicut se habet esse ab alio, 40
seu, ut barbarè loquuntur, *Abalietas* ad essentiam alicujus creaturæ, sic se habet Aseitas ad essentiam divinam. Atqui esse ab alio seu *Abalietas* se ita habet ad essentiam alicujus creaturæ, ut ejus ratio formalis non sit. Ergo nec ipsa Aseitas respectu essentiæ divinæ.

Resp. *neg. maj.* Nam Abalietas nullatenùs facit unum differre ab altero; non enim differt homo à quacunque alia creatura per hoc, quòd sit ab alio: at verò Deus differt à quocunque alio per hoc, quòd sit Ens à se. Præterea Abalietas

lietas sequitur totam naturam in suo esse physico constitutam, non sic Aseitas.

Inst. Sicuti Abalietas est modus naturæ, sic etiam Aseitas. Atqui modus naturæ non constituit naturam, sed eam ut constitutam supponit. Ergo &c.

Resp. 1mo. *Dist. maj.* Aseitas est modus nominetenùs, *conc.* ratione rei significatæ, *neg. maj.* &c. solutio hæc patet ex Resp. ad 1mam. objectionem.

Resp. 2do. *Dist. iterum maj.* Aseitas est modus respectu essentiæ divinæ, sicuti esse ab alio seu *Abalietas* respectu naturæ creatæ, *neg.* aliter, *transf. maj.* &c. Potest itaque in aliquo sensu concedi, quòd Aseitas sit modus essendi, si nempè per hunc modum essendi intelligatur gradus primò constitutivus essentiæ divinæ; per hunc enim essendi modum differt essentia à quocunque alio. Et talis modus essendi est etiam ipsa rationalitas in homine; unde sicuti hæc est prima ratio formalis essentiæ hominis, sic & Aseitas essentiæ divinæ. Cætera vid. in Theolog. cit. loc.

41 Denique hîc notandum volumus, circa sententias & opiniones de gradu constitutivo seu differentia essentiali & primaria essentiæ divinæ præcedentibus paragraphis hisce propositas id nostrô judiciô fermè evenire, quod in multis aliis ejusmodi quæstionibus & controversiis factitari assolet; ubi scilicet Doctores sibi in opinionibus oppositi sese ita oppugnant, quin tamen intentum suum assequantur; eò quòd quisque illorum sententiam suam in alio sensu tueatur, quàm ab aliis impugnetur. Sic

1mo. Qui Aseitatem statuunt pro primo constitutivo metaphysico essentiæ divinæ, sumunt Aseitatem adæquatè, prout nimirùm importat non tantùm negationem causæ effectricis, sed etiam negationem radicis, ac principii producentis. Qui verò Aseitatem impugnant, sumunt eam inadæquatè, prout scilicet importat solùm negationem veræ causæ effectricis; sub quo respectu procul dubio convenit Aseitas etiam attributis.

2do. Qui ipsum *intelligere divinum* pro formali constitutivo ipsius essentiæ divinæ reponunt, non sumunt *intelligere divinum* sub conceptu seu formalitate operationis; sub qua tamen impugnatur ab Adversariis; sed sumunt illud sub conceptu formali ultimæ actualitatis completæ & per se subsistentis in genere intellectuali; quamvis, ut non obscurè indicavimus, hæc distinctio gratis conficta videatur.

3tio. Qui stant pro Infinitate, eam non sumunt in sensu formali aut materiali, quo sensu tamen ab Adversariis à ratione formali divinæ essentiæ excluditur: sed sumunt eam in sensu radicali; quo sensu eam ab Aseitate distingui non videri asseruimus.

EXERCITATIO TERTIA. 42

De Distinctione, quæ inter essentiam divinam, ejus Attributa, ac Relationes intercedit.

Ad Caput II. Partis I. Tractatûs *de Deo Uno & Trino* n. 25. & c. 3. p. 2. n. 392. Tom. 2.

VAriI circa hanc materiam emersêre errores. 1mo. enim Augustinus Niphus 12. Metaph. disp. 13. refert Gualterum quemdam distinctionem rea-

realem inter essentiam divinam ac ejus attributa admisisse; neque propterea quidquam divinæ simplicitati derogatum iri arbitrabatur; ratus ad veram compositionem requiri, ut unum extremum se habeat per modum actûs, & alterum per modum potentiæ.

43 2do. Gilbertus Porretanus Episcopus Pictaviensis, vir in Dialecticis versatissimus, cùm in publico quodam Ecclesiæ suæ consessu dixisset, *Divinitatem non esse Deum sed formam, qua Deus est*; necnon in quibusdam ad Boëtium de Trinitate Commentariis scripsisset, *Divinam essentiam esse substantiam, qua Deus est, non quæ Deus est*; atque multa alia *præter communem hominum morem protulisset*, ut ait Otto Frisingensis lib. 1. de Gestis Friderici I. Imperatoris c. 46. à duobus Ecclesiæ Pictaviensis Archidiaconis Arnaldo & Calone, quibus se adjunxit S. Bernardus, ad Romanum Pontificem Eugenium III. in Gallias tunc temporis, hoc est, circa medium Sæculi XII. iter dirigentem delatus est, & erroris postulatus.

Causa ejus primò in Concilio Parisiensi an. 1147. præsidente ipsomet Summo Pontifice Eugenio III. agitata est; ubi audacter asseruit Gilbertus: *Patrem aliò esse Patrem aliò Deum, nec tamen esse hoc & hoc.* Verùm cùm hæc & plura alia magna subtilitate proferret, rei difficultate ac obscuritate permotus Summus Pontifex, æqui bonique consulit causæ hujus ventitutionem ad Concilium Rhemis annô sequenti celebrandum remittere. Annô itaque 1148. Rhemis decem provinciarum Episcoporum præside eodem Summo Pontifice Eugenio III. cogitur Concilium. Ibi causam suam orsus Gilbertus, opinionem suam, adductis in medium quamplurimis SS. Patrum testimoniis corroborare nitebatur & allaborabat. Cui Summus Pontifex: *Multa dicis frater, multa, & ea, quæ fortassis à nobis non intelliguntur legi facis: sed simpliciter à te cognoscere velim, anne illam summam essentiam, qua tres personas profiteris unum Deum, credas esse Deum.* Gilbertus diutina collatione fatigatus, ait Otto Frisingensis c. 56. minus præmeditatè respondit: *non.*

Haud minori ardore ac studio eum coarctabat S. Bernardus, prout refert Gaufridus Monachus Epistolâ ad Episcopum Albanensem. *Quid necesse est*, inquiebat, *circa hujusmodi verba diutiùs immorari? non aliundè procedit scandali hujus origo, nisi quòd plures credere vos credunt & docere, quòd divina essentia vel natura, divinitas ejus, sapientia, bonitas, magnitudo, non est Deus, sed est forma, qua Deus est. Hoc si creditis palàm dicite aut negate.* Tum Gilbertus dicere ausus est: *Forma Dei est divinitas, qua Deus est, & ipsa non est Deus.* Hac audita ejus mentis sententia S. Bernardus unà cum nonnullis Episcopis Symbolum Fidei Gilberti erroribus oppositum adornavit & confecit, quod postmodùm ab eodem Summo Pontifice Eugenio de communi cæterorum Concilii Patrum consensu approbatum fuit.

Ex his videtur constare Gilbertum distinxisse à parte rei essentiam divinam tùm ab attributis, tùm à personis, tùm attributa à se invicem, cùm enim negaverit divinitatem seu naturam divinam esse Deum, procul dubio etiam negavit misericordiam Dei e. g. esse ejus justitiam, &c. eò quòd hæ magis inter se distent, quam illa.

Et quamquam Otto Frisingensis, in Gilbertum plus æquô propensus, errores ejus emollire conatus fuerit, morti tamen proximus cavit, teste Raderico, *ut, si quid pro sententia Magistri Gilberti dixisse visus esset, quod quemquam posset offendere*, (hìc S. Bernardum intelligit, cui subiniquus fuit) *ad piorum & docto-*

doctorum arbitrium corrigeretur. Itaque S. Bernardus hîc majorem fidem meretur, quàm Otto; præsertim cùm ille in Concilio Rhemensi contra Gilbertum egerit, iste verò eidem non adfuerit. *Recedant igitur à nobis charissimi* (sunt verba S. Bernardi serm. 80. in Cant.) *recedant Novelli, non Dialectici, sed Hæretici, qui magnitudinem, qua magnus est Deus; & item bonitatem, qua bonus est; sed & sapientiam, qua sapiens; & justitiam, qua justus; postremò divinitatem, qua Deus est; Deum non esse impiissimè disputant.*

44 3tio. Gregorius Palamas primùm Monachus apud Græcos, ac postcà Thessalonicensis Episcopus, Andronico juniore imperante, asseruit operationes Dei tùm ad intrà, tùm ad extrà, seu tùm eas, quibus Filius & Spiritus sanctus à Patre producuntur, quibus eædem personæ aut se ipsas amant, aut se ipsas intelligunt; tùm eas, quibus Deus olim creaturas eduxit de nihilo, & nunc conservat, ab essentia Dei realiter esse distinctas contendit, nec tamen eas aliquid creatum esse, sed medium quid inter Deum & creaturam, quod ipsis creaturis in earum productione communicetur.

Hujus Palamæ cæterorumque Monachorum errores amplexa est Ecclesia Græca in Synodo Constantinopolitana, quam Græci IXnam. Oecumenicam appellant; ubi & anathema dictum Barlaamo Monacho, & Acindino ejus discipulo, quòd contrarium tuerentur. Vid. Nicephorum Gregoram *tom.* 3. *Bibliotb. Patrum.*

45 4to. Abbas Joachim, cujus libellus proscriptus fuit in Concilio Lateranensi IV. an. 1215. sub Innocentio Papa III. inter essentiam divinam & personalitates realem quoque distinctionem adstruxisse videtur: cùm enim Petrus Lombardus docuisset, *summam quamdam rem esse Patrem, Filium & Spiritum sanctum, quæ neque est generans, neque genita, neque procedens*; ab eo hæreticus & insanus audiit. Ergo ex illius mente sequitur manifestè, quòd Pater, Filius, & Spiritus sanctus non sint res illa summa, ac proindè ab invicem realiter distinguantur.

5to. Huic errori è diametro opposita fuit Sæculô IV. opinio Aëtii & Eunomii, qui nullam omninò, ne quidem virtualem & rationis distinctionem inter essentiam divinam & illius proprietates sive absolutas sive relativas admitti debere docuerunt. Cùm verò urgerentur S. Scripturæ testimoniis, quæ passim tùm essentiam divinam, tùm attributa diversis nominibus exprimunt: respondebant soni tantùm seu nominis differentiam iis Scripturæ testimoniis innui, ita ut misericordia non differret à justitia nisi nominetenùs. 46

Ideò autem Aëtius, Eunomius, aliique Ariani inter essentiam & attributa mentalem distinctionem admittere renuerunt, ut nempe totam differentiam, quam inter naturam, & attributa, necnon personalitates Scripturæ S. assignant, in naturam ipsam, non verò in nostrum intelligendi modum refunderent, concluderentque diversitatem non personarum tantùm sed etiam naturarum inter Patrem, Filium & Spiritum sanctum.

Hactenùs de erroribus circa attributa divina tùm relatè ad se, tùm ad essentiam. Jam modò propiùs ad opiniones, quæ in Scholis hac nostra ætate magis ventilari solent accedendum. Sunt autem triplicis generis. 1ma. est Nominalium, quorum Principes facilè dici possunt Ochan, Major, Gabriel, &c. 2da. est Scoti & Scotistarum. 3tia. denique S. Thomæ & Thomistarum. Præcipuè autem hîc circa Scotisticam sententiam versabimur; atque indagabimus, an distinctio formalis ex natura rei

rei inter essentiam divinam, attributa, ac relationes admitti debeat? Incidenter tamen, quædam de aliis distinctionibus resolventur.

§. I.

47 *Quædam pro pleniori hujus difficultatis resolutione præmittuntur.*

NOt. 1mo. contra Eunomium aliosque Arianos velut indubitatum, inter essentiam divinam & attributa aliquam distinctionem esse admittendam. Ratio est, quia prædicata contradictoria de una eademque omninò re nequaquam verificari possunt. Atqui de essentia divina, attributis, & relationibus, &c. verificantur prædicata contradictoria, ut posteà dicetur. Ergo necesse est, ut inter ea interveniat quædam distinctio.

48 Not. 2do. contra Gilbertum Porretanum, Gregorium Palamas, Joachimum Abbatem, &c. essentiam Dei tùm ab attributis, tùm à personis, tùm attributa à se invicem realiter non distingui; nam id constat tùm ex Concilio Rhemensi suprà laudato, ubi hic error proscriptus est; tum etiam quia inde evinceretur Deum non esse Ens simplicissimum, sed compositum; quod sic ostenditur: Compositio est distinctorum unio. Atqui in Deo esset distinctorum unio, essentiæ nimirùm, attributorum, & personarum, quæ licèt juxta Gilbertum inter se se distinguerentur, ad invicem tamen essent intimè conjuncta. Ergo &c. tùm denique quia Deus est per essentiam actus purus. Ergo necessariò debet sibi identificare omnem perfectionem simpliciter simplicem, alioquin esset in potentia ad aliquam. Prætereà in Sacris Litteris perfectiones divinæ non tantùm in concreto, sed etiam in abstracto de Deo prædicantur, ut charitas, sapientia, veritas, &c. Ergo, &c.

Not. 3tio. Scotistas in hoc differre à Gilberto, quòd velint distinctionem illam, quam essentiam inter & Attributa, &c. adstruunt, non esse realem, sed formalem tantùm; quia scilicet non inter res, sed inter formalitates duntaxat reperitur: sunt autem hæ formalitates juxta ipsos, saltem in divinis, *Actuales* seu potiùs *actualissimæ à parte rei citra mentis operam aliquidditates*, seu *taleitates quidditatis divinæ per identitatem realem in secundo dicendi modo.* Dicuntur 1mo. *Actuales* seu *actualissimæ à parte rei citra mentis operam*; quia verè dantur à parte rei ante mentis operam in ipso Deo; uti sunt sapientia, bonitas, intellectus, voluntas, &c. Dicuntur 2do. *Aliquidditates*, seu *taleitates quidditatis divinæ*; quia formaliter nec sunt ipsa essentia divina, nec etiam sunt res; quia sola essentia divina est res, sumendo rem strictissimè juxta sequens Not. nec etiam sunt accidentia, cùm talia in Deo implicent. Ergo relinquitur quòd sint *aliquidditates*, seu *taleitates*, per quas ipsa essentia divina est formaliter talis. Dicuntur 3tio. *Per realem identitatem;* quia tales formalitates, cùm non sint res, ab essentia divina realiter distingui nequeunt, adeoque cum illa sunt una eademque res, licèt sint illius multæ *formalitates* ac *taleitates.* Dicuntur 4to. *In secundo dicendi modo;* quia non sunt prædicata quidditativa. 49

Not. 4to. In principiis Scotistarum *Rem* tripliciter sumi posse, *latè* nimirum, *strictè*, & *strictissimè*. *Latè* sumitur *Res* pro eo, quod opponitur Enti ficto & nihilo; *strictè* denotat quidditatem seu essentiam præcisè *ut sic*; *strictissimè* verò *Res* sumitur pro quidditate singulari, in quo sensu Petrus est res, Paulus est res; quia dicunt & habent quidditatem singularem. Hìc autem nomine *rei* intelligunt Scotistæ 50

ſtæ eſſentiam & quidditatem ſingularem actualiſſimam à ſe, cui per ſe & primò competit ipſa exiſtentia, qualis eſt eſſentia divina, ſeu cui competit capacitas exiſtendi per propriam exiſtentiam, taliter, quòd poſſit terminare ſui veram efficientiam & phyſicam cauſalitatem, ſive ſeparatim poſſit exiſtere ſive non.

Cæterùm aliter loqui videntur SS. Anſelmus, & Thomas. Ille enim *lib. de fid. Trin. & Incar. Verbi c.* 3. ſic ait: *Solemus enim uſu dicere Rem, quidquid aliquo modo dicimus aliquid, ſcilicet ante mentis operam.* S. Thomas verò 1. *p. q.* 39. *a.* 3. *ad* 3. ſic loquitur: *Dicendum, quòd hoc nomen RES eſt de tranſcendentibus: undè ſecundùm quod pertinet ad relationem, pluraliter prædicatur in divinis; ſecundùm verò quod pertinet ad ſubſtantiam ſingulariter prædicatur.* Hosque binos SS. Doctores communiter ſequuntur Theologi; juxta quos quidquid habet *eſſe* ratum ac firmum independenter ab intellectu verè ac propriè *RES* eſt, quemadmodum propriè eſt unum, verum, & bonum; quæ ſunt de tranſcendentibus Entis.

51 Not. denique 5to. Aliud eſſe *actu* dari diſtinctionem, aliud dari *actualem* diſtinctionem. Siquidem qui in divinis diſtinctionem *virtualem*, aut ſi mavis, *fundamentalem* adſtruunt, aſſerunt eam actu dari, ſeu actu exiſtere fundamentum, quod intellectui anſam præbet concipiendi attributa ut diſtincta à ſe invicem. Dari verò diſtinctionem *actualem* eſt dari diſtinctionem inter duo extrema, quorum unum ante mentis operam non eſt alterum: prius volunt Thomiſtæ, ſecundum verò Scotiſtæ.

§. II.

52 ***Proponuntur & ſolvuntur argumenta, quibus evinci videtur, inter eſſentiam divinam ac ejus attibuta dari diſtinctionem ex natura rei formalem.***

ARgumentum 1mum deſumitur ex auctoritate SS. Patrum tàm Græcorum quàm Latinorum. S. Juſtinus Martyr in *q. cont. Græcos*, ad interrogationem tertiam Chriſtianorum hæc ait: *Aliud eſt eſſentia Dei, aliud voluntas.* Et rurſus: *Voluntas ex eſſentia prodit, eſſentia autem non ex voluntate: ergo alia eſſentia Dei, & alia voluntas eſt.*

S. Dionyſius Areopagita, ſeu auctor lib. de divin. nom. *ib. c.* 2. ait: *Nos res divinas ſermone conjungere, diſtinguereque ſatagimus, prout ipſa nimirùm in ſe vel ſunt unita, vel ſunt diſtincta.*

S. Cyrillus Alexandrinus *lib. de Trinit. Dialog.* 1. hæc ait: *Filius non eſt in alia eſſentia, quàm ea, quæ eſt ut Dei; eſt tamen in alia hypoſtaſi, quæ eſt ut Filii.* Et mox ad Hermiæ interrogationem: *Quid, ergo? aliudne eſt eſſentia, & alia hypoſtaſis?* Reſpondet: *Multum enim eſt inter illa diſcriminis ac intervalli.* Item *lib.* 2. *theſaur.* enumeratis divinis attributis, ait: *Hæc omnia non ſubſtantiam, ſed aliquid eorum, quæ in ſubſtantia inſpiciuntur, ſignificant.*

S. Athanaſius *lib.* 1. *de Trin. contra Anomæum* ſic loquitur: *Aliud eſt hypoſtaſis, & aliud Deitas: non ut alia & alia res; ſed quod hypoſtaſis quidem aliud, aliud verò Deitas ſignificat.*

S. Baſilius Magnus *lib.* 1. *cont. Eunomium* hæc ait: *Quomodò enim ridiculum non eſt, ſi quis procreandi vim ipſam eſſe dicat divinam eſſentiam? aut provi-*

dentiam rursus essentiam? *itidemque præscientiam*? Et *lib. de recta fide* ait : *Si quis dicat , Deus non exprimit hoc ipsum, quod est Pater, deest hoc, quod est Creator*; *tùm illis deesse, addique oportere, bonitatem, sapientiam, virtutem, &c. quæ in S. Scriptura memorantur*. Hæc autem additio non est tantùm conceptuum nostrorum, sed rationum formalium ante omnem operationem intellectûs. Ergo &c.

S. Gregorius Nyssenus *Tract. de notion. divin. ante finem* sic dicit : *Non idem sunt substantia , & individuum, quod est hypostasis : neque eadem , quæ designant & notant. Ergo paternitas & filiatio non sunt idem quod essentia.* Et rursus *lib. 12. cont. Eunom.* ait: *Ergo essentia quidem in eo , quod est aliquid, intelligitur ; bonum autem vel corruptibile , qualequid esse , indicat. Alia igitur essentiæ ratio , & alia quæ quomodò, vel quale per se declarat.* Item *Opusc.de Trin. ad Eustathium* ait : *Cùm aliquis, & uniuscujusque horum nominum , & ipsius naturæ , circa quam ea nomina intelliguntur , rationem reddit & definitionem; non eandem reddit utrorumque rationem; quorum autem ratio , definitiove diversa, eorum quoque natura differens est.*

S. Gregorius Nazianzenus in Oratione coram centum quinquaginta Episcopis habita apertis verbis asserit rationem principii à natura distingui ; sic enim ait: *Non enim principium in eo , quod principium est, naturæ rationem habet : quemadmodùm nec in illo , quod principii expers sit: circa naturam enim hæc considerantur , non ipsa natura sunt.*

S. Hilarius *lib. 8. de Trin.* disertis verbis distinguit naturam à personarum proprietatibus, sic enim ait : *Quæro nunc in spiritu Dei, utrum naturam , an rem naturæ significatam existimes ? non idem est enim natura, quod naturæ res ; sicut non idem est homo, & quod hominis est ; nec idem est ignis, & quod ignis ipsius est ; & secundùm hoc non idem est Deus, & quod Dei est.*

S. Augustinus lib. 15. de Trin. c. 3. ait : *Demonstratur , non omne, quod de Deo dicitur, secundùm substantiam dici , sicut secundùm substantiam dicitur bonus & magnus , & si quid aliud dse dicitur : sed dici etiam relativè , id est , ad aliquid , quod ipse non est.* Item *lib. 7. de Trin. c. 4.* ait : *Aliud est esse Deum , aliud esse Patrem.* Ubi vox *aliud* importat diversitatem ex natura rei inter Deitatem & Paternitatem.

S. Joannes Damascenus *lib. 1. de fid. orthod. c 4.* sic loquitur : *Inter omnia nomina de Deo, propriissimum est , Qui est ; quia esse dicit quoddam pelagus infinitæ substantiæ; cætera autem sunt illa, quæ circumstant naturam; si justum, si bonum, si quid tale dixeris, non dicis naturam Dei, sed quæ circa naturam.*

S. Anselmus lib. de process. Spiritûs S. c. 2. ait : *Non idem significat nomen Patris & Filii, quod nomen Dei : non enim idem est Deum esse, quod Patrem esse aut Filium.* Et in *Prosologio c. 18.* de Deo ait : *Vita es, bonitas es, beatitudo es, æternitas es , & omne verum bonum es. Multa sunt hæc : non potest angustus meus intellectus totus uno simul intuitu videre, ut in omnibus simul delectetur.* Nota, quòd dicat *Multa sunt hæc.*

DeniqueS.Thomas *Opusc.9.q.1.* sic docet: *Bonitas divina est divina sapientia ex hoc, quòd est divina, non ex hoc, quòd est bonitas; neque ex hoc quòd est sapientia, est bonitas; hoc autem pertinet ad rationem bonitatis & sapientiæ, scilicet bonitatis, in quantùm bonitas est ; & sapientiæ, in quantùm sapientia est.* Not. hæc verba : *Neque ex hoc, quòd est sapien-*

pientia est bonitas; quæ sanè denotant distinctionem ex natura rei, non realem, ergo formalem.

His SS. Patribus adjungi possunt Patres Concilii Toletani XI. (*d*) Qui in professione fidei asserunt, *Solum Filium assumpsisse humanitatem in eo, quod est proprium Filii, & non, quod est commune Trinitati.* Ergo est aliqua non identitas, seu distinctio formalis ex natura rei inter Verbum divinum & naturam divinam.

Similiter Concilium Oecumenicum Lateranense IV. sub Innocentio III. cui interfuère Patres quadringenti & duodecim, contra errorem Joachimi Abbatis sic definivit: Quamlibet trium divinarum personarum esse illam rem, scilicet substantiam, essentiam, vel naturam divinam, quæ sola est universorum principium. *Et illa res*, inquit, (nimirùm substantia seu essentia divina) *non est generans, neque genita, neque procedens: Sed est Pater, qui generat; Filius, qui gignitur; & Spiritus sanctus, qui procedit, ut distinctiones sint in personis, & unitas in natura.* Jam quomodò id fieri poterit, si essentia divina ac relationes sint idem non solùm realiter, sed etiam formaliter ex natura rei.

Resp. AA. 1mo. his testimoniis, si in stricto & rigido sensu sumantur, probari posse inter essentiam divinam & attributa non modò ex natura rei formalem, sed etiamnum realem distinctionem intercedere. Unde hæc SS. Patrum testimonia benigne sunt interpretanda ex scopo SS. Patrum ac statu controversiæ, quæ tunc temporis adversus Hæreticos agitabatur. Solent enim SS. Patres, ubi hæresim quamdam debellant, plerumque vix non in aliud extremum deflectere, ut sic eam ad medium reducant; quia quod vitiosè distortum est, nisi in alterum extremum inflectatur, nunquam revocabitur ad rectum. Ita contra Eunomium, qui omnem distinctionem, etiam rationis, à divinis removere satagebat, atque naturam divinam in sola ingeneratione collocabat, seu in solo *ingenito*, iis subindè verbis utuntur, quibus videntur realem admittere inter attributa divina, &c. distinctionem. At ubi Gilbertum oppugnant, eum loquendi modum adhibent, ut videantur omnem distinctionem, etiam rationis, à divinis excludere.

Igitur illi omnes benigna interpretatione exponendi sunt, ita, ut, qui nullam distinctionem agnoscere videntur, realem duntaxat, aut saltem formalem excludant; qui verò realem exprimere videntur, de virtuali tantummodò sint intelligendi.

Resp. 2do. Quæ hîc opponuntur SS. Patrum testimonia, non de reali, aut ex natura rei formali, sed de virtuali duntaxat & rationis ratiocinatæ distinctione facilè intelligi posse ac debere. Nam SS. Patres multis in locis docent essentiam divinam esse omninò idem cum omni eo, quod de Deo dicitur, sive sit quid absolutum sive relativum. Dicunt prætereà, perfectiones divinas tantùm *per rationem, & secundùm modum intellectionis* ab invicem distingui, distinctione nimirùm actuali. Rursus ajunt, Deum ejusque perfectiones habere omnimodam simplicitatem & unitatem, cui tamen repugnare videtur omnis distinctio actualis ex natura rei. Igitur

Resp. 3tio. Ad singula SS. Patrum adducta testimonia. Et quidem ad 1mum. S. Justinum ex eo capite distinctionem essentiæ divinæ à voluntate divina posuisse;

(*d*) Concilium Toletanum XI. celebratum est an. 675.

isse; quia hæc ab illa emanat: cùm igitur hæc emanatio seu processio non sit realis, sed tantùm virtualis, sequitur quòd S. Justinus non realem, sed virtualem dumtaxat inter essentiam divinam & voluntatem admiserit distinctionem.

Ad 2dum. S. Dionysius ibi loquitur tùm de prædicatis quidditatis, quæ à parte rei sunt unita; tùm de proprietatibus personalibus, quæ à parte rei non solùm formaliter, sed realiter sunt distinctæ. Verùm hoc nihil contra adversarios Theologos, qui distinctionem virtualem inter essentiam divinam & attributa adstruunt, &c.

Ad 3tium. S. Cyrillus 1mò. locô non plus vult, quàm quòd inter essentiam & hypostasim in re sit discrimen virtuale, per rationem verò formale. 2dò. locô autem mens illius est, quòd Attributa divina non ingrediantur metaphysicam constitutionem essentiæ divinæ, sed eam, juxta nostrum intelligendi modum consequantur, sicque quodammodò ad instar proprietatum ex eadem virtualiter dimanantium concipiantur.

Ad 4tum. Mens S. Athanasii fuit asserere, quòd essentia divina & hypostasis sint aliud & aliud virtualiter à parte rei, & formaliter per intellectum; nam quælibet earum suam sibi vindicat rationem formalem virtualiter à parte rei diversam à ratione formali alterius.

Ad 5tum. Eadem est mens S. Basilii. Undè benè ait, quòd hoc nomen *Deus* non exprimit hoc ipsum, quod est *Pater*, &c. reipsâ enim variis nominibus essentia Dei ejusque attributa exprimuntur, & res iis nominibus significatæ diversæ sunt, non quidem re, & entitate, sed virtute & æquivalentiâ.

Ad 6tum. Eodem modo respondendum est. Cùm enim ibi S. Gregorius Nyssenus adversùs Eunomium disputaret, quemadmodùm & S. Basilius ipsius frater, satis ipsi erat ostendisse, quòd sit quædam distinctio inter essentiam & hypostasim. Undè benè dixit, quòd illa nomina aliud & aliud denotent, quod verissimum est ex admissione distinctionis virtualis.

Ad auctoritatem S. Gregorii Nazianzeni idem respondendum, quod primum responsum est ad testimonia S. Basilii & Gregorii Nysseni.

Ad testimonium S. Hilarii Resp. ex illo, major distinctio erui haud potest, quàm virtualis. Verum enim est, quòd natura & naturæ res, seu ea, quæ naturæ attribuuntur, non sint idem virtualiter, & sub iis conceptibus, quibus à nobis intelliguntur.

Ad auctoritatem S. Augustini eadem datur responsio & solutio, quam Scotistæ dare solent ad hunc ejusdem S. Doctoris textum *lib. de Trin. c.* 2. ubi *Non eo*, inquit, *Pater quô Deus, nec eo Verbum quô magnus, quô sapiens.* Ajunt enim hîc nolle S. Augustinum, quòd sit alia identitas, aut distinctio inter Paternitatem & Deitatem, quàm sit inter sapientiam & magnitudinem; sed quòd major sit distinctio inter illa, quàm inter hæc, intra genus tamen distinctionis ex natura rei formalis. Sic à pari dici potest, quòd S. Augustinus voluerit locô cit. relationes magis distingui ab essentia, quàm perfectiones absolutas, semper tamen intra genus distinctionis virtualis, quod verissimum est.

Neque ex S. Joannis Damasceni testimonio major distinctio erui potest, quàm virtualis: nam per hæc verba *pelagus essentiæ vel substantiæ* intelligi debet *esse* absolutum; hoc autem *esse* ratione summæ infinitatis identificat sibi cum simplicissima actualitate quamlibet formalitatem & entitatem omnis perfectionis. Ex quo consequitur, quòd attributa Dei non ex natura rei formaliter,

ter,

ter, ſed ex ratione & fundamento in re, & ſub quadam reduplicatione circumſtent divinam eſſentiam; undè ſub hac ratione *ſi bonum, ſi juſtum, &c. dixeris, non dicis naturam Dei.*

Ad S. Anſelmum Reſp. quòd ſolùm intenderit diſtinctionem virtualem aſſerere, &c. Undè cùm dicit: *Multa ſunt hac*, non debet intelligi, niſi de multiplicitate virtuali, neutiquam verò de multiplicitate formali.

Ad S. Thomam Reſp. illum eſſe Scotiſtis manifeſtè contrarium; proindè mirum eſſe, quòd eorum aliqui eum in ſuæ opinionis patrocinium adducant. Vid. 1. *p. q.* 3. *a.* 3. item *In* 1. *diſt.* 2. *a.* 1. *ad.* 1. & alibi paſſim.

Ad illud, quod ex Concilio Toletano XI. adducitur Reſp. Ex eo nihil evinci. Si enim argumentum quidquam probaret, evinceret etiam diſtinctionem ſtrictè realem, utpotè inter rem & rem, Verbum nempè divinum & naturam divinam. Dicendum itaque, quòd, ad hoc, ut verificetur quòd unio naturæ humanæ cum Verbo facta fuerit in perſona, non in natura, ſufficiat diſtinctio virtualis. De qua ſuô locô plura.

Tandem ad Concilium Lateranenſe IV. dicendum eſt, quòd adducta verba illa verificentur adminiculô ſolius diſtinctionis virtualis, quæ eſſentiam inter ac relationem divinam intercedit. Verùm de hac reſponſione plura inferiùs §. ultimô hujus Exercitationis.

13 Argumentum 2dum. Quæ definitione differunt, ex natura rei diſtingui debent. Atqui natura Dei & attributa, ipſaque attributa inter ſe definitione differunt; natura enim definitur *id, quo Deus eſt radix ſuarum operationum, & attributorum origo:* intellectus *id, quo Deus intelligit, &c.* Ergo &c.

Reſp. *Diſt. maj.* Quæ differunt definitione adæquata, & data de re prout eſt in ſe, ex natura rei diſtinguuntur, *conc.* inadæquatâ, & data de re duntaxat prout à nobis apprehenditur, *neg. maj.* Itaque diverſæ definitiones, quas proferimus de natura Dei ac ejus attributis, ſequuntur noſtrum diverſum concipiendi modum, non verò eorum *eſſe à parte rei.*

Inſt. 1mo. Ex hoc ſequeretur Attributa, &c. à nobis vitioſè definiri. Atqui &c. Ergo &c.

Reſp. *Diſt maj.* Sequeretur Attributa, &c. à nobis vitioſè definiri per exceſſum, *neg.* per defectum, ſcilicet non explicando totum quod in eis eſt, *tranſ. maj.* &c. At hoc nullum ponit inconveniens, eò quòd ſi v. g. eſſentia divina adæquatè definiri deberet, tunc definiri deberet & ad ſe & ad aliud; cùm ſit eminenter abſoluta & relativa; ſic etiam definitio unius attributi deberet ingredi definitionem alterius.

Inſt. 2do. Illa definitio eſt adæquata, quæ adæquat ſuum definitum, & explicat totam illius rationem formalem. Atqui definitio eſſentiæ, & attributorum, &c. eſt talis. Ergo &c.

Reſp. *Diſt. maj.* Quæ adæquat ſuum definitum, prout eſt in ſe, & à parte rei, *conc.* prout à definiente concipitur, *neg. maj.* &c.

Inſt. 3tio. Conceptus actu diverſi ſupponunt in ſe objecta actu diverſa. Atqui reſpectu eſſentiæ & attributorum dantur diverſi conceptus. Ergo eſſentia & attributa illis conceptibus correſpondentia erunt actu diverſa. *Min.* patet. *Prob. maj.* Conceptus ſunt imagines objectorum non abſimiles oculo, qui nihil poteſt in objecto videre, quòd in eo non ſit. Ergo &c.

Resp. *Dist. maj.* Conceptus actu diversi, si sint adæquati, supponunt in se objecta actu diversa, *conc.* si sint inadæquati, *neg. maj.* &c &c.

54 Argumentum 3tium. Sapientia divina formaliter ex natura rei non est Justitia; aliàs essent tantùm Synonyma. Ergo &c.

Resp. *Dist. ant.* Si vox *formaliter* idem sit ac *essentialiter*, seu entitas, quæ sumatur pro essentia & quidditate, ut in se, *neg.* Si sumatur pro essentia rei, ut subest diversis conceptibus cum fundamento in re, *conc. ant.* quia verum est Sapientiam Dei distingui ab ejus Justitia ratione cum fundamento in re.

Inst. 1mo. Distinctio formalis debet esse in re; quia intellectus noster non parit illam veritatem, sed in re invenit. Ergo &c.

Resp. *Dist. ant.* Distinctio formalis ex natura rei debet esse in re, *neg.* Distinctio formalis, id est essentialis debet esse in re, *subdist.* per modum actualis distinctionis, *neg.* per modum fundamentalis distinctionis, *conc. ant.*

Inst. 2do. Ergo dabitur confusio attributorum. Resp. in actu purissimo ac simplicissimo non potest dari aliud & aliud, adeoque nulla ibi confusio.

Inst. 3tio. Una formalitas in Deo formaliter non minùs distinguitur ab alia, quàm cùm consideratur secundùm se, ut scilicet abstracta à Deo & creaturis. Atqui tunc una distinguitur ab altera ex natura rei formaliter; non enim Sapientia formaliter est Justitia. Ergo &c.

Resp. Quando ejusmodi formalitates considerantur ut abstractæ, præscindunt etiam ab identitate & distinctione; sic enim consideratæ sumuntur duntaxat secundùm suam rationem formalem. Atqui non est de ratione formali v. g. Sapientiæ, ut sit identificata vel distincta v. g. à Justitia. Ergo &c. Prætereà hoc Argumentum nimiùm probat, scilicet quòd prædicata quidditativa in Deo distinguantur ex natura rei formaliter; quia sumta secundùm se etiam ab invicem diversificantur; quod tamen non admittunt Scotistæ.

Inst. 4to. Si una formalitas divina à parte rei esset de conceptu formali aliarum, v. g. essentia divina de conceptu formali attributorum, essentialiter imbiberetur in conceptu volitionis & impulsûs. Atqui hoc admitti nequit. Ergo, &c. *Prob. min.* Quia tunc actio spirativa, quæ tenderet in terminum sub ratione formali impulsûs volitivi, attingeret ipsam essentiam ut rationem formalem terminandi; ac proindè terminus actionis spirativæ in supposito producto non esset Spiritus sanctus duntaxat, sed etiam Filius; utraque enim persona imbibitur identicè in conceptu essentiæ.

Resp. 1mo. *Neg. suppositum*, quòd ista nomina, *essentia*, *attributa* &c. sint à parte rei prout istis vocibus significantur; prout in Resp. ad Arg. 7. hîc ostendetur.

Resp. 2do. Ad 1mum. *neg. min.* Ad 2dum. *Dist. ant.* Actio spirativa, quæ tendit ad terminum sub ratione formali impulsûs volitivi attingeret essentiam divinam ut rationem formalem terminandi, sub conceptu explicito ipsius essentiæ, *neg.* Sub conceptu impulsûs volitivi, *conc. ant.* & *neg. consf.* Itaque eadem entitas divina, cùm sit virtualiter multiplex, ut æquivalet essentiæ divinæ, sic non terminat virtutem actionis spirativæ; sed solùm ut æquivalet impulsui volitivo; quo fit, ut vi actionis spirativæ non Verbum, sed Spiritus sanctus producatur.

Argumentum 4tum. Inter passionem demonstratam & medium, per quod demonstratur, debet intercedere distinctio 55

ex

ex natura rei, alioquin idem per idem probaretur. Atqui in Deo unum attributum demonstratur per aliud; sic Deus dicitur esse æternus, quia immutabilis, &c. Ergo, &c.

Resp. *Neg. maj.* Nam in Metaphysica demonstrantur passiones Entis ex natura Entis, risibilitas ex rationalitate, & tamen inter ea non intercedit distinctio actualis à parte rei, sed tantùm virtualis; imò potiùs distinctio actualis videtur obesse; quia quando unum demonstratur ex alio, debet inter ea intercedere connexio, quæ quò major erit, tantò minor erit distinctio; cùm igitur inter duo attributa maxima sit connexio, sic etiam minima inter ea erit distinctio, adeoque tantùm virtualis.

Inst. Ergo attributa divina erunt tantum synonima. Resp. Quòd licèt aliqua nomina rem eandem significent, si tamen illam significent sub diversis conceptibus, qui habeant fundamentum in re, ut attributa divina, sic non debent dici synonima.

76 Argumentum 5tum. Formalitas principii Verbi magis distinguitur à volitione divina quàm intellectio; siquidem hæc propositio à parte rei est vera, *Volio est intellectio*: hæc autem falsa: *Volitio est principium Verbi.* Atqui intellectus & voluntas distinguuntur saltem virtualiter. Ergo voluntas & formalitas principii Verbi non tantùm virtualiter, sed & formaliter ex natura rei distinguuntur.

Resp. Quòd sicut omnes distinctiones formales ex natura rei non sunt æquales, ut fatentur ipsi Scotistæ, ita & distinctiones virtuales: undè intra latitudinem distinctionis virtualis magis distinguuntur voluntas, & ratio principii Verbi, quàm voluntas & intellectus; quia principium Verbi vel est sola paternitas, vel saltem intellectus importans paternitatem; adeoque magis distinguitur à voluntate, quàm intellectus, cùm hic sit quid absolutum.

Pari modò loquendum est, cùm dicitur, quòd bonitas & sapientia v. g. plùs inter se differant, quàm bonus & bonitas, sapiens & sapientia, &c.

Inst. Dum concipitur sapientia divina v. g. vel huic conceptui respondet à parte rei diversa formalis, vel eadem, quæ respondet conceptui justitiæ: non 1mum. quia sic differrent à parte rei: non 2dum. quia una ac eadem foret omnium definitio.

Resp. Attributis divinis unam & eandem à parte rei respondere formalitatem objectivam & in *esse reali*; non verò eandem in *esse virtuali* ac *intentionali*; nam concipimus ea cum fundamento in re, ut præcisa & distincta, diversis conceptibus inadæquatis.

Argumentum 6tum. Deus intelligit suam essentiam ut veram, & vult eam ut bonam. Ergo veritas & bonitas in Deo distinguuntur ante omnem actum intellectûs. *Cons.* patet; quia distinctio objectorum est prior distinctione actuum; sicut causa effectu, ex distinctione enim objectorum provenit distinctio actuum. 77

Resp. *neg. cons.* Quia eadem essentia, ut æquivalet veritati, intelligitur à Deo; ut verò æquivalet bonitati, diligitur ab eo. Unde sufficit distinctio virtualis.

Inst. 1mo. Non est actualis distinctio actuum sine distinctione actuali objectorum. Atqui diligere & intelligere sunt actus diversi. Ergo & objecta debent esse diversa. Prætereà, actus, quo Deus videt suam essentiam ut veram; & actus, quo vult eam ut bonam, terminantur ad rem existentem à parte rei. Vel igitur terminantur ad veritatem & bonitatem sub una ratione formali à parte

te rei, vel sub diversa: si primum, ergo actus volendi & intelligendi in Deo non distinguuntur ex parte objecti ex natura rei, quod est absurdum. Si 2dum. tunc habetur intentum.

Resp. ad 1mum. *transf. maj. neg. min.* Quia in Deo diligere & intelligere sunt unum & idem realiter, & tantùm fundamentaliter diversificantur: esse enim & operari in divinis sunt unum & idem.

Neque dicatur: Ergo Deus etiam diligit peccata; quia ea intelligit. Nam Resp. 1mo. *Dist.* intelligit in se ipsis, *neg.* in forma opposita, qua privant, *conc.* sed hæc, cùm bona sit, à Deo diligitur.

Resp. 2do. Si intelligere, & velle seu diligere connotent diversa realiter objecta, tunc potest concedi, quòd non sint idem realiter adæquatè; cùm intelligere ex parte objecti latiùs pateat, quàm amare, illud enim se etiam ad peccata extendit, hoc verò tantùm ad honesta & bona.

Ad 2dum. Resp. Quòd hujusmodi actus terminentur ad veritatem & bonitatem sub diversis rationibus, non ex natura rei formaliter, sed tantùm virtualiter talibus, in quantùm nempè essentia divina æquivalet conceptui veritatis, sic Deus in eam fertur actu intellectûs: in quantùm verò æquivalet conceptui bonitatis, tunc in eam fertur actu voluntatis. Ex quo manifestum fit non esse absurdum dicere, quòd actus volendi & intelligendi in Deo nonnisi fundamentaliter distinguantur, si pro objecto habeant aliquid Deo intrinsecum.

Inst. 2do. Intellectus divinus intuetur bonitatem & veritatem in Deo; vel ergo ut distincta objecta formalia, vel ut unum omnino distinctum ex natura rei. Si secundum; ergò Deus non intuetur se sapientem sapientiâ & non bonitate. Si primum; ergo sunt distincta ex natura rei.

Resp. Intellectum divinum intueri distinctè sua attributa, non tamen distincta actuali distinctione, sed tantùm virtuali respectu intellectûs creati; aliud quippe est distinctè cognoscere aliquid, & aliud illud cognoscere ut distinctum: Deus quippe cognoscit distinctè sua prædicata quidditativa, cujusmodi sunt ratio Entis, ratio Substantiæ, Spiritûs, Viventis, Intellectualis, &c. & tamen non cognoscit ut distincta, prout ipsimet Scotistæ fatentur.

Argumentum 7mum. Ea distinguuntur formaliter ex natura rei, de quibus verè prædicantur ante operationem intellectûs duo contradictoria. Atqui de essentia divina & illius attributis tùm absolutis tùm relativis verè prædicantur contradictoria &c. Ergo &c. *Prob. min.* Essentia ante operationē intellectûs comunicatur Verbo, non communicatur Paternitas; Intellectus generat Verbum, non generat voluntas. Ergo de iis verè prædicantur duo contradictoria. 58

Resp. AA. 1mo. Quòd hoc argumentum nimium probet; adeoque nihil. Probat enim non tantùm formalem, sed etiam realem distinctionem: 1mo quia etiam eodem argumento usus est Gilbertus Porretanus ad probandam distinctionem realem inter essentiam ac personalitates divinas. 2do. quia juxta ipsos Scotistas distinctio debet esse proportionata contradictioni. Atqui contradictio, quæ datur in divinis inter essentiam ac paternitatem, aut alias relationes divinas, est realis simpliciter talis seu entitativa. Ergo talis etiam esse deberet distinctio. *Prob. min.* Quia filiatio in divinis verè realiter ac entitativè generatur; essentia hoc modô non generatur: essentia divina realiter ac entitativè communicatur; hoc modô non communicatur paternitas: essentia realiter strictè non distinguitur à Filio; è contrà Pater realiter strictè distingui-

tur

tur à Filio, &c. Atqui hæc sunt contradictoria. Ergo &c.

Resp. 2do. *neg. maj.* Quia, ut verificentur contradictoria de aliqua re ante operationem intellectûs, sufficit, quòd sit virtualiter multiplex; quæ enim sunt virtualiter multiplicia certè idem præstant, ac quæ actu sunt distincta, juxta effatum: *Quæ sunt dispersa in inferioribus, sunt unita in superioribus.* Itaque sicut calor, quem Sol procreat, potest id totum præstare, quod calor formalis, quem parit ignis; ita distinctio virtualis id omne præstat, quod distinctio actualis præstaret: & sicut anima rationalis, quia est eminenter vegetativa, sensitiva, & intellectiva, æquè bene gradum vegetativum, sensitivum, & rationalem confert, ac præstent tres animæ realiter distinctæ, quibus illa æquipollet; ita etiam distinctio virtualis, quæ consistit in eminentia rei virtualiter multiplicis & æquipollentis perfectionibus diversis tàm bene potest fundare prædicata contradictoria, quàm distinctio Scotistica.

Confirm. ex S. Thoma *qq. disp. q. 7. de potent. a. 1. ad 5.* ubi sic ait: *De eo, quod est idem re & differens ratione, nihil prohibet contradictoria prædicari; sicut patet, quòd idem punctum re, differens ratione, est principium & finis, & secundùm quod est principium non est finis, & è contrario. Unde cùm essentia & proprietates sint idem re, & differant ratione, nihil prohibet, quin unum sit communicabile & aliud incommunicabile.*

Resp. 3tio. Posse meritò dici majorem intercedere distinctionem inter attributa relativa, quàm absoluta, relatè ad essentiam divinam; hæc enim solùm virtualiter, illa verò etiam realiter inadæquatè distinguuntur; undè Pater identificatur toti essentiæ divinæ, hoc est omnibus prædicatis absolutis, non tamen totaliter seu adæquatè, quia non identificatur Filiationi & Spirationi passivæ, quibus identificatur essentia. Hinc varia prædicata contradictoria possunt verè & à parte rei affirmari de essentia, & negari de personis, ac vicissim; quia per illas non affirmatur & negatur idem de eodem realiter & adæquatè, sed solùm de eodem realiter inadæquatè, ut patet in his prædicationibus: *Paternitas non communicatur Verbo, Essentia communicatur Verbo*; in quibus quòd verè affirmatur de Essentia negatur de Paternitate, non propter distinctionem formalem ex natura rei, sed propter realem inadæquatam inter Patrem & Essentiam. Essentia namque includit, per identitatem, non modò Paternitatem, sed etiam Filiationem, & Spirationem passivam, quibus tamen non competit communicari. Et hoc ipsum est mysterium SS. Trinitatis, in quo nempe tota natura divina identificatur singulis personis divinis, non tamen totaliter, quia ita identificatur uni, ut simul etiam identificetur alteri realiter ab alia distinctæ.

Undè facile solvitur Argumentum Scotistarum, quod sic proponunt: Vel Filiatio & Spiratio sunt omninò idem à parte rei cum tota essentia, id est, cum omnibus prædicatis absolutis; vel non? Si non: Ergo Filiatio distinguitur à parte rei ab essentia divina, adeoque & Paternitas; cùm sit eadem ratio de Paternitate ac de Filiatione. Si sic: Ergo Pater, qui identificatur omnibus prædicatis absolutis, identificatur & Filiationi ac Spirationi, & consequenter non distinguitur à Filio & Spiritu sancto

Nam Resp. Filiationem & Spirationem esse quidem omninò idem cum tota essentia divina, non tamen adæquatè, atque adeo ab ea, quemadmodum & de Paternitate dicitur, realiter inadæquatè distingui. Itaque relationes to-

tam essentiam sibi vindicant, sed tamen non omnem ejus modum, non enim modum communicabilitatis, quæ essentiæ competit, sibi appropriant.

Inst. Filiatio æterni Filii, per æternam sui productionem vel addit aliquid ad essentiam improductam, vel nihil addit. Non primum; quia sic Filiatio esset formaliter diversa ab essentia. Non secundum; quia sic non haberetur à parte rei constitutiva Filii ratio & à Paternitate actu distincta, & totum negotium processionis in divinis consisteret in nostro conceptu.

Resp. Filiationem æternam addere ad essentiam divinam aliquid virtualiter, imò etiam realiter inadæquatè distinctum, non verò actu realiter aut formaliter adæquatè diversum hæc autem inadæquata distinctio non tollit identitatem inadæquatam, sed potiùs eam secum vehit; undè, non obstante ejusmodi distinctione, manet tamen, quòd Pater toti essentiæ identificetur, quamvis non totaliter.

Porro hæc identitas inadæquata eodem fermè modo se habet, quemadmodùm unio, quæ animam inter ac corporis membra intercedit; licèt enim v. g. pes uniatur cum tota anima, ut volunt Peripatetici, non tamen totaliter; quo fit, ut quamvis eadem anima se tota uniatur capiti, necesse tamen non sit, ut in capite pes sit, vel vicissim; & sanè si ex hoc, quòd pes cum tota anima uniatur, liceret inferre, quòd etiam totaliter cum eadem uniatur, sequeretur vel caput esse pedem, vel animam cum capite nullatenùs uniri. Sicut ergo non implicat, quòd pes cum tota anima, non tamen totaliter, uniatur, & id quidem ob ejusdem animæ virtualem extensionem; sic etiam non implicat Paternitatem cum tota essentia divina quidem identificari, non tamen totaliter, & hoc propter ejus infinitam perfectionem fœcunditatis virtualiter multiplicem.

Aliud adhuc exemplum suppeditari potest. Quamvis duratio Antichristi coëxistat toti æternitati, est enim æternitas indivisibilis; cùm sit *interminabilis vita tota simul & perfecta possessio;* nihilominùs non coëxistit ei totaliter; nam æternitas habet formalitates vel partes virtualiter distinctas, & secundùm partem virtualem, quæ correspondet tempori præsenti, benè dicitur, quòd Antichristus non sit in æternitate; secundùm verò partes, quæ correspondent, seu continent differentiam temporis, in qua iste aliquando erit, sic verum est dicere, quòd sit in æternitate.

Ita pariter secundùm quod essentia divina, utpotè habens formalitates virtualiter distinctas, æquivalet absoluto, communicabilis est; secundùm quod verò æquivalet relativo, v. g. Paternitati, communicabilis non est; & sic licèt Paternitas identificetur cum tota essentia, patet tamen ex hoc, quòd non identificetur ei identitate adæquata, sed tantùm inadæquata, quæ simul stat cum distinctione inadæquata.

At aliter dicendum venit de attributis absolutis relatè tùm ad se, tùm ad essentiam divinam. Nam intellectui, voluntati, aliisque perfectionibus divinis absolutis contradictoria non conveniunt actualiter ante operationem mentis, sed fundamentaliter duntaxat, seu virtualiter. Pro quo sciendum est, quòd hæ voces *intellectus, voluntas, justitia, misericordia, &c.* prout Deo tribuuntur, significent illas perfectiones, non ut à parte rei sunt unum & idem indivisibiliter, quippe eadem entitas est *intellectus & voluntas;* sed significant eas ut præcisas & distinctas conceptibus & connotatis; ideò enim exprimuntur diversis vocibus diversa, aut diversimodè significantibus. Hinc fit, quòd non possimus illis vocibus uti ad exprimendas istas perfectiones, ut sunt à parte rei, ubi nulla est

præ-

præcisio, distinctio, & diversorum connotatio, sed debemus uti aliis, quæ non denotant modum, quem habent sub præcisione intentionali, sed quem habent à parte rei independenter ab operatione intellectûs, quales sunt *entitas quæ est intellectus*, *entitas quæ est voluntas*: at tunc falsum erit, quòd entitas, quæ est intellectus, generet, non verò generet entitas, quæ est voluntas.

Unde ulteriùs cùm dicitur, *intellectus prout est à parte rei, independenter ab omni conceptu*, locutio hæc destruit se ipsam, & involvit contradictoria, scilicet hæc: *intellectus ut præcisus, & non præcisus*; adeoque in istis debet negari suppositum, quia perfectio, quæ est intellectus non est à parte rei, ut significatur hac voce *intellectus*, quæ ex usu Theologorum, prout tribuitur Deo, significat entitatem divinam sumtam præcisè sub ratione intellectûs, seu perfectionis æquivalentis intellectui creato, abstrahendo à voluntate, qualiter non est nec esse potest à parte rei.

Quamobrem cùm argumentantur Scotistæ, de fide certum esse, Filium à parte rei procedere per intellectum & non per voluntatem, ac proinde intellectum & voluntatem distingui formaliter ex natura rei, alioquin enim duo prædicata contradictoria, nempè *esse principium & non esse principium generationis*, verificarentur de eodem à parte rei, scilicet de intellectu & voluntate, quæ, seclusa distinctione formali ex natura rei, sunt omninò idem à parte rei. Cùm, inquam ita argumentantur, 1mo. negandum est suppositum; quia, ut modò dictum, intellectus & voluntas non sunt à parte rei prout istis vocibus significantur. 2do. *Dist.* Si intellectus & voluntas sumantur identicè seu materialiter, *neg.* quòd Filius non æquè procedat per voluntatem ac per intellectum; quia illa entitas, quæ à parte rei est principium generationis simul est intellectus, & simul etiam voluntas; in quo sensu verum erit dicerè, Verbum procedit per voluntatem, & Spiritus sanctus per intellectum: si verò sumantur formaliter, id est, si intellectus præcisè sumatur, sub ratione vis perceptivæ veri æquivalentis intellectui creato, voluntas verò sub ratione vis appetitivæ boni æquivalentis voluntati creatæ, *conc.* Sed tunc argumentum nihil evincit; nam sic non sunt idem cùm important diversas rationes formales, quas intellectus noster actu distinguit, & per simplicem apprehensionem multiplicat cum fundamento, quod datur in objecto ratione suæ eminentiæ & infinitæ perfectionis virtualiter multiplici.

Inst. Realis est veritas, quòd Pater generet per intellectum, & non per voluntatem. Ergo id fit independenter ab intellectu; & proinde inter intellectum & voluntatem datur quædam distinctio actualis ex natura rei.

Resp. *Dist. ant.* Realis est veritas, quòd Pater generet per intellectum, id est, per entitatem, quæ quidem est intellectus, non tamen voluntas, *neg.* per intellectum, id est, per entitatem, quæ à parte rei est quidem intellectus, sed etiam simul voluntas, à qua tamen non procederet Verbum, si non esset intellectus, sed solùm voluntas, *conc. ant.* Unde affirmativa in istis propositionibus contradictoriè oppositis, quæ enuntiantur de perfectionibus absolutis potest transmitti, neutiquam verò negativa; quia à parte rei omnia absoluta sunt prorsus idem; undè quod dicitur v. g. de intellectu, hoc etiam de voluntate dici debet.

Aliter adhuc Resp. cum *Dist.* Realis veritas est &c. quoad rem significatam, *conc.* quoad modum significandi, *neg. ant.* Itaque res significata est, quòd Pater generet per eam entitatem, quæ deno-

denotatur nomine intellectûs, quod verissimum est independenter ab omni mentis opera. Modus autem significandi est, quòd Pater generet per eam entitatem seu perfectionem præcisam ab ea, quæ significatur nomine voluntatis, quod à parte rei contingere nequit.

Ope harum binarum distinctionum facilè solvi posse, arbitrantur Thomistæ, omnia argumenta Scotistarum circa prædicationes, quæ videntur contradictoriæ; ut quòd Deus intelligat per intellectum & non per voluntatem; puniat per justitiam, non per misericordiam; quòd productio Filii sit generatio, non verò productio Spiritus sancti; quia hic per voluntatem, ille verò per intellectum procedit, &c. Hæc inquam, ut ajunt laudati Thomistæ, facilè solvi possunt, si duntaxat notetur, quòd v.g. productio Filii sit talis naturæ, ut procedat ab entitate divina, prout est perfectio æquivalens intellectui creato, ita quidem, ut si per impossibile hujusmodi non esset, ab ea non procederet, & si entitas, quæ in Deo est intellectus, distingueretur ab ea, quæ est voluntas, ab illa procederet productio Filii, non ab hac. Sic proportionaliter differendum est de productione Spiritus sancti ac aliis contradictoriis adductis vel adducendis. Ex quo constat, quòd noster intellectus non sine magno fundamento concipiat Filium procedere per intellectum, non verò Spiritum sanctum; Deum punire per justitiam, non verò per misericordiam.

Fatendum tamen est, quòd, si attributa divina considerentur ut connotant aliquid extra Deum vel ut effectum, vel ut objectum, sic concedi posse, quòd distinguantur realiter inadæquatè, siquidem complexum ex hoc connotante & ex hoc connotato non est idem realiter adæquate cum complexo ex eodem connotante & altero connotato, sed solùm inadæquatè, scilicet secundùm id tantùm, quod dicit in recto, non verò secundùm id, quod dicit in obliquo. Enimverò entitas Dei ut repræsentata conceptu justitiæ, & ut connotans pœnam, non est entitas Dei ut repræsentata conceptu misericordiæ, & ut connotans indulgentiam; undè sic spectatæ possunt de se invicem negari, sed certè hujusmodi mutua negatio videtur nonnisi dependenter ab intellectu fieri.

§. III.

Proponuntur argumenta, quæ contra Distinctionem Scotisticam pugnant, unà cum Scotistarum responsionibus. 59

Argumentum 1mum. ex auctoritate Conciliorum desumtum. 1mo. In Concilio Rhemensi an. 1148. cui præsedit Eugenius Papa III. definitum est: *Ne aliqua ratio inter naturam & personam divideret*, neve Deus divina essentia diceretur in sensu ablativi tantùm, sed etiam nominativi, hoc est, ne tantùm dicatur: *Pater Deitate est Deus, sed est ipsa Deitas.* Ubi Concilium nomine *rationis* non intelligit *rationem ratiocinatam*, alioquin distinctionem rationis ratiocinatæ etiam damnasset, quod nemo dixerit. Voluit ergò nomine *rationis* intelligere quamdam formalitatem, sicut & ipsemet Scotus intellexit, dum apud Radam *Controv. 4. ad 6. arg.* vocat magnitudinem & sapientiam *rationes*; undè & ipse Rada ait *not. 3.* formalitatem nihil aliud esse, quàm rationem objectivam, sub qua unaquæque res concipi potest ex natura rei.

2do. Concilium Lateranense IV. sub Innocentio III. an. 1215. celebratum; & habetur Cap. *Firmiter.* sic loquitur: *Pater & Filius & Spiritus sanctus tres quidem personæ, sed una essentia, substantia,*

stantia, seu natura simplex omninò. Atqui hæc omnimoda simplicitas omnem distinctionem ex natura rei videtur tollere. Ergo &c.

3tio. Concilium Florentinum sub Eugenio IV. an. 1438. celebratum Sess. 18. sic definiit: *Divina substantia & persona re quidem sunt idem, secundùm autem modum intellectionis nostræ differre videntur.* Quibus verbis distinctionem Scotisticam implicitè improbat, ita namque removet distinctionem realem, ut solam rationis admittat; quod expressiùs adhuc declarat *Sess.* 19. *&* 25.

Respondent Scotistæ, à nullo horum Conciliorum quidquam adversùs suam distinctionem definitum fuisse. Nam quoad Concilium Rhemense dicunt, quòd, dum prohibet, ne aliqua ratio inter naturam & personam divideret, id dixerit contra Gilbertum, qui inter attributa divina, tàm quoad se, quàm quoad essentiam distinctionem realem admittebat. Enimverò S. Bernardus *lib.* 5. *de Consid. c.* 7. ostendit Gilbertum admisisse inter essentiam & personalitates distinctionem numericam, quæ sanè est realis. Itaque prohibetur, ne ratio considerans distinctionem realem dividat, quod vel ex ipso divisionis nomine constat; hoc enim maximè importat distinctionem. Sic igitur contra distinctionem Scotisticam nihil definivit citatum Concilium.

Ad Concilium Lateranense Respondent, quòd summæ identitati non adversetur distinctio formalis sed tantùm realis ex natura rei, ut ex dictis paragraph. præced. & ex dicendis innotescit & innotescet.

Ad Concilium Florentinum ajunt, illud per hæc verba: *secundùm modum intellectionis nostræ.* non excludere distinctionem formalem, de qua tunc nulla prorsus erat controversia, sed realem duntaxat. Intendebant enim hujus Concilii Patres fidem explicare, & contra SS. Trinitatis hostes ostendere, inter essentiam & hypostases non esse distinctionem realem, sicut est inter personalitates. Mens ergo Concilii non fuit, inquiunt, distinctionem formalem destruere; cùm sit contra mentem Conciliorum id definire, de quo nulla in iis est quæstio. Prætereà Concilium istud opinativè duntaxat locutum est, ut verbum *videntur*, quod adhibet, apertè innuit; sicque Theologorum opinionibus præjudicium aliquod afferre minimè intendit.

Argumentum 2dum. ab Auctoritate SS. Patrum petitum. 1mo. S. Dionysius *de Divin. nom. c.* 2. sic ait: *Divinam totam substantiam, quidquid illa est, ipsa bonitas definit.* Et c. 13. *Unum,* inquit, *Deus est, quia omnia unicè est secundùm unicam eminentiam unitatis.* Atqui hoc dici non posset, si in ipso essent multæ ac divisæ ex natura rei formalitates. 60

2do. S. Basilius *Ep.* 80. *ad Eustachium Medicum. Quæcunque,* inquit, *nomina divina protuleris* (ut bonitas, justitia) *unum est perpetuò quod significetur.* At hoc in sententia Scoti verificari non potest; nam bonitas formaliter non est justitia juxta ipsum; adeoque bonitas perpetuò non significatur quod justitia. Clariùs adhuc rem exprimit idem S. Doctor *ibid.* cùm *Omnes,* inquit, *de Deo convenientes tàm notiones, quàm voces ejusdem sunt inter se dignitatis, eò quòd nullum habent in subjectæ rei significatione discrimen; non enim ad rem aliam manuducit intelligentiam nostram boni appellatio, ad aliam verò sapientis, potentis, & justi; sed quæcunque dixeris nomina, unum idemque per omnia significatur.* At juxta Scotistas, si Deum dixeris justitiam, per omnia non significas misericordiam, cùm justitia & misericordia ex natura rei formaliter inter se distinguantur.

3tio.

3tio. S. Gregorius Nyssenus *Orat.* 12. hæc eloquitur : *secundùm cogitationum differentiam nominibus Deum aliter & aliter appellemus, vel potentiam, vel imperium, vel bonitatem.* Et *lib. ad Ablavium. Omnem*, ait, *circa essentiam diversitatem rejicit divina simplicitas.* Quæ è diametro opponi videntur opinioni Scotistarum.

4to. S. Augustinus *lib.* 7. *de Trin. c.* 5. quærens: *bonitas & justitia nunquid inter se in natura rei, sicut in ejus operibus distant tanquam duæ diversæ sint qualitates Dei, una bonitas, alia justitia?* sic sibi respondet: *Non utique, sed quæ justitia bonitas ipsa, & quæ bonitas ipsa beatitudo, &c.*

5to. Denique, ut cætera aliorum Patrum testimonia prætereantur, S. Bernardus *lib.* 5. *de Consid c.* 7. sic ait: *Non est compositus Deus, merum simplex est, & ut noveris, quid simplex dicam, id quod unum tàm simplex Deus quàm unus est: est autem unus, quomodò aliud nihil, si dici possit, unissimus est.* Quibus verbis constare videtur, juxta hunc S. Doctorem nullam in Deo dari pluralitatem attributorum, cùm ipsa stare cum summa unitate nequeat.

Resp. Scotistæ, SS. Patres istos, ut & alios, si qui hanc in rem adducantur, intelligi debere de identitate reali, & de exclusione omnis realis distinctionis, non autem distinctionis formalis, de qua nulla apud ipsos controversia erat. Undè si mens SS. Patrum probè attendatur, palàm fiet, eos nihil aliud docuisse, quàm quòd sapientia, justitia, aliave attributa in Deo non sint qualitates seu accidentia sicut in nobis; &, ut id probent, ostendunt ea esse ipsammet Dei substantiam nempe realiter, quod sufficit ad eorum intentum, cui nullatenùs obest distinctio formalis.

Inst. S. Bernardus *Serm.* 8. *in Cant.* dicit veriorem & saniorem esse prædicationem in abstracto, quàm in concreto v. g. hanc : *Deitas est sapientia*, quàm istam: *Deus est sapiens.* Atqui hoc non dixisset, si credidisset sapientiam non esse formaliter Deitatem. Ergo &c.

Resp. S. Doctorem hunc id ideò dixisse, ut scilicet ostenderet per prædicationem in abstracto magis removeri periculum erroris, quàm per prædicationem in concreto; nam cùm in concreto aliquando prædicetur forma à subjecto distincta, prout liquet in hac propositione, *Homo est sapiens.* posset aliquis existimare, audita hac propositione: *Deus est sapiens*, quòd Deus distinguatur à sapientia, quemadmodùm homo ab ea distingui cognoscitur. In abstracto autem prædicatum cum subjecto perpetuò identificatur, & ideò dicit, hanc esse illâ veriorem & saniorem, quo palam fit, non fuisse intentionem S. Bernardi ibi excludere distinctionem formalem ex natura rei inter attributa & essentiam divinam, &c.

Argumentum 3tium. desumitur ex ratione summæ simplicitatis divinæ, quæ tollitur per distinctionem formalem ex natura rei. Hac enim posita sequitur, quòd Deus sit compositus ex pluribus à parte rei distinctis.

Confirm. Quia pluralitas ac multitudo attributorum repugnat unitati compositionis experti. Atqui unitas compositionis expers in Deo est simplicitas divina. Ergo pluralitas ac multitudo attributorum repugnat simplicitati divinæ. *Maj. prob.* pluralitas & multitudo attributorum divinorum, vel est composita vel non seu incomposita? si primum, ergo hoc ipso repugnat simplicitati divinæ, quatenùs est compositionis expers. Si secundum, ergo illi repugnat, quatenùs est unitas. Ergo &c.

Resp. Ad argum. *neg. seq.* eò quòd ad compositionem non sufficiat sola distin-

stinctio plurium, cùm hæc ex natura sua nullam involvat compositionem, possitque dari distinctio sine ulla compositione, ut patet in divinis personis; sed insuper requiritur, ut plura distincta sint compossibilia inter se per modum potentiæ & actûs: porro attributa & essentia, licèt ab invicem formaliter distinguantur, sunt tamen actus purissimi, ac consequenter nullam efficere possunt compositionem.

Ad Confirm. Resp. *neg. maj.* ad ejus prob. dicunt, quòd talis pluralitas attributorum non sit composita: hujus autem illatum sic distinguunt; Ergo illi repugnat, quatenus est unitas opposita distinctioni, *conc.* quatenus est unitas opposita compositioni, *neg. illat.* Pluralitas igitur attributorum opponitur illi unitati, quæ dicit negationem distinctionis, non autem illi unitati, quæ dicit negationem compositionis: cùm ergo simplicitas divina dicat negationem compositionis, non autem distinctionis; quia aliàs personæ divinæ distingui inter se nequirent; hinc pluralitas attributorum nullatenùs repugnat simplicitati divinæ, quemadmodùm eidem non repugnat pluralitas personarum.

Inst. 1mo. Pluralitas opponitur indistincto. Atqui indistinctum est quid simplex. Ergo hoc ipso pluralitas attributorum opponitur simplicitati.

Resp. *Dist min.* Atqui indistinctum ut incomponibile & incompositum ex actu & potentia est quid simplex, *conc.* secùs, *neg. min. &c.* Itaque id, quod est in se indistinctum, in tantùm dicitur simplex, in quantùm dicit negationem compositionis per modum actûs & potentiæ; quòd si enim ita sit indistinctum, ut tamen componatur ex actu & potentia, jam tunc in eo desinit ratio simplicitatis.

Inst. 2do. Illud non potest dici Ens simplicissimum, quod perficitur ab alio. Atqui si ipsa attributa divina distinguerentur formaliter ex natura rei tàm inter se, quàm inter ipsam essentiam divinam, tunc ipsa ab eis perficeretur, cùm per illa formaliter aliquid esset, quod in se formaliter non est. Ergo non posset dici Ens simplicissimum.

Confirm. Attributa divina, si essent distincta formaliter ex natura rei, tribuerent ipsi essentiæ divinæ intrinsecam ac formalem denominationem, quòd e. g. esset sapiens, justa, &c. Atqui quidquid ita tribuit denominationem intrinsecam alteri, id illud perficit tanquam perfectibile. Ergo &c.

Resp. Ad arg. *neg. min.* quòd nempè essentia divina tanquam quid perfectibile à suis attributis perfici possit; cùm enim sit actus purissimus, fieri non potest, ut quædam potentialitas concipi possit. Vel etiam *Dist.* Essentia divina perficitur ab attributis, ut distincta à distinctis actu à parte rei, in summa actualitate excludente omnem potentialitatem, *conc.* ut modò actuandam per supervenientem formam, *neg.*

Ad Confirm. *Dist. maj.* Attributa divina, si essent distincta formaliter ex natura rei tribuerent essentiæ divinæ intrinsecam ac formalem denominationem, &c. per modum actûs & actûs, *conc.* per modum actûs & potentiæ, *neg. maj.* &c. Quamvis attributa divina tribuant essentiæ divinæ denominationem, quòd e. g. sit justa, eam tamen ceu perfectibilem neutiquam perficere possunt, eò quòd sit actus purissimus, à quo abesse necessum est omnis potentialitas, perfectibilitas, &c.

Inst. 3tio. Ubi adest determinativum ac determinabile, ibi perfectibilitas locum habet. Atqui si daretur distinctio Scotistica, daretur determinativum & determinabile. Ergo daretur perfectibilitas, & consequenter ipsa essentia divina à suis attributis ceu perfectibilis perfice-

ficeretur. *Maj.* patet; quia quidquid determinatur ab altero, per illud reducitur in actum, ac proinde ab eo perficitur. *Min. prob.* Ibi datur determinativum ac determinabile, ubi unum determinat alterum. Atqui attributa divina in sententia Scotistarum determinant ipsum *esse divinum* ad *esse tale.* Ergo &c.

Resp. Ad argum. *Neg. min.* Ad ejus *prob. Dist. maj* Ibi datur determinativum ac determinabile, ubi unum determinat alterum per modum potentiæ & actûs, *conc.* per modum actûs & actûs, *neg. maj.* &c. Itaque essentia divina semper intelligitur determinata, cùm sit actus purissimus & nunquam determinabilis, atque adeò excludit omnem perfectibilitatem.

Inst. 4to. Sine atrributis essentia divina non habet, quòd sit formaliter justa, sapiens, &c. Ergo aliquid acquirit à suis attributis, ac proinde ab iis perficitur.

Resp. *neg. cons.* Quia in essentia divina non potest dari transitus à non esse ad esse tale; eò quòd sit Ens actualissimum. Decipiuntur itaque adversæ partis Theologi (inquiunt Scotistæ) dum existimant essentiam divinam ut distinctam à parte rei à suis attributis non esse Ens actualissimum; si enim eam ita conciperent, facilè intelligerent illam à suis attributis nihil acquirere posse, sed præcisè in sua actualitate semper fuisse talem per sua attributa tanquam per aliquid à se formaliter distinctum sine ulla potentialitate.

Inst. 5to. Essentia divina ut distincta formaliter ex natura rei vel importat carentiam suorum attributorum, vel non: si primum, non potest dici actus purissimus, cùm sic non habeat omnem perfectionem: si secundum, tunc malè dicitur distincta à suis attributis.

Resp. Essentiam divinam ut sic in suo conceptu non dicere carentiam suorum attributorum; alioquin non esset Ens actualissimum; sed negationem duntaxat identitatis in conceptu formali: non tamen indè sequitur eam à suis attributis malè dici distinctam; toto enim cœlo differunt carentia attributorum & negatio identitatis eorum. Sic e. g. in sententia Peripateticorum materia prima unita formæ dicit negationem identitatis cum forma, non tamen carentiam ipsius.

Inst. 6to. Saltem Deus intelligeretur simplicior, si attributa non distinguerentur ex natura rei formaliter. Ergo cùm Deo tribui debeat simplicitas, qua major cogitari nequeat, sic non debet admitti ejusmodi distinctio.

Resp. 1mo. *neg. supposit.* Quòd nempè simplicitas opponatur distinctioni; alioquin non posset admitti Trinitas in personis.

Resp. 2do. Quòd quidem Deo attribui debeat omnimoda simplicitas, sed quæ sit possibilis, non verò impossibilis: fieri autem non potest, quin attributa à se invicem non distinguantur formaliter ex natura rei, cùm ante mentis operam sint contradictoriorum susceptiva.

Resp. 3tio. Argumentum istud nimium probare, adeoque nihil. Ex eo enim evincitur, neque distinctionem rationis ratiocinatæ admittendam esse; quod tamen Adversarii non concesserint.

Inst. 7mo. Per distinctionem rationis ratiocinatæ longè magis simpliciras Dei salvatur, quàm per distinctionem ex natura rei formalem. Ergo &c.

Resp. *Dist. ant.* Magis salvatur cum quadam imperfectione, *conc.* citra sequelam imperfectionis alicujus. *neg. ant.* solutio hæc patet ex Argumentis paragraph. præced. adductis.

Argu-

62 Argumentum 4tum. sumitur ex ratione Unitatis divinæ. Nam si daretur distinctio ex natura rei formalis inter essentiam divinam & ejus attributa, Deus non esset unissimus, si ita loqui fas est. Atqui juxta S. Bernardum suprà laudatum aliosque SS. Patres Deus est unissimus, seu summa unitas. Ergo &c.

Resp. Scotistæ, Deum esse unissimum realiter, seu in Deo dari summam unitatem realem, non tamen formalem, quæ non requiritur, imò implicat; cùm aliàs principia productiva personarum in divinis inter se non essent à parte rei distincta, ac consequenter Spiritus sanctus æquè procederet per intellectum ac Filius, sicque etiam esset vera imago Patris, quod non admittitur.

Inst. 1mo. Quemadmodùm Deus tàm simplex est, ut omnem prorsus excludat compositionem tàm realem quàm formalem ex natura rei: ita etiam tàm unus est, ut excludat omnem distinctionem actualem tàm realem quàm formalem ex natura rei; sicut enim compositio opponitur simplicitati, ita distinctio actualis opponitur unitati identitatis. Ergo &c.

Resp. *neg. ant.* & *parit.* Disparitas est, quia cùm compositio nonnisi ex potentia & actu fieri possit, sic rationem imperfectionis habet. At ipsa distinctio nullam dicit imperfectionem, ut constat in personis divinis; unde illa magis abesse debet à divinis, quàm ista.

Inst. 2do. Quod opponitur unitati est imperfectio. Atqui distinctio opponitur unitati. Ergo quemadmodum compositio à divinis abesse debet, sic & distinctio. *Maj. prob.* Unitas est perfectio. Atqui quod perfectioni opponitur est imperfectio. Ergo &c.

Resp. Ad Arg. *neg. maj.* Ad ejus prob. *Dist. maj.* Quod opponitur unitati reali in divinis est imperfectio, *conc.* Quod opponitur unitati formali est imperfectio, *neg. maj.* Itaque distinctio, quæ in divinis reperitur, non debet opponi unitati reali, quia hoc involveret imperfectionem, ut constat ex dictis; sed sufficit, si opponatur unitati formali, & in hoc salvatur summa unitas.

Inst. 3tio. Ens summè unum ac illimitatum est summè indistinctum. Ergo etiam debet posse opponi unitati formali, alioquin non esset summè indistinctum. *Prob. ant.* Ens distinctum ab altero est limitatum, cùm ibi finiatur, ubi est distinctum ab altero. Ergo è contrà Ens summè unum & illimitatum est summè indistinctum.

Resp. ad 1mum. *Neg. ant.* Ad ejus *prob.* pariter *neg. ant.* Quia alioquin sequeretur, quòd Pater divinus sit limitatus, cùm distinguatur à Filio. Vel *Dist. idem ant.* Omne distinctum ab altero est limitatum, si sit finitum, *conc.* si sit infinitum, *neg. ant.* &c. Itaque distinctio in divinis tantùm dicit *alietatem*, id est, quòd unum non sit aliud, non verò *limitationem*.

Inst. 4to. Sicut summa indistinctio fundatur in illimitatione, sic è contrà summa distinctio fundatur in limitatione extremorum. Atqui distinctio formalis ex natura rei est summa distinctio; quia est per magis intrinseca. Ergo &c.

Resp. *Trans. maj. neg. min.* Ad rationem adjectam Resp. Accidens esse respectu distinctionis, quòd sit per intrinseca aut extrinseca: Undè sicut non sequitur. *Album est dulce, quia dulcedo albedini est accidentalis. Ergo magis album est magis dulce.* Ita nec sequitur propter eandem rationem: *Distinctio per intrinseca est distinctio. Ergo distinctio per magis intrinseca est major distinctio.* Not. Dictum est *Trans. maj.* quia absolutè pos-

possset negari; nam in divinis inter Patrem & Filium datur summa distinctio, neutiquam autem limitatio.

63 Argumentum 5tum. petitur ex infinitate ipsius essentiæ divinæ, quæ videtur auferri per distinctionem formalem Scotisticam. Nam illud non est formaliter infinitum in perfectione, quod in suo conceptu formali non includit omnem perfectionem simpliciter simplicem. Atqui data distinctione Scotistica essentia in suo conceptu formali non includeret omnem perfectionem simpliciter simplicem, ut constat. Ergo &c.

Resp. Scotistæ. *Dist. maj.* Illud non est formaliter infinitum in perfectione, quod in suo conceptu formali non includit omnem perfectionem simpliciter simplicem, neque radicaliter, neque formaliter, *conc.* tantùm formaliter, *neg. maj.* & *Dist. min.* Atqui essentia &c. non includeret formaliter, *conc.* radicaliter, *neg. min. &c.* Itaque duplex distinguenda est infinitas, radicalis videlicet & formalis; hæc convenit attributis divinis, vi cujus quodlibet attributum divinum identicè omnem includit perfectionem; illam vero sibi vendicat essentia divina ut sic, cùm sit tàm perfecta, ut perfectior concipi nequeat; quare licèt à parte rei non sit sua attributa, non tamen in sua ratione formali finita esse potest, sed est essentialiter Ens summum, ac pelagus omnium perfectionum.

Inst. 1mo. Essentia divina per attributa divina intelligitur major, quàm sine ipsis. Ergo non potest esse Ens summum in suo conceptu.

Resp. *neg. ant.* Cùm enim essentia divina actualissimè sibi identificet omnem omninò perfectionem, sic implicat, ut in eam cadere possit majoritas aut minoritas in perfectione.

Inst. 2do. Essentia divina ut sic vel est formaliter justa, vel non? si primum; ergò formaliter non distinguitur à suis attributis. Si secundum; ergo non erit infinita, sed formaliter limitata; quod non admittitur.

Resp. Ipsam essentiam divinam ut sic non esse formaliter justam; non tamen exindè sequitur, quòd non sit infinita aut illimitata; quia, ut jam dictum, in ratione essentiæ tanta est, ut nec esse nec cogitari possit ulla essentia majoris perfectionis, utpotè cùm sit radix ac pelagus infinitarum perfectionum.

Inst. 3tio. Essentia divina, cùm sit infinita, debet etiam formaliter includere omnem perfectionem. Ergo nulla solutio. *Prob. ant.* Quia alioquin daretur majus & minus. *Prob.* Quia essentia divina à parte rei esset identicè major quàm formaliter, eò quòd identicè esset justa, sapiens, &c. non autem formaliter. Ergo &c.

Confirm. Vel essentia divina in suo conceptu formali includit tot perfectiones, quot in conceptu identico, vel non? Si primum; ergo non distinguitur à suis attributis. Si secundum; ergo jam in Deo admittitur majus & minus.

Resp. Ad arg. *neg. ant.* Ad ejus *prob. neg.* suppositum, nempe quòd in summa actualitate intelligi possit majoritas & minoritas. Ad illius *prob. neg. ant.* quia essentia divina non est aliter distincta à suis attributis, quàm prout illa simul habet actu à parte rei actualissimè cum exclusione omnis potentialitatis; & sic non est major identicè, quàm formaliter.

Ad Confirm. Resp. Aliud esse essentiam divinam in suo conceptu formali non includere illas perfectiones, quas dicit in conceptu identico; & aliud esse essentiam in conceptu formali non include-

cludere tot perfectiones, quot in conceptu identico: illud facilè admittitur, sed hoc negatur, quia arguit imperfectionem. Undè negatur Suppositum, scilicet quòd actus purissimus, quemadmodùm est essentia divina, tantam & non tantam perfectionem in se continere queat.

Inst. 4to. Essentia divina identicè se magis extendit, quàm formaliter. Ergo tantæ perfectionis non est formaliter quàm identicè.

Resp. *neg. ant.* Quia se magis extendere & non extendere dicit potentialitatem, quæ in essentia divina, utpotè summa actualitate inveniri inquit.

Inst. 5to. Ergo essentia divina erit tanta formaliter, quanta identice. Atqui formaliter tanta non est, quanta est identicè. Ergo &c.

Resp. Illam nec formaliter esse tantam, quanta est identicè, nec etiam non esse tantam; sed solùm esse distinctam: non est quidem tanta formaliter quanta est identicè; quia alioquin tolleretur distinctio ex natura rei; nec etiam est non tanta formaliter, quanta est identicè, quia hoc arguit imperfectionem, tollitque rationem summæ actualitatis.

Neque dicatur, quòd, si non sit tanta formaliter, quanta est identicè, tunc per sua attributa in esse formali possit perfici, ac etiamnum perficiatur.

Nam contrà est, quòd essentia divina per sua attributa tantùm reddatur formaliter talis, non verò perfectior, quamvis enim attributa divina sint perfectiones simpliciter simplices, nequeunt tamen essentiam divinam ceu perfectibilem perficere, sed eam tantum reddunt formaliter talem; quod exinde liquet, quia essentia divina de facto se non aliter habet à parte rei, nisi ut simul habens omnem omninò perfectionem.

Argumentum 6tum. desumitur ex infinitate attributorum divinorum, quæ videtur auferri ab eis, si distinguantur formaliter ex natura rei ab essentia divina; nam ut sic distincta, non essent formaliter Deus. Ergo ut sic non essent infinita. 64

Resp. Scotistæ. Illa formaliter non esse ipsum Deum, sed aliquid Dei; non tamen propterea desinere esse infinita, cùm sint actualissimè cum essentia divina identificata.

Inst. 1mo. Quod est aliquid Dei, est ipse Deus. Atqui, ut concessum est, attributa divina, ut v. g. sapientia, justitia, &c. sunt aliquid Dei. Ergo & ipse Deus.

Resp. *Dist. maj.* Quod est aliquid Dei, est ipse Deus identicè vel realiter, *conc.* Formaliter, *neg. maj.* &c. Itaque v. g. sapientia divina, si sumatur identicè ac realiter, est quidem ipse Deus; si verò sumatur formaliter, est aliquid Dei.

Inst. 2do. Si sapientia sumta formaliter non est ipse Deus, sed aliquid Dei, tunc hæc sapientia vel esset aliquid divinâ naturâ superius, vel æquale, vel inferius. Neutrum dici potest: non primum; quia naturâ divinâ nihil superius concipi potest: non secundum; quia sic plures essent essentiæ divinæ, ac consequenter plures Dii: non denique tertium; quia sic esset creatura, adeoque Deus esset sapiens per creaturam, quod implicat. Ita argumentabatur S. Bernardus contra Gilbertum. Vid. ipsius *Serm.* 80. *in Cant. n.* 6.

Resp. Sapientiam divinam formaliter distinctam ex natura rei ab essentia divina neutrum horum esse; quia ista omnia important imperfectionem. At quia posset dici, quòd Gilbertus eadem responsione uti potuisset: Resp. quòd, cùm Gilbertus adstruxerit distinctionem realem in-

ter attributa ac essentiam divinam, hoc ipso etiam admiserit attributa esse res diversas; jam, cùm omnis res dicat quidditatem seu essentiam, indè benè concludebat S. Bernardus sequi ex distinctione Gilberti plures esse Deos, seu plures essentias divinas: at hoc ex distinctione formali ex natura rei neutiquam argui potest.

Inst. 3tio. Si sapientia divina esset formaliter distincta à reliquis attributis, tunc jam formaliter infinita non esset. Falsum conf. Ergo &c.

Resp. Quòd illa *coercitatio* seu limitatio tantùm tollat confusionem, non verò perfectionem aut infinitatem; eò quòd sapientia divina identicè sit identificata cum essentia Divina, adeoque sit summa actualitas.

Inst. 4to. Esse primam radicem omnium illorum, quæ de Deo dicuntur, vel est perfectio, vel non? Non primum; quia sic attributa divina in hoc excederentur ab essentia divina, & sic non essent infinita: neque secundum; quia sic sequeretur, quod essentia ut sic non sit purissimus actus.

Resp. Esse primam radicem omnium perfectionum esse quidem perfectioné non tamen sequi indè quemdam excessum in perfectione, sed tantùm quod non sit eadem formaliter perfectio in attributis divinis, quæ in essentia divina.

65 Argumentum 7timum. desumitur ex variis aliis rationibus. 1mo. Quia Deus unum attributum sine altero intelligere nequit. Ergo ea formaliter ex natura rei distincta non sunt.

Sed facilè Resp. Deum quidem unum attributum sine altero intelligere non posse, non ob eorum indistinctionem formalem; sed certè tantùm propter ejus omniscientiam.

2do. Si attributa divina essent formaliter distincta ab essentia divina, tunc non tantùm daretur Mysterium Trinitatis, sed etiam, si fas sit dicere, Centeneitatis; cò quòd attributa inter se ita essent distincta, ut tamen in essentia divina identificarentur.

Resp. Mysterium. Trinitatis non dari, nisi ubi personæ sunt à se invicem à parte rei distinctæ habentes eandem numerô essentiam cum oppositione relativa: cùm igitur nullum attributum sit persona habens oppositionem erga alterum; hinc efficere nequeunt ullum mysterium, tametsi concipiantur inter se distincta & simul identificata in divina essentia.

3tio. In divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio. Ergo &c.

Resp. Omnia esse unum unitate reali, non formali.

4to. Justitia & bonitas in divinis sunt duæ formalitates. Ergo & duæ entitates. Atqui duæ entitates realiter distinguuntur; quia ubi distinctio entitativa, ibi est distinctio realis. Ergo &c.

Resp. Esse quidem duas formalitates, duasque realitates, non tamen duas entitates; quia, ut sint duæ realitates sufficit, quòd sint à parte rei duæ perfectiones licèt ejusdem rei, cui identificantur: ut autem duæ sint entitates non debent eidem rei identificari, cùm identificatio impediat entitatum multiplicationem. Si tamen per *entitatem* intelligatur id, quod præcisè opponitur nihilo, aut enti ficto, tunc conceditur, quòd sint duæ entitates; sed tunc argumentum nihil evincit; quia entitas sic sumta idem est ac formalitas.

§. IV.

§. IV.

66 *Ulteriores Rationes & fundamenta seu argumenta, quibus Thomistæ persuadere conantur distinctionem Scotisticam esse rejiciendam.*

QUamvis pleraque, quæ adversùs Scotistas adducta hactenùs sunt argumenta non sufficienter urgere videantur, ac per eorum Responsa satis superque enerventur; tamen censent aliqui eorum nonnulla falsô laborare suppositô.

67 I. Enim supponunt Scotistæ non dari compositionem sine ratione potentiæ & actûs, quæ in divinis perfectionibus non reperitur. Sed hoc Thomistis videtur esse falsum suppositum; nam 1mo. etiam datur compositio integralis sine propria ratione potentiæ & actûs. 2do. Compositio definitur absolute *Distinctorum unio*. Ergo sive comparentur per modum actûs & potentiæ, sive non, modò sint unita, tunc efficiunt compositionem. 3tio. Si divinæ perfectiones nullo nexu copulentur, tunc erunt aggregatum per accidens, quod non est dicendum; si verò uniuntur aliquâ copulâ, tùm quæritur, quænam illa sit? 4to. Communis est sententia personam Christi Domini esse compositam ex natura divina & humana; neutra tamen est potentia vel actus respectu alterius. 5to. Denique S. Anselmus *Monol c. 16.* infert negationem pluralitatis in natura divina ex negatione compositionis his verbis: *Cùm illa summa natura nullo modo composita, sit, & tamen omnimodò tota illa bona sit, necesse est ut illa omnia non plura, sed unum sint.* Ergo, inferunt Thomistæ, si illa aliquo modo essent plura, natura esset aliquo modo composita; ac proinde si in Deo detur perfectionum distinctio formalis ex natura rei, etiam dabitur compositio formalis ex natura rei.

Neque sufficienter hîc satisfacere Scotistas, contendunt memorati Theologi, quando Respondent, summam Dei simplicitatem stare cum Trinitate personarum realiter distinctarum; proindè non implicare, quòd eadem summa Dei simplicitas stet cum distinctione actuali formali divinarum perfectionum.

Nam, reponunt Thomistæ, maxima est disparitas inter attributa & personarum Trinitatem. Personalitates enim simul sumtæ non constituunt quid unum, nec ingrediuntur constitutionem naturæ; singulæ enim constituunt unam personam simplicem ab aliis realiter distinctam, atque adeò componere nequeunt; nec proinde simplicitati naturæ divinæ officere possunt. At verò attributa divina constituunt quid unum, & ingrediuntur constitutionem naturæ; fit enim essentia divina sapiens per sapientiam, justa per justitiam, &c. quæ certè compositio seu, si mavis, constitutio videtur derogare simplicitati divinæ: nam datô, non concessô, quòd perficiatur ab illis per modum actûs & actûs, ut ajunt; attamen essentia divina longè simplicior conciperetur, si per semetipsam esset sapiens, justa, &c. Deinde hoc argumentô æque probaretur realem etiam attributorum distinctionem nihil officere divinæ simplicitati, quod apertè falsum est.

II. Supponunt Scotistæ essentiam divinam ut distinctam formaliter à parte rei à suis attributis semper concipi ut actum purissimum ac proindè nullatenùs esse perfectibilem respectu attributorum, quamvis ab eis denominationem sortiatur. At id Thomistis rursus videtur esse falsum suppositum; quia essentia ut distincta formaliter ex natura rei à suis attributis concipitur sine iisdem attributis

butis sibi identificatis, vel saltem ab iis abstrahit. Ergo sic concipi non potest ut actus purissimus; quò enim essentia divina instar actûs purissimi concipiatur, necesse est, ut concipiatur quà habens & identificans sibi formaliter omnem omninò perfectionem, id enim pertinet ad rationem formalem actûs purissimi: cùm igitur essentia divina formaliter distincta à suis attributis formaliter sibi non identificet sua attributa, sequitur, quòd tunc concipi nequeat ut actus purissimus, ac proindè dicat potentialitatem respectu suorum attributorum.

Hæc Thomistæ & Theologi illi qui distinctioni Scotisticæ adversantur. Quibus ab ipsis adhuc adduntur sequentes rationes:

68 I. est; quia sententia Scotistica nimiam habere videtur cum opinione Gilberti Porretani affinitatem. Nam 1mo. Scotistæ ex iisdem principiis suam stabilire videntur sententiam, quibus & suam stabilivit Gilbertus; nempe ex vi contradictoriorum, quæ à parte rei prædicantur de attributis tùm relatè ad se tùm ad essentiam divinam. 2do. Quia Gilbertus in hoc non erravit, quòd dixerit attributa esse res, hoc enim omnes Doctores, si solos Scotistas excipias, docent; sed & neque quidquam circa hoc controversum est, minùs ab Ecclesia definitum. Sed in hoc erravit, quòd nimirùm posuerit distinctionem à parte rei inter ea, quæ quidem à Scotistis vocantur duntaxat *formalitates*, ab aliis verò *res*. Undè sententia Gilberti nomine tantùm & non re differre videtur à sententia Scoti. Si enim attributa divina *res* nuncupari debeant, tunc sententia Scoti erit sententia Gilberti, quippe tunc erit realis.

Nec valere, ajunt Anti-Scotistæ, si dicatur, quòd attributa divina *res* nuncupari possint sed tantùm latè, in quantùm scilicet opponuntur nihilo seu enti ficto; non autem strictè aut strictissimè, adeoque distinctio Scotistica in aliquo sensu possit dici realis, in quantùm nempe hujusmodi distinctio non intercedit inter entia ficta. Nam

Contrà regerunt, quòd neque Gilbertus attributa divina ut distincta ab essentia divina existimaverit esse strictè *res*, nimirùm sumendo ea pro essentia quadam; illa enim essentia fuisset divina, & sic apertè docuisset plures esse Deos: neque ea sumendo tanquam strictissimè *res*, scilicet pro quidditate singulari; sic enim rursus manifestè docuisset, quot attributa tot personas esse; quæ de tanto Doctore, cujus subtilem doctrinam se vix capere posse fassus est ipse summus Pontifex, nemo cum veritate proferre audebit. Itaque respexit Gilbertus attributa divina ut *res* latè sumtas, nempè tanquàm perfectiones seu formas absolutas in Deo formaliter existentes, prout constat ex dictis sup. §. 1. Et quia docuit inter ea distinctionem ex natura rei reperiri, ideò ejus sententia reprobata fuit à Concilio. Hæc porro non eo animo & consilio à se dicta volunt Anti-Scotistæ, velut expressè damnatam fuisse Scoti opinionem velint; nec enim ignorant eam publicè & liberè propugnatam fuisse, & etiam hodiedum adhuc propugnari, Ecclesiâ aut summis Pontificibus neutiquam reclamantibus. Igitur arguendo duntaxat, non affirmando hæc à se prolata fatentur.

II. Ratio est; quia SS. Patres distinctionem adæquata divisione dispertiverunt in realem, & rationis, atque in divinis duntaxat distinctionem virtualem admisère, ut constat ex suprà dictis. Quòd siquidam speciebus huic distinctioni adversari videantur, ii potiùs videntur favere Gil-

Gilberto, aut aliis, qui inter attributa divina & essentiam distinctionem realem admittunt, quàm Scotistis. Scotus quippe omnium primus dicitur, qui distinctionem formalem ex natura rei excogitavit. Potuerunt ergo SS. Patres explicare, quomodò essentia communicetur, non verò communicetur Paternitas; quomodò Pater per intellectum generet, non verò per voluntatem, absque adminiculo sententiæ Scotisticæ; cur id etiam non poterimus, inquiunt Anti - Scotistæ?

III. Ratio est; quia inutilis esse videtur Scotistica opinio ad salvanda in divinis contradictoria; nam distinctio formalis ex natura rei non tollit identitatem realem, quæ v. g. inter Paternitatem ac essentiam divinam intercedit. Itaque cùm essentia divina realiter communicetur Filio, necesse etiam est, ut Paternitas cum essentia divina realiter identificata eidem Filio realiter communicetur. At sic tolleretur Mysterium SS. Trinitatis; quia verum esset, quòd in sensu identico & reali Pater sit Filius. Videtur ergo, quòd sententia Scotistica ad salvanda in divinis contradictoria parùm aut nihil prosit.

IV. Ratio est; quia distinctio numerica est distinctio realis. Atqui inter formalitates divinas datur distinctio numerica: attributa enim sunt numerô plura in sententia Scotistica. Ergo &c.

V. Ratio est; quia si daretur talis distinctio Scotistica inter attributa, ea etiam reperiretur inter prædicata quidditativa. Atqui inter hæc reperiri non potest. Ergo &c. *Prob. maj.* ex Rada celebri Scotista *controv.* 4. *not.* 4. ubi sic ait: *Distinctio formalis datur inter ea, quæ habent distinctas rationes formales objectivas, seu distinctos conceptus objectivos, ita quod unum non includat aliud in sua ratione formali.* Atqui hujusmodi se habent prædicata quidditativa. Ergo &c. Confirmatur. Ideò talis distinctio datur inter ipsa attributa, quia unum formaliter non est alterum. Atqui etiam unum prædicatum quidditativum formaliter non est alterum; sic enim Ens formaliter non est Substantia, Substantia non est formaliter vivens, &c.

Jam prob. Min. Argumenti. 1mo. quia sequeretur in Deo dari compositionem ex genere & differentia; hæc enim prædicata quidditativa se habent sicut superius & inferius. Atqui hanc compositionem rejiciunt Scotistæ. Ergo, &c. 2do. quia alioquin essentia divina esset aliquod totum constitutum essentialiter ex illis tanquam partibus metaphysicis; cùm aliàs hoc ipso prædicata quidditativa non essent. 3tio. quia cùm forent infinita, jam unum infinitum posset esse constitutivum alterius infiniti, scilicet essentiæ divinæ; & unum infinitum posset excedere alterum infinitum, ratione nimirùm suorum constitutivorum essentialium. 4to. Denique; quia essentia divina à parte rei primò non esset à se, sed ab aliis.

§. V.

Proponitur Sententia Anti - Scotistarum, præcipuè autem Thomistarum circa distinctionem, quæ intercedere videtur inter essentiam divinam & ejus attributa, &c. 69

Ex hactenùs dictis facilè patet quænam hîc sit Anti - Scotistarum seu Thomistarum opinio. Nempe hi tuentur

I. Essentiam divinam ab attributis, & attributa à se invicem distingui distinctione rationis ratiocinatæ. Et rationem assignant; quia, inquiunt, illa distinguuntur ratione ratiocinata, quæ per mentem distinguuntur cum fundamento in re. Atqui essentia divina distinguitur ab attributis, & attributa à se

ſe invicem cum fundamento in re. Ergo &c. *Prob. min.* Ea diſtinguuntur per mentem cum fundamento in re, quæ ſunt virtualiter multiplicia. Atqui eſſentia divina & attributa ſunt virtualiter multiplicia. Ergo &c. *Maj.* conſtat; virtualis enim multiplicitas idem efficit ac actualis multiplicitas; ſicut igitur ea, quæ actu multiplicia ſunt, præbent intellectui fundamentum, ut ſine ſe invicem concipiantur; ita etiam ea, quæ ſunt virtute multiplicia. Itaque *prob. min.* Ea ſunt virtualiter multiplicia, quæ æquivalent pluribus perfectionibus, vel quæ in ſe adunant plures perfectiones, quæ actu in creatis diſtinguuntur. Atqui tàm eſſentia quàm attributa ſunt ejusmodi; ſiquidem, cùm ſint infinita, continent omnes omninò perfectiones, quæ actu in creatis diſtinguuntur.

II. Tuentur inter eſſentiam divinam & attributa, &c. etiam intercedere diſtinctionem virtualem, ſeu fundamentalem. Nam 1mo. Diſtinctio virtualis ſeu fundamentalis nihil eſt aliud, juxta ipſos, quàm ipſum fundamentum in re, ſeu ipſa diſtinguibilitas ſita in ipſa eminentia divinæ perfectionis: implicat autem dari diſtinctionem rationis ratiocinatæ ſine fundamento in re, ac conſequenter ſine diſtinctione virtuali. 2do. Sicut ea, quæ ſunt actu multiplicia, ſunt etiam actu diſtincta; ſic pariter, quæ virtualiter ſunt multiplicia, ſunt etiam virtualiter ſeu fundamentaliter diſtincta. Atqui, ut dictum eſt, attributa Dei, &c. ſunt virtualiter multiplicia. Ergo & virtualiter diſtincta; ac proindè inter ea intercedit diſtinctio virtualis.

III. Contendunt contra Nominales, Eſſentiam Dei non diſtingui ab attributis, nec attributa à ſe invicem ſola diſtinctione rationis ratiocinantis; quod ſequitur ex dictis. *Dicendum*, inquit S. Thomas, *in* 1. *diſt.* 22. *q.* 1. *a.* 3. *ad* 4. *quòd differant nomina attributorum ſecundùm rationem, non tamen quæ ſit ſolùm in ratiocinante, ſed quæ ſalvatur in ipſa re ſecundùm veritatem & proprietatem rei.* Et ratio ſuffragatur; quia diſtinctio rationis ratiocinantis ſit ſine fundamento in re, ut jam dictum eſt. Deindè, cùm intellectus generet, non generet voluntas; eſſentia communicetur, non communicetur Paternitas; ſufficiens indè ſubminiſtratur intellectui fundamentum, ut quamdam inter hujusmodi attributa ac eſſentiam diſtinctionem concipiat.

70 Dices 1mo. Eſſentia divina & attributa ſe realiter includunt. Ergo non eſt fundamentum ſufficiens ea concipiendi ut diſtincta.

Reſp. *Diſt. conſ.* Si non ſint virtualiter multiplicia, *conc.* ſecùs, *neg. conſ.*

Dices 2do. Quæ prædicantur de ſe invicē non diſtinguuntur per mentem cum fundamento in re. Atqui eſſentia & attributa divina de ſe invicem prædicantur; nam veræ ſunt hæ propoſitiones: *bonitas eſt eſſentia, eſſentia eſt bonitas.* Ergo &c.

Reſp. *Diſt. Maj.* Quæ prædicantur de ſe invicem tùm in ſenſu actuali tùm in ſenſu virtuali, non diſtinguuntur per mentem cum fundamento in re, *conc.* Quæ prædicantur in ſenſu actuali tantùm, *neg. maj.* Et *Diſt. min.* Atqui eſſentia & attributa prædicantur de ſe invicem in ſenſu actuali tantùm, *conc.* in ſenſu actuali & virtuali, *neg. min.* Nam, ut jam dictum eſt, attributa ſunt virtualiter multiplicia, ac conſequenter virtualiter diſtincta. Ergo in hoc ſtatu & ſenſu virtuali non poſſunt de ſe invicem prædicari. Vel alio modo *Diſt. eandem Maj.* Quæ de ſe invicem prædicantur, non diſtinguuntur per mentem cum fundamento in re diſtinctione oppoſita identitati reali virtuali, *neg.* oppoſitâ identitati reali actuali, *conc. maj.* Diſtinctio virtualis, licèt non tollat identitatem

realem

realem actualem, excludit tamen identitatem realem virtualem.

Inst. Quæ inter se sunt realiter idem, non possunt de se invicem negari. Atqui quodlibet attributum divinum est realiter idem cum altero. Ergo neutrum de altero negari potest.

Resp. *Dist. maj.* Quæ realiter sunt idem non possunt de se invicem negari in eo genere identitatis, quo sunt idem, *conc.* in alio &c. *neg. maj.* & *dist. min.* Atqui quodlibet attributum divinum est realiter idem cum altero in genere identitatis realis actualis, *conc.* tàm actualis quàm virtualis, *neg. min.* & *conf.*

Dices 3tio. Attributa divina virtualiter sunt idem. Ergo virtualiter non sunt distincta. *Prob. ant.* Illa sunt virtualiter idem, quæ in se indivisa æquivalent pluribus realiter distinctis. Atqui ipsa attributa cum divina essentia sunt aliqua entitas in se indivisa æquivalens pluribus realiter distinctis. Ergo sunt virtualiter idem. *Prob. maj.* Quod in se indivisum æquivalet pluribus realiter distinctis præbet fundamentum ipsi intellectui illud explicitè concipiendi ut in se unum & idem quoad illa omnia, quibus æquivalet realiter distinctis. Atqui quod præbet tale fundamentum ipsi intellectui, illud est virtualiter idem. Ergo, &c.

Resp. Ad 1mum. *Neg. ant.* Ad 2dum. *Neg. maj.* Ad tertium *transf. maj.* & *neg. min.* Nam quod præbet hujusmodi fundamentum intellectui, illud benè dicitur realiter idem, nullatenùs autem idem virtualiter; ut enim aliquid sit virtualiter idem, non debet posse æquivalere pluribus, alioquin hoc ipso ruit ejus identitas virtualis.

Dictum est, *transf. maj.* quia posset negari; nam quando consideratur, quòd quædam entitas indivisa æquivaleat pluribus realiter distinctis, nullum indè sub hac consideratione sumit intellectus fundamentum eam ut unam, sed potiùs ut plura quædam & distincta concipiendi. Quòd si velit eam concipere ut unam, debet ab ea abstrahere æquivalentiam & eminentiam, necnon eam concipere præcisè ut unam & indivisam.

Inst. 1mo. Ideò juxta Thomistas intellectus divinus distinguitur virtualiter ab ipsa voluntate; quia ipsa supereminentia & æquivalentia pluribus realiter distinctis est fundamentum concipiendi intellectum divinum cum præcisione à voluntate ipsa. Ergo è contrario, quia hæc ipsissima supereminentia est fundamentum concipiendi intellectum non cum præcisione à voluntate, jam intellectus divinus non erit virtualiter distinctus ab ipsa voluntate, sed potiùs cum ea idem virtualiter.

Resp. *Neg. conf.* Quia si in divinis voluntas & intellectus realiter distinguerentur, tunc non ipsa supereminentia esset fundamentum propriè tale concipiendi intellectum divinum cum præcisione à voluntate, sed potiùs ipsa *alietas.* Ergo à contrario, cùm voluntas & intellectus realiter sint idem, fundamentum hujus identitatis non potest desumi nisi ab eo, quod directè opponitur *alietati.* Atqui supereminentia memorata non opponitur *alietati*, sed potiùs indivisio, simplicitas, &c. Ergo non ex supereminentia, sed potiùs ex simplicitate ac indivisione in divinis peti debet identitas.

Inst. 2do. Quod intelligitur esse idem eminenter, illud intelligitur esse idem fundamentaliter ac virtualiter. Atqui voluntas & intellectus in divinis (idem dic de attributis) intelliguntur esse idem eminenter. Ergo etiam virtualiter.

Resp. *Neg. maj.* Quia vox *eminenter* plus dicit quàm vox *fundamentaliter ;* importat enim quamdam excellentiam. Quòd si tamen per vocem *eminenter* nihil aliud intelligatur, quàm quædam æquivalentia ac virtualitas, tunc *neg. min. & conf.*

§. VI.

71 *An Distinctio virtualis, quæ inter essentiam divinam, attributa, & relationes intercedere duntaxat dicitur ab Anti-Scotistis, sit intrinseca, vel tantùm extrinseca?*

INter Distinctionis hujus virtualis defensores gravis admodum movetur difficultas, an videlicet ea sit intrinseca, an verò extrinseca duntaxat. Circa quam difficultatem igitur Not. Distinctionem virtualem secundùm se sumptam in divinis dividi in *intrinsecam* & *extrinsecam.* Hæc desumitur per ordinem ad aliqua connotata Deo extrinseca, in quantùm scilicet perfectio seu entitas divina, quamvis in se simplicissima, à nobis diversimodè concipitur juxta similitudinem perfectionum, quas in creaturis distinctas reperimus ; adeò, ut eadem simplicissima entitas, prout dicit ordinem ad diversa connotata, diversas etiam sortiatur denominationes ; v. g. eadem essentia divina, prout connotat actionem puniendi, dicitur justitia, prout verò connotat actionem miserendi, nuncupatur misericordia.

Distinctio è contrà virtualis intrinseca est ea, quæ datur in ipsis visceribus objecti independenter ab omni consideratione intellectûs nostri ; soletque definiri *Realis intrinseca eminentia entitatis divinæ plures perfectiones in aliis dispersas in se simpliciter adunantis.* Quando enim aliqua simplex entitas ob suam eminentiam perfectiones illas, quæ in aliis dispersæ & distinctæ reperiuntur in se adunat seu identificat, tunc præbet intellectui fundamentum illam inadæquatis conceptibus secundùm unam, & non secundùm alteram perfectionem concipiendi : undè illa plurium perfectionum eminentia vocatur distinctio fundamentalis seu virtualis ; ipsa verò entitas divina dicitur virtute multiplex, hoc est, eodem modo se habens, ac si esset realiter multiplex.

Fusiùs definiri seu describi potest *Realis intrinseca eminentia divinæ perfectionis, quæ per simplicem continentiam omnium perfectionum ad diversas lineas pertinentium intellectui creato præbet fundamentum varias denominationes etiam oppositas eidem tribuendi, unamque rationem distinguendi ab alia.*

Dicitur 1mo. *Realis intrinseca eminentia*, seu eminentialis continentia ; quia actu & essentialiter entitas divina, ob rationem suæ infinitatis, omnes omninò perfectiones in se continet ; undè non dicit solam æquivalentiam cum rebus distinctis, nec meram connotationem ad res creatas. Dicitur 2do. *per simplicem continentiam ;* ut excludatur omnis compositio. Dicitur 3tio. *omnium perfectionum ad diversas lineas pertinentium ;* quia ut aliquæ perfectiones in Deo virtualiter adæquatè distinguantur, non satis est, quòd illæ æquivaleant pluribus rationibus vel perfectionibus in creatis realiter distinctis ; sed necessariò requiritur, ut illæ ex suo genere sint diversæ, id est, ut diversa objecta formalia respiciant, adeoque ad diversas lineas pertineant. Undè licèt in creaturis intellectio & intellectus distinguantur realiter, non tamen exindè sequitur, quòd in Deo distinguantur virtualiter, saltem adæquatè, quia nempè non pertinent ad diversas lineas. His prænotatis ponitur pro ea, quæ nobis verior videtur, sententia

Conclu-

72 Conclusio. Inter essentiam divinam comparatam cum relationibus & attributis, necnon inter attributa comparata inter se, datur distinctio virtualis intrinseca.

Prob. 1mo. Ex SS. Patribus sup. hîc §. 2. num. 52. in favorem Scotistarum adductis, quos commodè de hac virtuali intrinseca distinctione interpretati sumus in Resp. 2da. hîc autem sola S. Dionysii auctoritas sufficiat, qui *lib. de divin. nom. cap.* 7. sic loquitur: *Deus omnia unitivè est secundùm unicam unitatis Eminentiam, in qua omnia singulariter congregata sunt & superunita.*

Prob. 2do. Rationibus Theologicis. 1ma. Datur distinctio virtualis extrinseca inter essentiam divinam & attributa, &c. ut contendunt AA. Ergo & intrinseca. *Prob. cons.* Non potest eadem res comparari ad plura, si in sua intrinseca entitate non sit virtualiter multiplex. Atqui hæc virtualis multiplicitas est distinctio virtualis intrinseca. Ergo cùm entitas divina comparetur ad plura (in quo consistit distinctio virtualis extrinseca) oportet, ut in ea virtualis intrinseca distinctio contineatur.

2da. Ratio. Divina perfectio non potest modò cognosci in ordine ad justitiam, modò in ordine ad misericordiam, nisi in se adunet eminenter justitiam & misericordiam. Atqui hæc adunatio seu continentia eminentialis est distinctio virtualis intrinseca. Ergo &c.

3tia. Ratio Theologica. Cuilibet distinctioni activæ, quæ non est tantùm rationis ratiocinantis, sed etiam ratiocinatæ, debet ex parte objecti correspondere fundamento. Atqui hoc fundamentum aliud esse non potest, quàm intrinseca eminentia essentiæ divinæ in se omnes adunantis perfectiones. Ergo &c.

Dices 1mo. Distinctio virtualis intrinseca lædit Dei simplicitatem; nam, ut ait S. Anselmus, quemadmodùm Deus est id, *quo nihil melius* cogitari potest; ita etiam est id, *quo nihil simplicius* esse aut cogitari potest. Atqui si in Deo daretur distinctio virtualis intrinseca, tunc Deus non esset id, quo nihil simplicius cogitari posset; nam utique simplicior esset & cogitaretur, si nullam distinctionem virtualem intrinsecam pateretur. Ergo &c. 73

Resp. Verissimam fore minorem, si distinctio virtualis intrinseca esset actualis; cùm autem sit tantùm fundamentalis, nihil evincit: imò verò nisi hujusmodi distinctio in Deo daretur, ipse Ens simplicissimum non esset, quod sic

Prob. Quò Ens simplicius eò perfectius. Ergo si sit simplicissimum, etiam erit perfectissimum. Atqui de ratione Entis perfectissimi est, ut in se adunet omnes omninò perfectiones in aliis dispersas; cùm igitur in hujusmodi adunatione sita sit distinctio virtualis intrinseca, sequitur, quòd, si hæc Deo denegetur, hoc ipso tollatur ejus summa simplicitas.

Porro ad auctoritates SS. Patrum, qui à simplicitate videntur excludere omnem omninò distinctionem, respondendum est, quòd vel tantùm intendant rejicere omnem distinctionem actualem ante mentis operationem, ut jam sup. observatum est, vel omnem compositionem, etiam eam, quæ habetur per intellectum, & sic intelligendus est S. Thomas, cùm lib. 1. cont. Gent. cap. 37. ad 4. ait: *Deô nil est simplicius, neque secundùm rem, neque secundùm rationem,* quia nempe omnis compositionis expers est.

Dices 2do. Omnis distinctio virtualis intrinseca est eminentia intrinseca rei æquivalens ad res realiter distinctas in

 ordine

ordine ad verificanda prædicata contradictoria. Atqui in rebus realiter distinctis, quod affirmatur realiter absolutè de uno, realiter & absolutè negatur de altero. Ergo id etiam contingit in rebus virtualiter intrinsecè distinctis; ac proindè distinctio virtualis intrinseca erit etiam realis; realis enim affirmatio & negatio arguunt distinctionem realem.

Resp. *Dist. Maj.* Omnis distinctio virtualis intrinseca est eminentia intrinseca rei æquivalens ad res realiter distinctas in ordine ad verificanda contradictoria secundùm suum modum, *conc.* Secundùm omnem modum illum, quo verificantur in rebus realiter distinctis, *neg. maj.* Nam distinctio, quæ reperitur in rebus realiter distinctis præbet intellectui plures rationes objectivas actu ab invicem distinctas ante omnem operationē intellectûs, & in variis rebus dispersas: at verò distinctio virtualis, licèt præbeat intellectui plures rationes objectivas (in quo æquivalet distinctioni reali) attamen illæ non sunt dispersæ, sed adunatæ in eadem simplici entitate; & sic non participat de omni modo distinctionis realis.

Dices 3tio. Deus, ex eo, quòd habeat omnimodam simplicitatem, nullam habere potest compositionem, sed ei repugnat omnis compositio. Ergo ex eo, quòd habeat omnimodam unitatem, ei repugnat omnis multiplicitas ac distinctio, & per consequens distinctio virtualis.

Resp. 1mo. Hoc argumentum, si quid probaret, probaret neque admitti debere in Deo distinctionem rationis; quia in Deo implicat etiam compositio rationis; ut communior docet sententia.

Resp. 2do. Quòd summa ac eminentissima unitas debeat in se adunare omnes unitates seu rationes in aliis dispersas, & consequenter exigit eis æquivalere (& in hoc consistit distinctio virtualis) undè, sicut anteà diximus de simplicitate Dei, sic modò de ejus unitate loquimur; nimirùm, si hæc pluralitas & distinctio virtualis à Deo tolleretur, non remaneret in illo summa unitas, sicut non remaneret summa simplicitas.

Dices 4to. Si datur distinctio virtualis intrinseca, perit omnis virtus syllogistica. Atqui hoc admitti non potest. Ergo &c. *Prob. seq. maj.* Ubi deficiunt principia perficientia & regulantia syllogismum, etiam perit ipsa virtus syllogistica. Atqui si datur distinctio virtualis intrinseca pereunt &c. perit nempè principium hoc: *Quæcunque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.* Ergo &c. *Prob. min.* Nisi periret illud principium, iste syllogismus foret bonus: *Essentia divina est Pater, Essentia divina est Filius. Ergo Filius est Pater.* Ubi tamen ob virtualem personalitatum distinctionem negatur consequentia. Ergo istud principium perit.

Resp. Ad 1mum. *neg. maj.* Ad ejus prob. *dist. illud principium metaphysicum* 1mo. sic: Quæcunque sunt eadem uni tertio comunicabili, sunt eadem inter se, *neg.* uni tertio incommunicabili, *conc.* Sic Petrus & Paulus non sunt idem inter se, licèt conveniant in natura humana, quia scilicet natura hæc est communicabilis pluribus. Ita pariter de natura divina differendum, quæ pluribus personis communicatur.

2do. Dist. idem principium sic: Quæcunque sunt eadem uni tertio adæquatè, sunt eadem inter se, *conc.* si sunt tantùm inadæquatè eadem, *neg.* Solutio hæc patet ex passim dictis.

Inst. Quæcunque sunt æqualia uni tertio sunt etiam æqualia inter se. Ergo &

& quæ sunt eadem, quocunque tandem modo, cum aliquo tertio, sunt etiam eadem inter se.

Resp. *Neg. cons. & parit.* Disparitas est, quòd æqualitas consistat in indivisibili; quapropter quæ uni tertio æqualia sunt, inter se quoque æqualia esse necesse est: at verò quæ sunt eadem uni tertio, consequenter non sunt in omnibus eadem inter se; maximè cùm inter illa intercedit relationis oppositio; sed tantùm sunt eadem inter se quantùm ad id, in quo cum uno tertio conveniunt.

Et hæc sunt, quæ circa Essentiæ divinæ & attributorum ejus distinctionem Scotistas seu distinctionis ex natura rei formalis propugnatores inter & Thomistas seu distinctionis virtualis defensores hinc indè acriter disputantur.

Porro meminimus, Nos in nostra Metaphysica part. I. jam asseruisse, nobis videri hîc litem duntaxat de nomine moveri, hasque binas memoratorum Theologorum opiniones inter se conciliari facilè posse.

Et verò ultrò fateri debent Thomistæ, seu distinctionis virtualis propugnatores, attributa divina tot esse formalitates, quæ suâpte naturâ, & à parte rei seu ante omnem operationem mentis diversos conceptus diversumque fundamentum habent, quibus occasio præbetur eas velut distinctas concipiendi. Undè suam virtualem distinctionem deducunt, quam inter essentiam divinam & ejus attributa intercedere ajunt. Igitur juxta ipsos hæc virtualis, seu, ut vocant, rationis ratiocinatæ distinctio sumi potest vel adæquatè vel inadæquatè: Si sumatur adæquatè realis est simul & mentalis; realis quidem secundùm fundamentum, mentalis verò secundùm actum; hinc, inquiunt, ea, quæ distinguuntur virtualiter seu ratione ratiocinata, distinguuntur fundamentaliter ante omnem operationem intellectûs: si verò inadæquatè sumatur, tunc est vel realis tantùm, vel mentalis tantùm. En distinctionem virtualem paucis quidem, sed tamen genuinè & secundùm principia ab ipsismet illius defensoribus stabilita expositam.

Jam autem, ut itidem brevi eloquiò quid hac de re sentiant Scotistæ aperiamus; tueri videntur hi Theologi attributa divina non esse nisi quasdam essentiæ divinæ formalitates ex suapte natura diversos habentes conceptus & fundamenta, vi quorum una non esse alia concipitur, adeoque velut diversa formalitas seu formaliter duntaxat ab ea distinguitur, idque ex sua, id est rei natura, quam diversus conceptus seu fundamentum exhibet. Undè hanc distinctionem ex ***natura rei formalem*** nuncupare ipsis placet. Quæ si ita sint, prout re vera esse intelligimus & arbitramur, palam est, nî vehementer fallimur, hos Theologos hanc suam opinionem simillibus, imò iisdem omninò principiis, ac Thomistæ seu distinctionis virtualis propugnatores suam, fulcire, & proindè inter eos litem de nominibus duntaxat agitari, re ipsa autem eandem illos fovere sententiam. Adeò ut frustra tot paginæ utrinque impleri videantur, &c.

EXER.

EXERCITATIO QUARTA.

74 *De simplicitate Dei & omnimoda in eo compositionis carentia.*

Ad §. I. Cap. III. Part. I. Tractatûs *de Deo Uno & Trino.* num. 43.

DEI simplicitas explicari nequit nisi per negationem compositionis. Est autem compositio triplex, physica nimirùm, metaphysica, & logica. Prior dicit totum, quod constat aut ex materia & forma, quemadmodum se habent corpora; aut ex subjecto & accidente, ut subjectum, in quo recipitur aliqua qualitas. Altera dicit totum, cujus partes sunt aut essentia & existentia, aut natura & suppositum. Tertia denique dicit totum, quod constat ex genere & differentia. Et de hac ultima hic potissimum versatur quæstio, an nempè repugnet Dei simplicitati.

§. I.

75 *Quædam tanquam indubitata præsupponuntur.*

SUpp. 1mo. Deum non esse corpus, *Deus* enim *spiritus est* Joan. 4. Et ratio est ex S. Thoma 1. *p. q.* 3. *a.* 1. quia nobilissimum Ens non est corpus, corpus siquidem multas imperfectiones involvit. Atqui Deus est Ens nobilissimum. Ergo corpus esse nequit.

Prætereà Deus est infinitus; Ergo non est corpus; quippe nullum corpus potest esse infinitum; nam infinitum caret figurâ, cùm sit interminatum; corpus autem necessariò habet figuram.

Neque dicas, in sacra Scriptura sæpè legi Deum sedere, extendere brachium &c. Nam situs, partes corporeæ, & similia Deo non propriè attribuuntur, sed secundùm similitudinem quamdam.

Supp. 2do. In Deo non esse compositionem ex materia & forma. Ratio est, quia omne compositum ex materia & forma est corpus. Atqui Deus non est corpus, ut priùs dictum. Ergo Deus non est compositus ex materia & forma.

Supp. 3tio. In Deo non esse compositionem physicam accidentalem ex substantia & accidentibus; tùm quia Dei substantia est planè immutabilis, ac proindè ei accidentia advenire nequeunt, iis enim mutaretur; tùm quia subjectum accidentium est potentiale respectu ipsorum, at in Deo nulla datur potentialitas.

Suppon. 4to. Quòd in Deo essentia & existentia seu esse & existere idem sit, atque adeò in ipso non reperiatur compositio ex essentia & existentia. Ratio est; quia in eo, in quo nihil potentiale est, idem est esse & existere seu essentia & existentia. Atqui in Deo nihil est potentiale. Ergo in Deo idem est esse & existere seu essentia & existentia. *Min.* patet; quia Deus est actus purissimus. *Maj.* etiam constat; quia cùm existentia sit actualitas cujuscumque formæ, quando distinguitur ab essentia, ipsa essentia est potentia respectu ipsius existentiæ. Verùm Nos, quantùm recordamur, in nostra Metaphysica satis apertè demonstravimus etiam in creatis essentiam ab existentia non distingui sed realiter idem esse. Cæterùm hæc Supposita fusiùs expensa videri possunt in nostra Theologia *loc. cit.*

Modò videndum & examinandum, an Deus ita sit simplex, ut etiam excludat compositionem Logicam seu ex genere & differentia.

§. II.

§. II.

76 *Proponuntur & solvuntur Argumenta eorum Theologorum, qui à Deo compositionem logicam excludunt.*

ARgumentum 1mum. sumitur ex S. Augustino, qui *lib. de cognitione veræ vitæ c.* 3. sic ait: *Nomine & verbo cuncta exprimuntur, quæ sub decem prædicamentis humano more concipiuntur, sed quòd ex illis nullum propriè Deo conveniat, manifesta ratio probat.* Et rursus: *Decem prædicamentis cunctam humanam conditionem includi, & ab his omnibus proprietatem summæ essentiæ evidenti ratione penitùs excludi* ait. Atqui si daretur in Deo compositio logica ex genere & differentia, tunc potissimùm genus substantiæ prædicamentalis ejus compositionem ingrederetur. Ergo &c. Præterea *lib. confess.* deplorat suam ignorantiam, quòd Deum mirabiliter simplicem posuerit in prædicamento substantiæ.

Resp. AA. S. Augustinum intelligendum esse de prædicamento Aristotelicæ substantiæ, non autem de prædicamento substantiæ universalissimè sumtæ. Porro prior substantia est ea, quæ substat accidentibus, & est susceptiva contrariorum, atque hanc Deo non convenire palam est. Posterior verò est ea, cui convenit definitio substantiæ secundùm se: substantia enim, prout abstrahit ab increata & creata, definitur *Ens per se subsistens*, quod maximè competit Deo. Primam igitur à Deo excludit S. Augustinus, non autem posteriorem.

Inst. SS. Patres passim Deum vocant Supersubstantiam, negantque subindè eum vocandum esse Substantiam. Præterea de fide est, quòd Deus sit Ens transcendens & infinitum. Ergo non potest claudi terminis ullius prædicamenti.

Resp. ad 1mum. SS. Patres, inter quos numeratur Dionysius, negare Deum esse substantiam, quæ substet accidentibus & mutationi. Hinc *Dist. ant.* SS. Patres negant Deum esse substantiam ratione generis, & prout substantia præscindit à creata & increata, *neg.* Esse substantiam ratione differentiæ, seu prout substantia concipitur contracta ad creatam, *conc. ant.* & *neg. cons.* In hoc enim sensu dicitur Deus supersubstantia, hoc est, infinitè excedens quamlibet substantiam creatam, quamvis maneat in eodem genere substantiæ.

Resp. ad 2dum. Pariter *Dist. ant.* De fide est Deum esse Ens transcendens & infinitum physicè, *conc.* logicè, *neg. ant.* & *cons.* Deus est Ens transcendens physicè, quia includit eminenter omnes perfectiones possibiles; non autem logicè, quia non vagatur per omnes categorias. Similiter est Ens infinitum physicè seu in entitate, quia, cùm sit Ens à se, nulla ex parte limitari potest; non autem logicè, seu secundùm nostrum imperfectum concipiendi modum, sub quo non repugnat eum claudi terminis logicis.

Argumentum 2dum. Compositio logica importat aliquam potentialitatem. Atqui Deus excludit à se omnem potentialitatem; est enim actus purus. Ergo & omnem compositionem. *Prob. maj.* Quod est pars compositionis logicæ dicit perfectibilitatem; est enim perfectibile per differentiam sibi advenientem. Ergo etiam dicit potentialitatem. 77

Resp. ad arg. *Dist. maj.* Compositio logica importat aliquam potentialitatem logicam & in conceptu, *trans.* physicè & in objecto, *neg. maj.* &c. Compositio itaque logica importat potentialitatem in conceptu, quia conceptus, ex quo partialiter fit talis compositio, non est de se determinatus ad significandum unum determinatè, sed ex

ſe repræſentat aliquid commune multis logicè & indeterminatè ſeu confusè. &c.

Inſt. Atqui Deus à ſe excludit etiam potentialitatem conceptûs. Ergo. *Prob. ant.* Actus puriſſimus à ſe excludit omnem potentialitatem conceptûs. Atqui Deus eſt actus puriſſimus. Ergo excludit omnem potentialitatem conceptûs.

Reſp. *Diſt. maj.* Actus puriſſimus tùm logicè tùm phyſicè excludit omnem potentialitatem conceptûs, *conc.* Actus puriſſimus tantùm phyſicè & ſecundùm rem, *neg. maj.* & *Diſt. min.* Deus eſt actus puriſſimus phyſicè, *conc.* Logicè & ſecundùm conceptum, *neg. min. &c.* Itaque actus puriſſimus dicitur id, quod nihil habet in potentia, ſed omnia in actu; talis eſt ſecundùm ſe ſolus Deus, non tamen ſic eſt in omni conceptu, qui de illo formari poteſt; quia poteſt imperfectè concipi, nec per quemlibet conceptum apparet talis, qualis eſt in ſe.

Eodem modo reſponderi poteſt objicienti genus Dei fore ſuperius Deô; erit enim ſuperius non phyſicè, ſed logicè tantùm, quatenùs conceptus differentialis Dei minùs latè patet, quàm conceptus ejus genericus; hoc autem nullam arguit in Deo imperfectionem, ſed in concipiente duntaxat.

78 Argumentum 3tium. Si Deus componitur ex genere & differentia; tunc eſt ſpecies. Falſum conſ. Ergo & ant. *Prob. min.* Omnis ſpecies eſt univerſalis. Atqui Deus non eſt univerſalis; quia non eſt prædicabilis de multis. Ergo &c.

Reſp. *neg. min.* Ad ejus prob *Diſt. maj.* Omnis ſpecies prædicabilis eſt univerſalis, *conc.* omnis ſpecies etiam ſubjicibilis, *neg. maj.* &c. & *conc. min.* ſimiliter *Diſt. conſ.* & *neg. conſ.*

Inſt. Ibi ſpecies eſt impoſſibilis, ubi impoſſibilis eſt pluritas individuorum. Atqui in Deo impoſſibilis eſt pluritas individuorum. Ergo &c.

Reſp. *Diſt. maj.* Ibi impoſſibilis eſt ſpecies prædicabilis, ubi impoſſibilis eſt pluritas individuorum, *conc.* Ibi impoſſibilis eſt ſpecies ſubjicibilis, *neg. maj.* &c. Species prædicabilis eſt ea, quæ prædicari poteſt de multis individuis, quibus communicatur, aut poteſt communicari; Deus autem non eſt talis ſpecies; quia nec exiſtunt, neque poſſibilia ſunt multa inferiora in natura divina, quæ eſt omninò ſingularis & prorſus incommunicabilis relatè ad hujusmodi inferiora. Species verò ſubjicibilis eſt ea, quæ immediatè dividit genus, cui ſubjicitur; & talis eſt Deus, qui cum ſubſtantia ſpirituali creata immediatè dividit ſubſtantiam ſpiritalem.

Argumentum 4tum. Quemadmodùm omnimoda immaterialitas excludit omnem prorsùs materialitatem, etiam eam, quæ eſt per rationem; ita omnimoda ſimplicitas excludit omnem omninò compoſitionem, etiam Logicalem. Atqui Deus non minùs eſt ſimplex, quàm immaterialis. Ergo &c. 79

Reſp. *neg. maj.* & paritatem; quia Deo nullatenùs convenit ratio materiæ; proindè non poteſt concipi ut materia. At Deo convenit ratio ſubſtantiæ, ut ſuprà jam dictum eſt. Cùm igitur ſubſtantia ſit quoddam genus, palam fit, quòd jam cum aliquo fundamento concipere valeamus Deum compoſitum ex genere, ac conſequenter etiam ex differentia; non enim datur perfectibile ſine perfectivo.

Argumentum 5tum. Si Deus admitteret compoſitionem logicam, ſeu ex genere & differentia; tunc ſubſtantia in Deo haberet rationem generis. Atqui hoc admitti non poteſt. Ergo &c. *Prob. min.* Ratio ſubſtantiæ de Deo & creaturis non prædicatur univocè. Ergo ſubſtantia 80

non

non potest habere rationem generis. *Prob. ant.* Dependens & independens differunt essentialiter. Atqui substantia, quæ est in Deo, est independens; quæ verò in creaturis, est dependens. Ergo ratio substantiæ de Deo & creaturis non prædicatur univocè.

Resp. ad 1mum. *Neg. min.* Ad 2dum. *neg. ant.* Nam substantia, prout præscindit à creata & increata, nihil aliud significat, quàm Ens per se subsistens; at hoc convenit univocè Deo & creaturis. Ad ejus prob. Resp. verum esse, quòd dependens & independens differant essentialiter; at substantia, prout sibi vindicat rationem generis, neque est dependens neque independens, sed abstrahit ab utroque.

Inst. Deus & substantia creata plus differunt, quàm quantitas & qualitas. Atqui quantitas & qualitas non habent rationem univocam. Ergo nec Deus & substantia creata.

Resp. 1mo. *Dist. maj.* Plus differunt physicè, *conc.* Logicè, *neg. maj.* Illa non dicuntur differre logicè & secundùm conceptum, quæ unico conceptu repræsentantur; sic se habet ratio substantiæ in Deo & creaturâ secundum se præcisè sumtâ.

Resp. 2do. *neg. min.* Quantitas enim & qualitas poni possunt in eodem prædicamento accidentis, in quo conveniunt. Ergo &c.

§. III.

81 *Proponuntur & solvuntur Argumenta eorum Theologorum, qui compositionem logicam in Deo admittunt.*

ARgumentum 1mum. petitur ab auctoritate SS. Patrum.

1mo. S. Augustinus *lib. 5. de Trinit. c. 7. & Serm 38. de temp.* docet, quòd Deo propriè conveniant prædicamenta substantiæ, relationis, & actionis; reliqua verò, nimirùm quantitatis & qualitatis, &c. tantùm in sensu metaphorico.

2do. Boëtius *lib. 1. de Trin.* ait, duo solùm prædicamenta, substantiæ & relationis scilicet, manere in divinis.

3tio. S. Joannes Damascenus in suo Elementario c. 7. docet, in primo genere substantiæ species esse substantiam corpoream & incorpoream, & hanc posteriorem complecti Deum, animam & dæmonem.

Resp. AA. SS. Patres plus non intendere, quàm quòd Deo propriè conveniat ratio formalis prædicamenti substantiæ, at nonnisi ut depuratæ ab omni potentialitate, seu ut dicit totam plenitudinem entis, aut ipsum esse purissimum, & nullo modo perfectibile per differentias superadditas, quemadmodùm contingit in creaturis; undè substantia in Deo nullatenùs habet rationem generis tàm ob defectum limitationis, quàm rationis univocæ.

Dices. Quod alicui convenit propriè, ei etiam convenit univocè & non tantùm analogicè. Atqui ratio formalis prædicamenti propriè convenit substantiæ. Ergo &c.

Resp. Ea tantùm impropriè de Deo dici, quæ dicuntur de eo metaphoricè; quæ autem analogicè de eo dicuntur, licèt non univocè dicantur, nihilominùs propriè de eo dicuntur; nam analoga convenientia est propria, licèt imperfecta: accidens quippè propriè convenit cum substantia in analoga ratione entis, quamvis non perfectè; & propter hanc analogam convenientiam interdum SS. Patres ad differentiam metaphoricæ prædicationis affirmant res prædicamentales propriè de Deo dici.

82 Argumentum 2dum. Poteſt ſine abſurdo in divinis admitti diſtinctio rationis ratiocinatæ. Ergo etiam compoſitio rationis *Prob. conſ.* Quia Deus non minùs eſt ſummè unus, quàm ſimplex. Ergo ſi Deo ut ſummè uni non repugnat diſtinctio rationis, neque ei ut ſummè ſimplici repugnabit compoſitio rationis. *Ant.* conſtat. *conſ.* indè liquet, quòd non minùs opponatur unitati diſtinctio, quàm ſimplicitati compoſitio.

Reſp. *Diſt. ant.* primi arg. In divinis poteſt admitti diſtinctio per modum impliciti & expliciti, *conc.* per modum excludentis & excluſi, *neg. ant.* & *conſ.* Quia ad compoſitionem logicam ex genere & differentia requiritur diſtinctio rationis per modum excludentis & excluſi; cùm genus, ceu gradus potentialis & perfectibilis, debeat à ſuo conceptu objectivo adæquatè excludere differentiam, per quam perficitur.

Ad Argumenti hujus *prob.* conſequentiæ. *neg. conſ.* & ejus *prob.* Nam diſtinctio rationis non opponitur ſummæ unitati ſed potiùs in ea fundatur, ut ſuprà jam dictum eſt, eò quòd ſummè unum habeat adunare in ſe ea, quæ ſunt diſperſa in pluribus inferioribus, adeoque virtutem præſtandi ea, quæ per plura præſtantur in inferioribus, quod eſt intellectui præbere fundamentum ad formandos de illo alios & alios conceptus, in quo conſiſtit diſtinctio rationis ratiocinatæ.

Longe aliud ſentiendum eſt de compoſitione etiam rationis relatè ad ſummam ſimplicitatem ſeu actualitatem, cui opponitur; eo ipſo, quòd in omni compoſito, etiam per rationem, una pars ſeu formalitas ſit perfectibilis per alterius additionem, quam actu nec explicitè nec implicitè includit, quod absque admixtione potentialitatis & imperfectionis nec fieri, nec intelligi poteſt.

Inſt. Compoſitio eſt diſtinctorum unio. Ergo cum detur in Deo diſtinctio rationis, datur & compoſitio: non realis, ergo rationis.

Reſp. Diſt. ant. Compoſitio eſt diſtinctorum ſe ſe mutuò excludentium unio, *conc. ant.* ſe ſe mutuò includentium &c. *neg. ant.* & *conſ.* Ut enim aliqua componant, non ſufficit, quòd aliquo modo diſtinguantur, ſed oportet, ut ſe non includant: hinc licèt proprietates Entis, *unum*, *verum*, *bonum*, diſtinguantur ab Ente per rationem, attamen non faciunt cum illo compoſitionem rationis; quia illud formaliter includunt in ſuo conceptu adæquato, & ab illo tranſcenduntur.

Argumentum 3tium. Si Deo repugnaret compoſitio ex genere & differentia, tunc ideò, quia repugnat, ut Deus ſubſit generi. Atqui hæc ratio nulla eſt. Ergo, &c. *Prob. min.* Deus ſubſtantiæ ſubeſt, quia ſubſtantia de illo prædicatur; vera enim eſt hæc propoſitio: *Deus eſt ſubſtantia.* Ergo, &c. 83

Reſp. ad Arg. *neg. min.* Ad ejus prob. *Diſt. ant.* Deus ſubſtantiæ ſubeſt tanquàm generi univoco, *neg. ant.* Analogo, *eſto ant.* & *neg. conſ.*

Inſt. Cui convenit definitio ſubſtantiæ, etiam de illo prædicatur ſubſtantia univocè. Atqui Deo convenit definitio ſubſtantiæ. Ergo etiam de illo prædicatur univocè: conſequenter Deus ſubeſt ſubſtantiæ tanquam generi univoco. *Prob. min.* Subſtantia definitur *Ens per ſe ſubſiſtens.* Atqui Deus eſt Ens per ſe ſubſiſtens. Ergo, &c.

Reſp. 1mo. Ad 1mum. *neg. min.* ad ejus prob. *Diſt min.* Atqui Deus eſt Ens per ſe ſubſiſtens ſub ratione creaturis communi, *neg. min.* ſub diverſa, *conc. min.* & *neg. conſ.*

Reſp.

Resp. 2do. *Dist. maj.* ejusdem prob. Substantia definitur *Ens per se subsistens* nominaliter seu aptitudinaliter, *conc. maj.* participialiter seu actualiter, *neg. maj.* & *Dist. min.* Atqui Deus est Ens per se subsistens participialiter seu actualiter, *conc.* nominaliter seu aptitudinaliter, *neg. min.* & *cons.* Sola aptitudo ad subsistendum per se est de ratione formali constitutiva substantiæ, & importatur per hæc verba *per se subsistens*, ut suprà dictum; consequenter cùm à Deo exulet omnis aptitudo aut potentia, sic ratio formalis constitutiva substantiæ non est univoca in Deo & creaturis.

84 Argumentum 4tum. Deus absolutè ponendus est in prædicamento substantiæ universalissime sumtæ. Ergo Deo non repugnat compositio ex genere & differentia. *Prob. ant.* Deus habet omnes conditiones requisitas tùm ad Ens categoricum in genere, tùm ad substantiam categoricam. Ergo directè poni debet in prædicamento substantiæ. Prob. 1ma. pars ant. quia Deus est Ens reale, Ens per se, incomplexum, completum, &c. Ergo &c. Prob. etiam 2da. pars ejusdem ant. quia ubi datur differentia substantiæ ibi etiam datur substantia categorica. Atqui in Deo datur differentia substantiæ, nempe quòd sit à se. Ergo &c.

Resp. 1mo. ad 1mum. *neg. ant.* ad ejus prob. *neg. prim. part. ant.* quia inter præcipuas conditiones Entis categorici est, ut sit Ens finitum, quæ conditio deficit in Deo. Neque dicatur, quòd infinitas Dei secundùm essentiam non impediat, quin ipse ponatur directè in prædicamento substantiæ, idque constet ex parite quantitatis actu infinitæ secundùm numerum, vel extensionem, si supponatur possibilis; quia, non obstante tali infinitate, adhuc directè locum habere posset in prædicamento quantitatis. Nam contrà est 1mo. quòd plane repugnet quantitas actu infinita secundùm numerum & magnitudinem, & quidem ex eo vel maximè, quòd non posset esse in aliqua specie determinata, & consequenter neque in prædicamento reponi valeret. Contrà est 2do. Quòd hujus opinionis defensores asserant ejusmodi quantitatem, non obstante sua infinitate, adhuc fore in determinata specie, adeoque secundùm essentiam simpliciter finitam cæterisque limitibus *generis* & *differentiæ* coarctatam. Atqui Deus sub omni ratione est infinitus. Ergo, &c.

Resp. 2do. ad eandem prob. *neg. etiam 2dam. part. ant.* Quia in Deo non datur differentia categorica, hæc enim debet esse extra rationem generis per modum excludentis & exclusi. At in Deo omnia se se mutuo includunt saltem implicitè, ut jam dictum est.

Neque rursus dicatur, non omnem substantiam esse Ens à se; ac proinde Aseitatem in Deo esse extra rationem substantiæ. Nam Resp. neg. suppos. quòd scilicet substantia, quæ in Deo reperitur, participet univocè de ratione substantiæ universalissimè sumtæ; hæc enim est Ens duntaxat exigitivè per se subsistens: è contrà substantia, quæ de Deo dicitur, est Ens non radicaliter tantùm aut exigitivè, sed necessariò actu existens.

Dices. Mensura & mensuratum ex Aristotele sunt homogenea & cognata. Ergo debent esse univocè in eodem genere. Ergo Deus mensurans perfectiones creatas debet esse in eodem genere Entis.

Confirm. Quia nisi Deus univocè conveniret cum creatura, non possemus ex cognitione creaturarum assurgere ad cognitionem Dei. Ergo, &c.

Resp. ad Arg. 1mo. Aristotelis auctoritatem hîc omnino contemnendam esse, &c. 2do. Eum loqui de mensura strictè dicta, quæ coaptatur mensurato, ut est quantitas, quæ mensurat aliam quantitatem; non de mensura late sumta, quæ nos ducit in cognitionem alterius, &c. quemadmodùm se habet Deus erga creaturam: nam creatura eò perfectior dignoscitur, quò magis accedit ad Deum.

Ad Confirm. Resp. *neg. ant.* quia, ut mediantibus creaturis ad Dei cognitionem pertingamus, satis est, quòd Deus analogicè cum eis conveniat.

85 Hæc sunt potissimùm argumenta quæ circa Dei simplicitatem utrinque proferuntur unà cum ad ea responsionibus. Ea tamen sententia longè probabilior videtur, quam Nos in Theologia nostra amplexi sumus, & quæ tuetur Deum ita esse simplicem, ut non modò compositionem physicam & metaphysicam, verùm etiam logicam à suo esse excludat, ob rationes ibidem à nobis allatas; & etiam

1mo. Quia est magis de mente SS. Patrum, ut hîc §. 2. & ibi n. 46. conclus. 2da. ostensum est. Undè contra responsiones ad laudatorum SS. Patrum textus cit. §. 2. n. 76. allatas sic urgemus. 1mo. Quando SS. Patres in Deo adstruunt omnimodam simplicitatem, necnon prædicamentum substantiæ ab eo removent, non assignant illam rationem, *quia substantia prædicamentalis importat exercitium substandi accidentibus, & est susceptiva contrariorum.* Sed hanc: *quia Deus ob suam infinitam perfectionem nullo genere univoco coerceri, atque adeò nullam compositionem subire potest.*

2do. S. Cyrillus Alexandrinus lib. 1. de Trin. ait *Omninò sub genere & differentia specifica divinitas non est.* ubi vox *Omninò* videtur omnem rationem substantiæ habentis rationem generis à Deo excludere.

3tio. Cùm S. Dionysius aliique SS. Patres Deum *supersubstantiam*, non verò *substantiam* nuncupari volunt, satis innuunt substantiam, quæ in Deo reperitur, nonnisi analogicè, neutiquam verò univocè convenire cum ea, quæ in creaturis reperitur.

Præterea sicut animal in homine præcisè secundùm se consideratum non dicit aliam rationem quàm in bruto, licèt à perfectiori differentia in homine contrahatur; sic pariter substantia, si est univoca respectu Dei & hominis, secundùm se considerata in Deo non deberet dicere aliam rationem quàm in homine: sed hoc est contra SS. Patres, qui substantiam divinam vocant *supersubstantiam*, utique propter diversam ejus rationem.

Denique falsum est, quòd, quando SS. Patres Deum negant esse substantiam, intelligendi sint ratione differentiæ, seu prout substantia concipitur contracta ad creaturam; nam sic etiam posset dici, hominem non esse animal ratione scilicet differentiæ, prout nempe animal concipitur contractum ad brutum; quæ locutio sanè non solùm impropria, sed etiam absurda esset; differentia quippe ista non tollit ab homine animalitatem, ac proindè nulla quoque differentia debet tollere à Deo denominationem substantiæ, si hæc univocè se ad creatam habeat substantiam.

Ratio est 2do. Quia responsio ad Argumentum 2dum. cit. §. 2. n. 77. data non subsistit; nam si daretur in Deo compositio logica, potentialitas non solùm ex parte conceptûs, sed etiam ex parte objecti in *esse cogniti* se teneret, quod sic evincitur: Ibi est potentialitas, ubi est genus, quod contrahitur. Atqui substantia ceu genus, quod per Adversarios mediante Aseitate contrahitur, se tenet ex parte objecti, non ex parte conceptûs duntaxat. Ergo hæc potentialitas se etiam teneret ex parte objecti, non quidem in esse rei, sed in *esse cogniti.*

gniti. Prob min. Substantia prædicamentalis &contrahibilis, est quædam natura & non conceptus; non enim in prædicamentis ponuntur conceptûs sed naturæ. Atqui natura se tenet ex parte objecti. Ergo &c.

Confirm. 1mo. Potentialitas objectiva, quam involvit genus, non tantùm in imperfecto nostro concipiendi modo fundatur, sed in ipsa natura rei præbentis intellectui fundamentum hujusmodi potentialitatem concipiendi. Si enim hujusmodi potentialitatis nullum in natura divina fundamentum esset, malè assereretur, Deum ex genere & differentia componi: cùm igitur per Adversarios hujusmodi compositio bene & cum ratione asseratur. Ergo in eorum sententia potentialitas, saltem fundamentalis, non solùm ex parte conceptûs, sed etiam ex parte naturæ in Deo reperiri debet.

Confirm. 2do. Vel conceptus, quo intelligitur, Deum componi ex genere & differentia, est fictitius, vel verus: si fictitius, tunc hoc ipso nulla est compositio: si verus, tunc debet esse conformis suo objecto, scilicet naturæ divinæ; ac proindè, & quidem à priori ex parte naturæ ratio generis & differentiæ, & consequenter potentialitas, locum habebunt.

Ratio est 3tio. Quia responsio ad Argumentum 3tium. cit. §. 2. prolatum ponit in Deo aliquod inconveniens: maximè enim inconveniens est ponere Deum in certa specie subjicibili; quid enim hoc aliud est, quàm tollere à Deo infinitatem?

Neque dicatur, Deum quidem poni in certa specie, sed tantùm logicè & in nostro conceptu. Nam contrà est: Vel conceptus ille habet fundamentum in ipsa Dei natura, vel nullum habet: si primum; certè in ipsa Dei natura erit ratio speciei subjicibilis, quod actui purissimo repugnat: Si secundum; frustrà & absurdè intellectus in Deo fingit hujus speciei conceptum.

Ratio denique 4ta. est, quia responsio ad 4tum. & 5tum. Argumentum cit. §. 2. imò totum Adversariorum fundamentum falsò laborat supposito; quasi nimirùm ratio substantiæ prædicamentalis univocè de Deo & creaturis prædicaretur. Hoc quidem jam præcedenti paragraphô responsione ad 3tium. Argumentum fuit refutatum. Operæ tamen pretium est, ut falsum istud fundamentum ulteriùs adhuc evertatur.

Undè sic conficitur Argumentum: Deus est substantia à se & per essentiam, creatura verò ab alio seu per participationem. Ergo non eodem modo seu univocè substantia de Deo & creatura prædicari potest. Nec valet si dicatur, hanc diversitatem oriri ex ratione differentiali, non verò ex ratione communi & generica; nam utrobique substantia significat *Ens per se subsistens.* Sed contrà est 1mo. quòd hæc responsio supponat id, quod est in quæstione; quæritur enim, an detur ratio substantiæ, quæ sit communis Deo & creaturis. Contrà est 2do. quòd substantia in Deo, in suo esse formali constitutivo abstrahendo ab omni differentia sibi supperaddita, sit diversa à substantia in creatura. Ergo utrobique non eadem aut univoca est. *Prob ant.* Ratio formalis constitutiva ipsius substantiæ in Deo est essentialiter ipsum *esse* plenissimum. Atqui essentialiter ipsum *esse* plenissimum non est univocum in Deo & creaturis, ut patet. Ergo &c. *Prob. maj.* Si quæratur per quid Deus formaliter subsistat, necessariò responderi debet, per hoc, quòd sit essentialiter ipsum *esse* plenissimum; sicuti si quæratur, per quid homo formaliter sit, responderi debet, per hoc, quòd sit animal rationale. Ergo sicut de ratione formali constitutiva ipsius ho-

hominis est esse animal rationale, sic pari modô de ratione formali constitutiva ipsius substantiæ in Deo erit essentialiter ipsum *esse* plenissimum. Præterea, quamquàm substantia definiri soleat, quòd sit *Ens per se subsistens*, nihilominùs verbum *subsistens* non sumitur participialiter, qua ratione significat actuale exercitium existendi; sed nominaliter duntaxat, prout nempè significat existentiam in actu signato, & aptitudinem atque intrinsecam exigentiam ad existendum. Undè ab ipsismet Adversariis substantia definiri solet *Ens per se exigitivè subsistens.* Sola igitur aptitudo ad subsistendum per se erit de ratione formali constitutivæ substantiæ; consequenter cùm à Deo exulat omnis aptitudo & potentia, sic ratio formalis constitutiva substantiæ non est univoca in Deo & creaturis: ac proindè in Deo implicat omnis compositio rationis, seu ex genere & differentia.

86 EXERCITATIO QUINTA.

De medio, in quo Deus cognoscit creaturas possibiles.

Ad Cap. 5. §. 2. n. 174. part. 1. Tractatûs I. Tom. II. Theologiæ nostræ, qui est de Deo Uno & Trino.

STatus hujus quæstionis præcipuè in hoc consistit, an Deus solùm in se ipso seu in sua essentia tanquàm in medio priùs cognito, cognoscat creaturas possibiles, an verò etiam immediatè in se ipsis.

§. I.

87 *Quædam necessariò supponenda exponduntur.*

SUpp. 1mo. contra Aureolum (*e*) Deum cognoscere omnes creaturas, non solùm secundùm illud esse eminens, quod habent in Deo, sed etiam secundùm suum esse formale, quod habent vel habere possunt in se ipsis: tùm quia alioquin Deus non cognosceret creaturas, sed tantùm suam essentiam, illud quippe eminens, quod habent creaturæ in Deo est ipsissima essentia divina: tùm quia Scientia Dei non esset perfectissima, cùm se non extenderet ad cognoscibile in particulari.

Supp. 2do. Deum cognoscere creaturas possibiles in se ipso, ut in objecto primario, in quo videntur omnes convenire. Et ratio est; quia creaturæ sunt tantùm objectum secundarium divini intellectûs, Deus verò primarium. Atqui quælibet potentia fertur in objectum secundarium, sub ratione primarii, quod est illud in primario attingere. Ergo cognoscit Deus creaturas in se ipso ut objectô primariô. Præterea obje-

(*e*) Aureolus (Petrus) Verberiæ ad Orsiam fluvium in Picardia natu: Ord. FF Minorum S Francisci celeberrimus suæ ætatis Theologus. Primùm Professor in Universitate Parisiensi, ubi Doctor facundus appellatus est; posteà Provincialis in Aquitania, & denique a. 1320. vel 1321. Archiepiscopus Aquensis. E vivis excessit an. 1322. vel 1323. subtilis ingenii vir, & novarum opinionum amans.

objectum primarium eſt, cujus virtute cætera intelliguntur. Atqui hujusmodi eſt eſſentia divina, quæ eſt ſola ratio motiva divini intellectûs. Ergo, &c.

Supp. 3tio. Deum cognoſcere creaturas non ſolùm in ſe ipſo ut objecto primario, verùm etiam ut mediô aut causâ priùs cognitâ. Ratio eſt; quia non poteſt aliqua cauſa comprehendi, niſi cognoſcatur effectus in ea contentus. Atqui Deus eſt cauſa continens eminenter omnes creaturas, & ſe ipſum comprehendens. Ergo in ſe, ut in cauſa, omnia cognoſcit.

Confirm. Unumquodque eo modo cognoſcitur in alio, quo in eo continetur. Atqui creaturæ ſunt eminenter in Deo ceu in cauſa. Ergo in illa, ut in cauſa, à Deo cognoſcuntur.

Neque dicas, Deum omnia unico ac ſimpliciſſimo intuitu cognoſcere, ac proindè priùs non cognoſcere eſſentiam, tùm alia, quæ ſunt ab ea diſtincta. Nam

Dicimus hoc verum eſſe, ſi per *priùs* intelligatur prioritas temporis aut durationis; ſecùs verò, ſi intelligatur prioritas rationis, quatenùs ſcilicet ex parte objectorum, quæ cognoſcuntur, unum concipitur à nobis velut ratio, qua Deus aliud cognoſcit, eò quòd unum ſit Deo magìs conjunctum quàm aliud.

His ita ſuppoſitis, modò diſpiciendum, an Deus creaturas in ſua eſſentia, ut in cauſa, aut ſaltem mediô priùs cognitô ita cognoſcat, ut nunquam eas in ſe ipſis videat: an verò utroque modo cognoſcat. Primum tuentur Thomiſtæ. Alterum Theologi illi, quos Recentiores vocant.

§. II.

88 *Proponuntur & ſolvuntur Argumenta Thomiſtarum pro prima ſententia.*

Argumentum 1mum ſumitur ab auctoritate SS. Patrum. S. Dionyſius de *div. nom. cap.* 7. ſic ait: *Deùs ea, quæ ſunt, noſcit non rerum notitiâ, ſed ſui; non enim ſecundùm viſionem ſingulis ſe immittit, ſed ſecundùm cauſæ continentiam ſcit omnia.* Et infrà: *Divina ſapientia*, inquit, *ſe ipſam cognoſcens ſcit omnia.*

S. Ambroſius Tract. de Symb. cap. 1. hæc eloquitur: *Licèt omnia cœleſtia, ac terreſtria, ac minima quæque perſpiciat Deus, nil tamen extra ſe ipſum intelligere, ſed ſingula in ſe intueri dicitur.*

S. Auguſtinus *lib.* 15. *de Geneſ. ad litt. cap.* 15. hæc habet: *Deus in ſe ipſo, qui vita eſt, vidit omnia, quando fecit, & ſicut vidit ea, ita fecit, non præter ipſum videns, ſed in ſe ipſo.*

S. Thomas *hîc art.* 5. ſeu 1. *p. q.* 14. *a.* 5. expreſsè ait: *Deus ſe ipſum videt; alia autem à ſe videt non in ipſis, ſed in ſe ipſo.* Item *lib.* 1. *cont. Gent cap.* 67. ſic loquitur: *Cognitio Dei eſt de rebus omnibus per cauſam; ſe enim cognoſcendo, qui eſt omnium cauſa, alia quaſi per ſuos effectus cognoſcit.*

Reſp. Adverſæ partis Theologi breviter. Patres his verbis ſolùm velle, à Deo non cognoſci res per ſpecies ab ipſis emendicatas; non tamen negare cognoſci à Deo directè in ſe ipſis.

Argumentum 2dum petitur à variis rationibus Theologicis. 1ma. Intellectui perfectiſſimo repugnat duplex modus cognoſcendi, quorum unus ſit perfectior altero. Atqui divinus intellectus eſt perfectiſſimus. Ergo repugnat ei hujusmodi cognoſcendi modus. ſubſ. Atqui modus cognoſcendi creaturas in divina eſſentia eſt longè perfectior, quàm cognoſcendi eas immediatè in ſe ipſis. Ergo &c. 89

Reſp. AA. *Diſt. maj.* Intellectui divino repugnat duplex modus cognoſcendi, quorum

quorum unus ſit perfectior altero ex parte actûs, *conc.* ex parte objecti, *neg. maj.* Itaque duplex eſt in Deo creaturarum cognitio, per unam cognoſcuntur mediatè & indirectè in eſſentia divina ut perfectè & comprehenſivè cognita; & per alteram cognoſcuntur directè in ſe ipſis independenter ab omni medio: prima reſpicit directè eſſentiam divinam, creaturas verò indirectè; ſecunda verò directè fertur in creaturas, & indirectè in ea, quæ in creaturis cognitis cognoſci poſſunt. Undè manifeſtum eſt, inquiunt, objectum primæ cognitionis eſſe aliquid melius quàm objectum ſecundæ cognitionis; & ſic cognitionem primam eſſe aliquid ſecundâ melius ex parte objecti: at neutra eſt alterâ perfectior ex parte actûs; quia neuter modus tendendi in creaturas perfectior eſt altero: tantæ enim virtutis eſt Deum omnia alia à ſe diſtincta cognoſcere directè & immediatè, quantæ illa cognoſcere mediatè ſeu in alio; nam ex utroque arguitur intellectus ſimpliciter infinitus in ratione intelligentis.

Inſt. Si Deus aliqua cognitione cognoſcit directè & immediatè creaturas, aliqua Dei cognitio ſpecificatur à creaturis. Falſum conſequens; quia hujusmodi ſpecificatio in Deo importat imperfectionem. Ergo & antecedens.

Reſp. *Neg. ſeq. maj.* Nam, ut docet S. Thomas *hic q.* 14. *a.* 5. *ad* 3. in tantum objectum aliquod ſpecificat cognitionem ſui, in quantum eſt cauſa illius, & ad illam vel per ſe, vel per ſpeciem ſui vicariam concurrit cum intellectu, à quo cognoſcitur; at creaturæ cognitionem illam, qua à Deo directè & immediatè cognoſcuntur, nullatenùs pariunt, ſed purè terminant. Ergo non ſpecificant cognitionem illam, qua à Deo cognoſcuntur directè & immediatè in ſe ipſis.

Ratio 2da. Eo modo cognoſcuntur creaturæ à Deo, quo repræſentantur ei, per ſpeciem, qua intelligit. Atqui non repræſentantur in ſe & ratione ſui ipſarum. Ergo immediatè in ſe ipſis non cognoſcuntur. *Maj.* videtur certa; nam cùm *ex objecto & potentia, media ſpecie, generetur notitia*, ut habet axioma, palàm fit nihil intelligi poſſe niſi adminiculô ſpeciei objectum repræſentantis. *Min.* eſt Adverſariorum, qui ultrò fatentur, Deum cognoſcere creaturas immediatè in ſe ipſis absque eo, quòd ab ipſis ſpecies emendicet. Ergo, &c. 90

Reſp. AA. *Neg. ſuppoſ. majoris.* quòd ſcilicet Deus creaturas per ſpecies intelligat; poteſt enim, nec implicat, dari intellectum ſe ipſo ita completum, quin indigeat concurſu ſpeciei ad intelligendum. Ergo hujusmodi intellectus Deo denegari non debet.

Ratio 3tia. Intellectus divinus nullam poteſt accipere perfectionem à creatura. Ergo non poteſt ei uniri immediatè per modum objecti primarii. *Ant.* patet. *Prob. conſ.* Quia intellectus quodammodò perficitur ab objecto ſibi unito; ſiquidem ratione illius fit potens proximè ad intelligendum, cùm ſine illo ſolùm eſſet potens quaſi remotè Ergo, &c. 91

Reſp. AA. Ad 1mum. *Neg. conſ.* Ad 2dum. *Diſt. ant.* Intellectus perficitur ab objecto, ſi ſit primarium & formale, *conc.* Si verò tantùm ſit ſecundarium & reale, *neg. ant.* quia ſic divina cognitio ab eo nihil habere poteſt niſi terminationem extrinſecam; ſiquidem cognitio Dei jam plenè eſt conſtituta & perfecta, ſeu ſpecificata à ſuo objecto primario, nimirùm eſſentiâ divinâ.

Ratio 4ta. Bonitas creata non poteſt directè & immediatè terminare actum voluntatis divinæ. Ergo nec veritas creata actum intellectûs divini. 92

Reſp.

Reſp. AA. *Neg. ant.* Nam voluntas increata duplici virtualiter actu amat, v. g. creaturas poſſibiles uno, ſcilicet mediatè & indirectè propter bonitatem præamatam ſuæ eſſentiæ, cujus ſunt imitationes quædam ac participationes poſſibiles; altero autem directè & immediatè propter earum propriam bonitatem & amabilitatem intrinſecam non repugnantem, atque aptam ad terminandum actum amoris, qua præſuppoſitâ non poteſt voluntas divina non habere actum ſimplicis complacentiæ.

93 Ratio denique 5ta. Cognitio poſſibilium in ſe ipſis eſt ſupervacanea, & proindè Deô indigna. Ergo, &c. *Prob. ant.* Quia cognitio divina, prout terminatur ad Deum & ad poſſibilia in Deo eſt cognitio comprehenſiva Dei; atque adeò abſorbens omnem omninò perfectionem in linea cognoſcendi. Ergo cognitio immediatè terminata ad poſſibilia, eſt ſupervacanea. &c.

Reſp. AA. In Deo conſiderari poſſe tùm prædicata abſoluta, ut eſt bonitas, Aſeitas, &c. tùm prædicata reſpectiva realia, ut eſt omnipotentia potens hoc vel illud poſſibile; tùm denique prædicata reſpectiva intentionalia, ut eſt Omniſcientia terminata ad poſſibilia omni modô poſſibili, ſcilicet tùm in ſe ipſo, tùm in ſe ipſis. Jam in forma *Neg. ant.* Ad ejus prob. *Diſt. ant.* Eſt comprehenſiva Dei ſecundùm ejus prædicata abſoluta & reſpectiva realia ad creaturas poſſibiles, *conc.* ſecundùm reſpectiva intentionalia, *neg. ant.* & *conſ.* Quòd autem, inquiunt, hic novus modus cognoſcendi importet novam perfectionem, patet, quia cognoſcere objectum immediatè de ſe eſt bonum appetibile & perfectio.

§. III.

Proponuntur & ſolvuntur Argumenta eorum Theologorum, qui aſſerunt Deum cretauras immediatè in ſe ipſis videre &c. &c. 94

Argumentum 1mum. Non implicat Deum immediatè per ſe ipſum uniri intellectui creato in ratione ſpeciei intelligibilis ad viſionem & cognitionem claram ipſius Dei. Ergo nec è converſo quòd creatura immediatè per ſe ipſam uniatur intellectui divino in ratione ſpeciei intelligibilis ad cognitionem ipſius creaturæ.

Reſp. AA. *Neg. conſ. & parit.* Diſparitas eſt, quia ex eo, quòd creatura uniatur intellectui divino immediatè per ſe ipſam in ratione ſpeciei, ſequitur, quòd creatura ſit principium divinæ intellectionis, quod dici non poteſt; benè tamen poteſt dici, quòd Deus ſit principium viſionis, qua videtur à Beatis. Undè non eſt paritas. Prætereà ſequeretur intellectum divinum perfici à creatura, quod implicat; non autem implicat, quin imò ſummè conveniens eſt, ut intellectus creaturæ perficiatur per divinam eſſentiam.

Argumentum 2dum. Creaturæ cognoſcuntur à Deo omni modô, quo ſunt cognoſcibiles. Atqui ſunt cognoſcibiles immediatè in ſe ipſis. Ergo, &c. *Maj.* conſtat, alioquin virtus Dei cognoſcitiva non eſſet infinita. *Min.* etiam patet, ſic enim creaturæ à nobis cognoſcuntur. 95

Confirm. Intellectus divinus eſt præſtantior humanô. Ergo ſi intellectus humanus creaturas in ſe ipſis cognoſcere poteſt, poterit etiam intellectus divinus.

Reſp. AA. ad. arg. *Diſt. maj.* Cognoſcuntur omni modô non dicente imperfectionem, *conc.* Secùs, *neg. maj.* Vel aliter,

aliter, Cognoſcuntur omni modô, quo ſunt cognoſcibiles ex parte objecti, *conc.* ex parte actûs, ſeu cognoſcentis, *neg. maj.* id eſt, in creatura nullus eſt modus cognoſcibilitatis, qui Dei cognitioni ſubterfugiat; at non eſt neceſſe, ut Deus omnibus modis illis cognoſcat, quibus alii intelligentes illas cognoſcere poſſunt. Poteſt etiam abſolutè negari *Maj.* Nam iſta veritas, v. g. *Homo eſt riſibilis*, poteſt cognoſci ſimplici intuitu, aut per diſcurſum & cognitione à priori, aut à poſteriori & ſimiliter cognitione evidenti, vel confuſa, &c. & tamen non poteſt Deus illam cognoſcere omnibus modis iſtis, quia multi ex eis involvunt imperfectionem; quapropter quòd Deus haud ita cognoſcat, non oritur ex impotentia divinæ intellectualitatis, ſed ex ſumma ac infinita ejus perfectione, quæ in ſuo modo cognoſcendi imperfectionem non admittit.

Ad Confirm. Reſp. eodem modo, *neg. conſ.* Sicut non valet: *Homo cognoſcit diſcurrendo; ergo multò meliùs Deus*; nam potiùs ex infinitate divinæ intellectualitatis infertur contrarium.

Ex quo, inquiunt, ruit etiam aliud Adverſariorum argumentum, dum dicunt Angelis & animæ Chriſti competere duplicem creaturarum cognitionem, unam in ſe ipſis immediatè, & alteram in Verbo; cur ergo non etiam in Deo? Nam ratio diſcriminis in hoc ſita eſt, quòd Angeli & anima Chriſti ad duplicem illum cognoſcendi modum habeant diverſa principia; primò nempè eſſentiam divinam in ratione ſpeciei intelligibilis, quâ eſt principium cognitionis creaturarum in Verbo; Secundò, ſpecies infuſas, quæ ſunt principium cognitionis creaturarum in ſe ipſis: non ſic autem Deus, ut jam dictum eſt.

Inſt. Videre rem in ſe ipſa eſt perfectio. Ergo à Deo removeri minimè debet.

Reſp. *Diſt. ant.* Eſt perfectio reſpectu intellectûs, cujus intellectioni non repugnat ſpecificari ac pendere ab objecto creato, *conc.* cujus intellectioni hujusmodi dependentia repugnat, *neg. ant.* Vel aliter: Videre rem in ſe ipſa eſt perfectio, quæ tamen includat quamdam imperfectionem, videlicet dependentiam ab objecto creato, *conc.* Secùs, *neg. ant. &c.* Præpterea hujusmodi cognitio ex hoc quamdam reſpectivè imperfectionem involvit, quòd non ſit perfectiſſima; cùm enim in ea interveniat ſola ſcientia veſpertina, & hæc ignobilior ſit ſcientiâ matutinâ, liquet, quòd hic cognoſcendi modus creaturarum in ſe ipſis, non ſit perfectiſſimus, ac propterea à Deo removendus.

Urg. Res clariùs cognoſcitur in ſe ipſa, quàm in cauſa. Ergo hujusmodi cognoſcendi modus eſt perfectiſſimus.

Reſp. *Diſt. ant.* Res clariùs cognoſcitur in ſe ipſa, quàm in cauſa ſecunda, *conc.* quàm in cauſa prima, quæ omnes omninò rei differentias eminentiſſimè continet modô. *Neg. ant. & conſ.*

Urg. Cognitio intuitiva eſt, qua res cognoſcitur in ſe ipſa. Atqui Deus habet cognitionem intuitivam rerum. Ergo &c.

Reſp. *Diſt. maj.* Qua res cognoſcitur in ſe ipſa ex parte rei cognitæ, *conc.* ex parte medii cognitionis, *neg. ant.* id eſt, ut cognitio ſit intuitiva, oportet, ut cognoſcatur modus, quo res eſt in ſe ipſa; non tamen oportet, ut ſic immediatè res cognoſcatur, ſed ſufficit, quòd cognoſcatur per medium, in quo repræſentetur.

Argumentum 3tium. Cognitio, qua Deus cognoſcit creaturas, eſt practica. Ergo terminatur ad ipſas immediatè & primariò, & non ad divinam eſſentiam. Ant. eſt S. Thomæ *hîc q. 4. art. 8. & ult. Conſ. prob.* Quia cognitio practica non poteſt immediatè terminari ad divinam eſſentiam, utpotè quæ non eſt res operabilis. Ergo &c. 96

Con-

Confirm. Quia providentia Dei immediatè terminatur ad creaturas. Ergo etiam cognitio. *Prob. conf.* Quia providentia est actus intellectûs divini.

Resp. *Dist. conf.* Terminatur immediatè ad creaturas, ut practica est, *conc.* ut præcisè cognitio est, *neg. conf.* quia sic terminatur immediatè ad Deum, undè non valet hæc consequentia: *Cognitio Dei ut practica terminatur immediatè ad creaturam. Ergo cognitio Dei absolutè terminatur immediatè ad creaturam;* quia arguitur à dicto secundùm quid, ad dictum simpliciter. Et per hoc etiam patet responsio ad Confirm.

97 Argumentum 4tum. Deus amat creaturas immediatè in se ipsis. Ergo etiam eodem modo & in se ipsis cognoscit eas. *Conf.* patet; quia amor sequitur cognitionem. *Prob. ant.* Quia amat eas secundùm *esse*, quod habent in se ipsis distinctum ab *esse* Dei, ut docet S. Thomas *hîc q.* 20. *a.* 3. *ad* 3.

Resp. *Neg. ant.* & ad *prob.* Resp. quòd licèt creaturæ secundùm suum proprium *esse*, & quod habent in se ipsis extra Deum, sint objectum terminativum divini amoris sicut & divinæ cognitionis, tamen non terminat illum immediatè sed tantùm mediatè, mediante scilicet divina essentia; ejus enim bonitas amata à se est ratio amandi alia extra se, ut docet S. Thomas *hîc q.* 19. *a.* 3. *ad.* 4.

Dices. Deus odit aliquas creaturas & quidem immediatè. Ergo saltem illas cognoscit immediatè. *Conf.* videtur certa. *Ant.* verò quoad primam partem multipliciter constat ex S. Scriptura, præsertim Psal. 5. *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem.* Secunda autem pars probatur ex hoc, quia alioquin pro priori deberet suam essentiam odiô habere, sicut enim Deus amat hominem in sua essentia priùs amata, sic à pari deberet eum odiô habere in sua essentia priùs odiô habita.

Resp. Deum nihil odiô habere neque mediatè, neque immediatè, sed omnia, quæ sunt, amare, ut docet S. Thomas *hîc q.* 20. *a.* 2. & 1. *cont. Gent. cap.* 96. cujus ratio est; quia nemini vult malum ut ei malum est, quod requiritur ad rationem odii. In forma igitur, *Neg. ant.* si sermo sit de odio propriè dicto, quod est contrarium amori. Ad illius *prob.* dicendum, quòd Deus dicatur odiô habere peccatorem, non positivè, volendo ei malum quâ malum, sed tantùm negativè, quatenùs non vult ei supremum bonum beatitudinis; vel quatenùs vult punitionem illorum propter bonum suæ justitiæ.

Argumentum 5tum. Status, quem habent res in se ipsis, difformis est statui, quem habent in Deo; nam in se ipsis sunt defectivæ, in Deo autem sine defectu. Ergo nisi Deus etiam res in se ipsis cognoscat, eorum defectus videre non poterit. 98

Resp. *Dist. ant.* Est deformis in modo *essendi*, *conc.* in modo *repræsentandi*, *neg. ant.* Nam repræsentat res secundùm eorum defectum per oppositam formam, scilicet per perfectionem; sicuti enim tenebræ cognoscuntur per lucem, qua privant, sic Deus dum per suam essentiam intuetur bonitatem ac perfectionem, quæ in subjecto esse deberet, hoc ipso videt illius defectus.

Inst. Saltem hujusmodi defectus, sicut & peccata, atque entia rationis non potest cognoscere in sua essentia tanquam in causa. Ergo &c.

Resp. Ut priùs, Deum cognoscere mala per bona creata, quibus opponuntur; & quia boni, per quod malum cognoscitur, Deus est causa, sic omnia in se ipso, ut in causa, cognoscit, non quia mali causa sit, sed quia est causa boni, per quod malum cognoscit. Idem dicendum de entibus rationis.

99 Argumentum 6tum. Deus cognoſcit creaturas non ſecundùm illud eſſe eminentiale, quod habent in eſſentia divina, ſed etiam ſecundùm ſuum *eſſe* formale. Ergo etiam ab eo cognoſci debent in ſe ipſis. *Ant.* patet ex §. 1. *Prob. conſ.* Creaturæ in Deo non ſunt ſecundùm ſuum *eſſe* formale, alioquin Deus eſſet, v. g. Leo. Ergo ſi Deus eas cognoſcit ſecundùm hoc ſuum *eſſe* formale, palàm fit, quòd eas extra ſuam eſſentiam cognoſcere debeat.

Reſp. *Neg. conſ.* Ad ejus *prob. Diſt. ant.* Creaturæ in Deo non ſunt ſecundùm ſuum *eſſe* formale, in *eſſe* entitativo, *conc. ant.* in *eſſe* intelligibili & repræſentativo, *neg. ant. & conſ.* Eſſentia quippè divina, ut modificata ideis divinis, repræſentat res prout ſunt in ſe ipſis, non aliter ac Artifex ſua opera in ſuis ideis præhabet, non quidem in *eſſe* entitativo, ſed tantùm in *eſſe* intelligibili.

§. IV.

100 *Declaratur quænam ſententia ſit alteri præferenda.*

Quandoquidem intellectus cognoſcere nequit veritates creatas, quin eas comprehendat; comprehenſio autem veritatis creatæ haberi nequit, niſi omnes illius cauſæ cognoſcantur, & quia præcipua cauſa veritatis creatæ eſt Deus; ſic videtur, Deum non poſſe cognoſcere veritates creatas, niſi in ſe ipſo tanquàm medio, & causâ priùs cognitâ. Id ſanè videntur docuiſſe SS. Patres ſuprà laudati; prout de SS. Dionyſio & Thoma ultrò fateri debent adverſæ opinionis patroni.

Undè ad Reſponſionem auctoritati eorumdem SS Patrum adjectam dicimus, eam non habere ſufficientem veritatis ſpeciem. 1mo. ſiquidem SS. Patres ex eo probant Deum non cognoſcere creaturas in ſe ipſis; quia cognoſcit eas in ſe ipſo. Ergo non ſolùm docent, Deum non cognoſcere creaturas in ſe ipſis, ex eo, quòd non emendicet ab eis ſpecies; ſed ſanè ex eo, quòd eas cognoſcat in ſuâ eſſentia. 2do. Hac dicendi ratione nihil ſpeciale Deo tribuerent SS. Patres, quod Angelis convenire nequeat: Angeli quippè non intelligunt per ſpecies à rebus emendicatas, cùm eas habeant in ſua ratione infuſas. Atqui hoc eſt alienum à mente SS. Patrum, cùm eorum intentum ſit demonſtrare cognitionem creaturarum in intellectu divino longè eſſe diverſam à cognitione intellectûs creati. 3tio. Cognoſci aliquid cognitione immediata eſt verè ac propriè cognoſci in ſe ipſo. Atqui SS. Patres abſolutè negant creaturas à Deo cognoſci in ſe ipſis. Ergo etiam negant eas cognoſci cognitione ad illas immediatè terminata. Et ſanè cùm S. Thomas cit. *q.* 14. *a.* 5. ex inſtituto inquirat, an Deus videat creaturas in ſe ipſis vel in ſe ipſo, non debuiſſet abſolutè aſſerere Deum non videre creaturas in ſe ipſis; ſed oportuiſſet eum uti quadam limitatione, quemadmodùm faciunt Adverſarii, ſi veram eſſe eorum diſtinctionem agnoviſſet. Vel ergo S. Thomas in hac quæſtione fuit diminutus, vel certè Adverſariorum reſponſio non ſubſiſtit. Et certè clariora ſunt hujus S. Doctoris verba, quàm ut in alienum ſenſum detorqueri valeant; *Deus*, inquit, *ſe ipſum videt in ſe ipſo, alia autem à ſe videt non in ipſis, ſed in ipſo, in quantùm eſſentia continet ſimilitudinem aliorum ab ipſo*, id eſt, in quantùm gerit vices ſpeciei aliorum.

Ad Reſponſionem ad primum Argumentum ex ratione petitum dicimus, quòd modus cognoſcendi creaturas in divina eſſentia ſit longè perfectior quàm modus eas cognoſcendi in ſe ipſis non ſolùm ex parte objecti, verùm etiam ex 101

parte

parte actûs, quod manifestè patet ex S. Augustino *lib. 11. de Civ. Dei c. 7.* ubi ait: *Cognitio creaturæ in se ipsa decoloratior est, quàm cùm in Dei sapientia cognoscitur, velut in arte, per quam facta est.* En quomodò hic S. Doctor cognitionem decoloratiorem seu minùs perfectam non refundit in objectum, sed certè in actum, seu in ipsum modum cognitionis ac tendentiæ.

Responsio autem data ad Inst. sanè non est ad mentem S. Thomæ; quia ibi docet, quòd in tantùm objectum aliquid specificet, in quantùm est principale intentum, in quo alia cognoscuntur, undè posteà infert, non oportere, quòd intelligere divinum per aliud, quàm per suam essentiam specificetur; ibid. enim in ⊙ dicit: *Deus alia à se non in se ipsis, sed in se ipso, seu in sua essentia videt.* Prætereà mens S. Thomæ magis declaratur *lib. cont. Gent. cap. 48.* ubi sic loquitur: *Operatio intellectualis speciem & nobilitatem habet secundùm id, quod est per se primò intellectum, cùm hoc sit ejus objectum; si igitur Deus aliud à se intelligeret quasi per se & primò intellectum, ejus operatio intellectualis speciem & nobilitatem haberet ab alio quàm ab ipso: hoc autem est impossibile, cùm ejus operatio sit ejus essentia; & hæc, quippè Ens à se, nequeat ab alio distincto à Deo speciem capere; sic igitur impossibile est, quòd intellectum à Deo primò & per se sit aliud ab ipso.*

102 Responsio ad Argumentum 2dum allata itidem pugnat contra doctrinam ejusdem S. Thomæ. Nam cit. *q. a. 5. in* ⊙. Et in *solutione ad 3.* docet essentiam divinam esse speciem intelligibilem, qua Deus se ipsum & creaturas cognoscit. Pugnat etiam contra rationem: nam sicut implicat dari voluntatem, quæ sit volitionis principium, nisi media apprehensione objecti; ita pariter implicat dari intellectum, qui sit intellectionis principium, sine concursu objecti contra ipsum constituti, in ratione intelligibilis. Atqui objectum, ut concurrens objectivè ad intellectionem, gerit munus speciei. Ergo implicat, intellectum sine specie esse principium intellectionis.

Contra Responsionem ad Argumentum 3tium. facit 1mo. quia quod in se ipso cognoscitur est immediatum cognitionis objectum. Atqui quod est immediatum cognitionis objectum est per se primò cognitum, & consequenter primarium cognitionis objectum. 2do. Vel creaturæ ut à Deo cognitæ in se ipsis sunt objectum subordinatum divinæ essentiæ, vel non: si primum; ergo non cognoscuntur nisi dependenter ab essentia divina: Si secundum; ergo sunt objectum primarium, ac proindè ab iis perficitur intellectus divinus.

Responsio data ad Argumentum 4tum 103
iterùm adversatur menti S. Thomæ, qui *hîc q. 19. a. 2. ad 2.* sic differit: *In his, quæ volumus propter finem, tota ratio movendi est finis, & hoc est, quod movet voluntatem: Undè cùm Deus alia à se non velit, nisi propter finem, qui est sua bonitas, non sequitur, quòd aliquid aliud moveat voluntatem suam, nisi bonitas sua, & sic, sicut alia à se intelligit intelligendo essentiam suam, ita alia à se vult volendo bonitatem suam.* Et rursùs in *solut. ad 3. Ex hoc*, inquit, *quòd voluntati divinæ sufficit sua bonitas, non sequitur, quòd nihil aliud vult, nisi rationesuæ bonitatis: sicut etiam intellectus divinus, licèt sit perfectus, ex hoc, quòd essentiam divinam cognoscit, tamen in ea cognoscit alia.*

Responsio denique ad Argumentum 104
5tum data non videtur subsistere; nam ex ea sequitur, quòd, cùm modus cognoscendi creaturas in se ipsis importet perfectionem (ut habet Responsio) etiam divina

divina cognitio ab hoc modo cognoscendi creaturas in se ipsis perfectior reddatur, ac proindè creaturæ concurrant ad perfectionem divinæ cognitionis, quod tamen admittere nolunt Adversarii. Dicendum itaque, quòd hujusmodi cognoscendi modus tantùm rationem cujusdam perfectionis in intellectu creato habeat, nusquam autem in intellectu divino. Nam sic conficitur Argumentum: Vel hujusmodi cognitio possibilium in se ipsis spectat ad perfectionem divinæ cognitionis, vel non: si dicatur quòd non; ergo est superflua: si dicatur quòd sic; contrà est, quia eo ipso, quòd cognitio divina comprehendat divinam essentiam, & omnia, quæ in ipsa continentur, adæquat intrinsecam Dei cognoscibilitatem, atque adeò est cognitio Dei perfectissima; ergo cognitio possibilium in se ipsis nequit conferre ad perfectionem divinæ intellectionis.

105 # EXERCITATIO SEXTA.

De præsentia præteritorum, præsentium, ac futurorum in æternitate.

Ad §. 5. cap. 3. Part. 1. Tract. 2. *de Deo Uno & Trino* Tom. 2. Theol. nost.

QUòd Deus futura omnia sibi habeat præsentia intentionaliter ab æterno, quatenùs omnia cognoscit simul, quæ succeffivè erunt, non dubitatur; sicut enim potest quis ex alta turri simul videre homines sibi succedentes; ita potest Deus ex editissima æternitate sua ea simul prospicere, quæ erunt succeffivè futura in æternum. Controvertunt duntaxat quidam Theologi inter se, an scilicet futura habuerint ab æterno in æternitate divina non solùm præsentiam intentionalem explicatam, sed etiam realem? Quam controversiam sequentibus paragraphis usitata hactenùs methodo expedimus.

§. I.

106 *Nonnulla præmittuntur ad meliorem dicendorum notitiam.*

ADvertendum 1mo. quòd Æternitas nihil aliud sit, nisi duratio infinita, indivisibilis, & tota simul; definitur enim à Severino Boëtio lib. 5. de consol. philosoph. prosâ 6. *Interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio.* Dicitur *possessio*, id est, duratio firma & stabilis; non verò fluxa instar nostræ.

Dicitur etiam *tota simul*, per quod excluduntur partes & successio, quæ in durationibus creatis inveniuntur. Dicitur quoque *perfecta*, ut denotetur purissima illus actualitas; atque omnis imperfectio, quæ creatas durationes concomitari solet, removeatur. Dicitur ulteriùs *vitæ*; quia in viventibus durare est vivere, sicut desinere est mori. Dicitur denique *interminabilis*, per quod denotatur, æternitatem carere initio & fine.

Advertendum est 2do. tripliciter concipi posse realem rerum in æternitate præsentiam 1mo. Sic, quòd res ab æterno producta fuerit per quamdam actionem

nem anticipatam prævenientem temporalem illius productionem. 2do. Quòd existentia rei futuræ se adæquatè extendat ad totam æternitatem, qualiter se extenderet tempus infinitum si daretur. 3tio. Sic, quòd æternitas extendatur ad illam temporis differentiam, in qua res contingenter futura habebit suam existentiam. Et de hac ultima rerum in æternitate præsentia hîc quæstia movetur.

Advertendum 3tio. Hæc duo, nimirùm *Rem esse ab æterno*, & *Esse Deo præsentem ab æterno in mensura æternitatis*, quæ à nonnullis confundi solent, omninò inter se differre. *Rem enim esse ab æterno*, est eam coëxistere ad totam æternitatem, eo ferè modo, ut jam dictum est, quo illi coëxtenderetur tempus infinitum, si daretur; sicque deberet illi commensurari secundùm omnes virtualitates, quas in se æternitas continet. *Rem autem esse Deo præsentem ab æterno in mensura æternitatis secundùm suum esse physicum* plus non dicit, quàm quòd differentia temporis, in qua res aliquando habebit existentiam, nunc & ab æterno ambiatur ab æternitate, illique secundùm quamdam ejus virtualitatem correspondeat. pro quo

Advertendum 4to. Quòd sicut esse divinum, quamvis simplicissimum, æquivaleat multis perfectionibus, quæ in rebus creatis inveniuntur; atque adeò virtualiter distinctas in se contineat formalitates; ita pariter, licèt ejus æternitas sit prorsus indivisibilis, ipsa tamen habet extensionem quamdam virtualem, seu sinus virtualiter distinctos per correspondentiam ad nostrum tempus, v. g. unus sinus, seu, si mavis, formalitas correspondet tempori præterito, alia formalitas tempori præsenti, & alia denique tempori futuro. His ita prænotatis sit

§. I.

Proponuntur & resolvuntur Argumenta affirmantium præterita, præsentia, ac futura Deo realiter in æternitate esse præsentia. 107

Argumentum 1mum. desumitur ab auctoritate SS. Patrum. *Quid est præscientia*, inquit S. Augustinus *lib.* 2. *ad Simplician. q.* 2. *nisi futurorum scientia? quid autem futurum est Deo, qui omnia supergreditur tempora.* Item *lib. de prædest. & grat. c.* 5. ait: *Apud Deum jam natos esse homines.* Et *lib.* 4. *de Trin. c.* 17. *Apud Deum*, inquit, *præterita & futura stant.* Et *c. ult.* sic ait: *Apud Deum nec præterita transeunt, & futura jam facta sunt.*

S. Gregorius *lib* 20. *Moral. c.* 24. *Quomodò*, inquit, *est præscius, dum nulla, nisi quæ futura sunt, præsciuntur? & scimus, quia Deo futurum est nihil.*

S. Isidorus *lib.* 2. *de sum. bon. c.* 6. sic ait: *Omnia tempora præcedit divina æternitas, nec in Deo præteritum, præsens & futurum, sed omnia præsentia in Deo dicuntur, quia æternitate sua cuncta complectitur; alioqui mutabilis est Deus credendus, si ei successiones temporum adscribantur.*

S. Petrus Damiani *opusc.* 36. *Epist.* 4. *Omnipotenti Deo*, inquit, *non est heri vel cras, sed hodie sempiternum, cui nihil deest, nihil accedit.*

Ex his jam sic argumentari licet: Quamvis Artifex sui artefacti ideam habeat, ipsique sit præsens objectivè in intellectu, non potest tamen dici, quòd ip-

ipsum artefactum ei non sit futurum. Item licèt in mentibus Prophetarum fuerit præsentia objectiva earum rerum, quas vaticinabantur, non potest tamen dici, quòd ejusmodi res illis non fuerint futuræ, nec eorum habuerint præscientiam; cùm igitur ex SS. Patribus modò laudatis constet Deo nihil esse futurum, sequitur manifeste, quòd res non tantùm objectivè, sed etiam realiter sint ei præsentes in æternitate. Et hæc est ratio, cur communiter SS. Patres in Deo non dari propriè præscientiam velint, quia nempe hæc tantùm sit futurorum scientia, Deo autem omnia sint præsentia, Undè S. Anselmus ait: *Præscientia Dei propriè non dicitur præscientia, cui enim omnia sunt præsentia, non habet futurorum præscientiam, sed præsentium scientiam.*

Resp AA. 1mo. SS. Patres tantùm negare suis locutionibus dari præteritum & futurum respectu Dei, quod verissimum est; sed ad hoc verificandum sufficit, inquiunt, quòd Deus nullam habeat durationem præteritam aut futuram sibi intrinsecam, sic enim fit, quòd ex parte Dei nulla rerum detur successio, sed hujusmodi successio se teneat ex parte rerum.

Resp. 2do. SS. Patres non negare veram præscientiam futurorum in Deo, sed tantùm imperfectam, quæ nimirùm præcedat scientiam futurorum intuitivam, quemadmodùm apud nos contingit.

Resp. 3tio. SS. Patres loqui de præsentialitate objectiva & intentionali; Deus quippe ab æterno omnia cognoscit, & ejus intuitus fertur super omnia, unde certè sunt illi omnia præsentia ab æterno objectivâ; scilicet præsentialitate, neutiquam verò reali & physicâ.

108 Argumentum 2dum. petitur specialiter ab auctoritate S. Thomæ: Nam 1. *cont. Gent. c.* 67. sic ait: *Rerum, quæ apud nos nondùm sunt, Deus videt non solùm esse, quod habent in suis causis, sed etiam illud, quod habent in se ipsis, in quantùm ejus æternitas est præsens suæ indivisibilitate omni tempori.* Et 1. *p. q.* 14. *a.* 13. *in* ⊙ hæc habet: *Æternitas tota simul existens ambit totum tempus. Undè omnia, quæ sunt in tempore, sunt Deo ab æterno præsentia non solùm ea ratione, qua habet rationes rerum apud se præsentes, ut quidam dicunt, sed quia ejus intuitus fertur ab æterno supra omnia, prout sunt in sua præsentialitate.* Ex quo sic conficitur argumentum: S. Thomas contradistinguit præsentiam, qua res Deo præsentes sunt in *sua præsentialitate*, ab illa objectiva, qua sunt præsentes per rationes rerum seu in ideis, quæ, ut habent adjunctam voluntatem divinam, futura contingentia repræsentant. Ergo S. Thomas non tantùm objectivam rerum præsentiam, sed etiam realem in æternitate admittit, alioquin ejus contradistinctio nulla esset.

Resp. AA. Verba S. Thomæ intelligenda esse de præsentialitate objectiva, nam intentum ejus erat demonstrare, quòd futura contingentia non solùm sint in mente divina, in quantùm cognoscuntur per ideas ut possibilia & factibilia, sed etiam prout cognoscuntur per scientiam visionis, qua divinus intuitus fertur super res ipsas intuendo earum existentiam in propria sua temporis differentia, quæ est eorum præsentialitas: & hæc præsentia adhuc manet objectiva & distincta ab alia præsentia objectiva meræ possibilitatis, quæ est objectum simplicis intelligentiæ.

Argumentum 3tium. desumitur ex 109
invariabili scientia Dei. Nam nisi futura Deo essent physicè præsentia in æternitate, Deus sciret aliquid de novo in tempore, quod in æternitate non scivisset. Ergo ejus scientia esset variabi-

bilis. Falsum cons. Ergo & ant. *Prob. seq. maj.* Quia Deus rem, dum ipsa in propria duratione sua existit, videret ut sibi physicè præsentem, quam anteà solùm ut futuram cognovisset. Ergo &c.

Resp. AA. Dei scientiam ex hoc non fore mutabilem, sed tantùm denominatio videntis mutaretur, sicut mutatur in illo denominatio Domini, Creatoris, &c. absque eo, quòd Deus intrinsecè mutetur.

110 Argumentum 4tum. petitur ab excellentia ipsius æternitatis. Nam æternitas est duratio infinita, indivisibilis, & tota simul, ùt suprà dictum est. Ergo æternitas ratione infinitatis continet omnem durationis mensuram, scilicet præteritum, præsens, & futurum; ratione indivisibilitatis suæ autem secundùm se totam, id ipsum omne tempus ambit. Et tandem ratione simultatis suæ omni durationi ab æterno coexistit. Ergo Deo ratione suæ æternitatis omnia sunt physicè præsentia.

Confirm. Æternitas ambit per modum mensuræ superioris & excedentis omnes differentias nostri temporis, præsentis videlicet, præteriti, & futuri; & omnia, quæ in illis existunt; adeoque his omnibus tota simul formaliter coexistit, haud secùs ac immensitas ratione suæ infinitatis secundùm se totam coexistit omnibus differentiis locorum. Ergo nulla creatura in aliqua temporis differentia extitura potest esse futura respectu æternitatis, ac consequenter omnia sunt illi realiter præsentia.

Resp. AA. Ex indivisibilitate æternitatis solùm inferri posse, quòd careat successione sibi intrinseca, non autem extrinseca, scilicet ex rebus fluxis ac successivè æternitati coexistentibus desumta: sicut arbor in medio fluvii defixa successivè coexistit aquis continuò fluentibus non successione se tenente ex parte ipsius, sed ex parte aquarum.

Inst. 1mo. Eo ipso, quòd duratio aliqua sit infinita & tota simul, debet esse mensura infinitô & immutabili modô mensurans omnes durationes creatas etiam futuras, & quidquid in eis continetur. Atqui eo ipso, quòd sit mensura infinitô & immutabili modô mensurans, debet actu omnes illas, & omnia, quæ in eis continentur mensurare, & actu illis coexistere. Ergo ratione sui neque intrinsecam, neque extrinsecam patitur successionem.

Resp. *Neg. min.* Enimverò sequitur duntaxat hujusmodi futura divinæ æternitati coextitura esse, quando erunt, & quidem sine ulla mutatione in æternitate, cùm ipsa careat mutatione intrinseca, ut jam dictum est. Sed non sequitur, quòd actu & realiter coexistant: quomodò enim coexisterent æternitati, quæ non existunt in se?

Inst. 2do. Si respectu æternitatis aliquid est futurum, tunc poterit concipi cum aliqua potentialitate ad coexistendum successivè; priùs enim se extenderet ad unam durationem, quàm ad aliam. Sed hoc omninò repugnat durationi actu infinitæ. Ergo &c.

Resp. *Dist. maj.* Si respectu æternitatis adæquatè sumtæ, & secundùm id, quod dicit in recto, divinam scilicet existentiam, aliquid est futurum, poterit concipi cum potentialitate, *conc.* Si solùm secundùm id, quod dicit in obliquo & connotativè, ipsam nimirùm temporis successionem, *neg maj.* Undè hîc nulla est timenda potentialitas: si enim nulla refunditur potentialitas in immensitatem, quòd non coexistat realiter ac physicè locis futuris; quia tota mutatio datur duntaxat ex parte ipsorum locorum; cur, quæso, refundetur po-

potentialitas in æternitatem physicè non coexistentem temporibus, si in eis sola successio reperiatur.

§. III.

110 *Proponuntur & resolvuntur Argumenta negantium præterita, præsentia, ac futura, Deo realiter in æternitate esse præsentia.*

Argumentum 1mum. ab auctoritate S. Scripturæ petitum, in qua multoties legimus res in tempore creatas fuisse, ac proindè non esse ab æterno. Ex quo sic ulteriùs urgetur: Si res omnes, ut fide certum est, inceperunt in tempore, tunc aliquando secundùm esse reale & physicum nihil fuerunt. Atqui quod aliquando nihil fuit, illud secundùm suum esse reale & physicum non existit in æternitate.

Resp. AA. 1mo. *neg. suppos.* quasi dicerent scilicet, res præsentes esse in æternitate per anticipatam earum productionem in æternitate distinctam ab ea, qua producuntur in tempore. Contrarium quippe constat ex §. 1. *Advert.* 3.

Resp. 2do. *Dist. cons.* Ergo non sunt ab æterno præsentes æternitati adæquatè sumtæ, *conc.* inadæquatè sumtæ, *neg.* secundùm illam virtualitatem, quæ correspondet illi temporis differentiæ, in qua res producitur & existit, *neg cons.*

Ad adjectum Argumentum Resp. *Dist. maj.* tunc aliquando nihil fuerunt in propria mensura, *conc.* In mensura aliena propriam mensuram ambiente, *neg. maj.* &c.

Inst. 1mo. Prius est rem esse in propria duratione & mensura, quàm in aliena & superiore; quia ratione illius in hac existit. Ergo quamdiu futura non existunt in duratione propria non poterunt existere in aliena ut in mensura excedente.

Resp. *Dist. ant.* Si aliena mensura sit finita, *conc.* si sit infinita, *neg. ant.* nam tunc ratione suæ infinitæ extensionis se extendit ad omnia, quæ ambit. Undè ut aliquid ab æternitate contineatur, non requiritur, ut actu existat in propria duratione ac formali mensura, sed sufficit, quòd extiterit, vel extiturum sit.

Inst. 2do. Implicat motum sublunarem realiter existere in duratione motûs primi mobilis, nisi priùs existat in duratione sibi intrinseca & propria. Ergo à pari repugnat cuilibet rei existere in mensura aliena & superiori, nisi priùs existat in propria & sibi intrinseca.

Confirm. Nullum prædicatum potest competere rebus in mensura superiori, quod illi repugnat in mensura propria; aliàs mensura superior mutaret naturas rerum. Ergo si existere ab æterno, & Deo coexistere repugnat rebus temporalibus secundùm propriam illarum durationem & mensuram, non poterit eis competere ratione mensuræ superioris scilicet æternitatis.

Resp. ad arg. Durationem primi mobilis non esse infinitam in sua mensura, ac proinde non posse mensurare ea, quæ non existunt. At æternitas, cùm sit infinita, nullisque durationum terminis coërceatur, potest claudere, ac de facto claudit & continet, præoccupatque omnes mensuras omnium durationum futurarum.

Ad Confirm. Resp. Falsum esse antecedens, quod vel ex hoc manifestum fit, quia Corpori Christi in cœlo competit esse extensum, divisibilem, & circumscribi à loco, non verò ut in Eucharistia existenti. Potest tamen distingui;

gui: nullum prædicatum essentiale potest competere in mensura superiori, quod illi repugnat in propria mensura, *conc.* Si sit tantùm accidentale, vel tale, quod convenit rei ex modo existendi, quem habet in mensura superiori, *neg. ant.* & *conf.*

Inst. 3tio. Si futura coëxisterent æternitati ab æterno in aliena mensura, hoc ipso coexisterent etiam illi ab æterno in propria mensura ut exercitè ea mensurante. Atqui hoc ab Adversariis non admittitur. Ergo &c. *Prob. maj.* Hoc, quod est Antichristum v. g. existere in propria mensura exercitè eum mensurante, jam existit ab æterno, si vera est eorum sententia. Ergo ab æterno existit Antichristus in propria mensura exercitè eum mensurante. *Prob. ant.* Omne futurum existit realiter in æternitate. Atqui Antichristum aliquando exiturum in propria mensura exercitè eum mensurante est aliquid futurum. Ergo Antichristus existit in æternitate jam in propria mensura exercitè eum mensurante.

2do. Quidquid est futurum existit physicè in æternitate. Atqui actio productiva Antichristi est futura. Ergo hæc actio existit physicè in æternitate. Ergo etiam Antichristus physicè productus. Hoc argumentum evidenter concludit, sed repugnat fidei.

Resp. ad. 1mum. *Dist. conf.* Ergo ab æterno existit Antichristus in propria mensura exercitè eum mensurante, ut præoccupatâ & contentâ in mensura superiori ambiente etiam ipsam mensuram exercitè eum mensurantem, *conc.* absolutè, & vi alicujus extensionis præviæ Antichristi & durationis propriæ illum mensurantis ad coexistendum æternitati, *neg. conf.* Itaque mensura propria Antichristi etiam exercitè eum mensurans sic est in æternitate existens, ut potiùs debeat dici mensurata, quàm mensurans; nam ibi non exercet rationem formalem mensuræ saltem ratione sui, sed habet se merè materialiter.

Ad 2dum. Resp. concessô totô syllogismô. *Dist. illat.* Ergo etiam Antichristus physicè productus est in æternitate, ut in mensura aliena ambiente propriam ejus mensuram, in qua habebit esse productum, & præoccupante eam, *conc.* Ut in mensura propria formaliter eum mensurante, vel ratione extensionis præviæ Antichristi existentis ad coexistendum æternitati, *neg. illat.* Solutio hæc patet ex antecedenti.

Inst. 4to. Repugnat existere constitutivum mensuræ & actionis producentis, quin mensuret mensurabile, & producat producibile, atque illud productum denominet. Atqui ab æterno & nunc, ut concessum est, existit totum hoc constitutivum mensuræ ac productionis. Ergo denominat Antichristum nunc & ab æterno productum ac mensuratum à propria mensura.

Resp. *Dist. maj.* Repugnat existere constitutivum mensuræ &c. quin mensuret mensurabile eo modo, quo illud mensurare potest, *conc.* alio, quo illud mensurare non potest, *neg. maj.* &c. Sciendum est, quòd mensura v. g. Antichristi solùm ratione æternitatis, & quoad Deum, ipsum mensuret in æternitate; non verò ratione sui seu temporis & quoad nos, sic enim hujusmodi mensura dignoscitur futura atque adeò mensurata per æternitatem se extendentem ad illam temporis differentiam, in qua etiam ratione sui habebit existentiam.

Argumentum 2dum. petitur ab auctoritate SS. Patrum, qui in Deo ad- 118

mittunt præſcientiam ex Apoſtolo *Rom.* 8. ubi ait: *Quos præſcivit & prædeſtinavit.* Sic S. Auguſtinus *lib.* 1. *de Genes. ad litt.* ait: *Res, antequam fierent, erant, & non erant: erant in ſcientia, & non erant in ſua natura.*

Reſp. Apoſtolum intelligendum eſſe de præſcientia impropria, in quantùm nimirùm eſt cognitio non in omni, ſed tantùm in menſura propriæ durationis. Vel loquitur de præſcientia in alio ſenſu, prout nimirùm modificata decreto, de quo alibi plura.

Ad auctoritatem S. Auguſtini Reſp. illum plus non velle, quàm nullum eſſe Ens creatum, antequàm fiat in propria menſura, ſed tantùm eſſe in ſcientia nimirùm intuitiva Dei, quæ terminatur ad rem realiter præſentem ſcilicet in menſura æternitatis.

Inſt. S. Auguſtinus *lib.* 12. *de Civ. c.* 25. expreſſe ait: *Res, antequam fierent, non fuerunt: ſed antè, dico, æternitate, non tempore.* Ergo S. Doctor excludit a rebus creatis realem præſentiam, etiam eam, quæ habetur per menſuram æternitatis.

Adſtipulatur S. Iſidorus *lib. de ſum. bon. c.* 8. ubi, *Si tempora*, inquit, *ſemper eſſent Deo præſentia, non eſſent tempora ſed æternitas; quia non mutarentur, ſed ſtarent.*

Reſp. S. Auguſtinum loqui de rebus, quoad propriam ipſarum menſuram: vel de æternitate adæquatè, non verò inadæquatè ſumta. Sanctus Iſidorus verò tantùm vult excludere à tempore præſentiam in æternitate per extenſionem ipſius temporis ad coexiſtendum æternitati, non verò per extenſionem æternitatis ad coexiſtendum tempori.

Urg. S. Thomas ſup. laudatus, *q.* 14. *a.* 3. ait, omnia Deo ab æterno eſſe præſentia; quia *ejus intuitus fertur ab æterno ſuper omnia.* Ergo in quantùm ſunt præſentia Deo objectivè duntaxat.

Reſp. S. Thomam non dixiſſe; quòd cognitio feratur ab æterno ſuper omnia, ſed *intuitus*, id eſt, cognitio intuitiva & practica ſeu ſcientia viſionis, quæ neceſſariò terminari debet ad rem realiter præſentem, ut ipſe docet *q.* 3. *de verit. a.* 3. *ad* 8. ubi ait: *Viſio addit ſupra ſimplicem cognitionem aliquid, quod eſt extra genus notitiæ, quod eſt exiſtentia rei.* Præterea cit. *q.* 14. *a.* 13. ex præſentia futurorum contingentium in æternitate infert, Deum illa intuitivè videre. Ergo ſentit, quòd intuitio non ſit ratio præſentiæ, ſed potiùs quòd phyſica illorum in æternitate præſentia ſit ratio intuitionis.

Argumentum 3tium. deſumitur ex absurdis, quæ in hac ſententia ſequerentur. Sequeretur enim 1mo. Eandem rem bis produci, ſemel ſcilicet in æternitate, in qua nequit phyſicè exiſtere quin in illa phyſicè producatur: & rurſus in tempore, quandò ſcilicet quoad nos extra cauſas ponitur. 2do. Sequeretur rem in tempore non creari ſeu produci ex nihilo, cùm ſupponatur ab æterno exiſtere. 3tiò Sequeretur Antichriſtum ſimul eſſe & non eſſe in æternitate. *Prob.* Ideò Antichriſtus exiſtit in æternitate, quia ipſa continet illam temporis differentiam, in qua iſte aliquando erit. Atqui æternitas etiam continet differentiam præſentis temporis, in qua tamen Antichriſtus nondum eſt. Ergo Antichriſtus eſt in æternitate & non eſt in æternitate. 4to. Sequeretur tempora poſſibilia & res in illis poſſibiles exiſtere phyſicè & realiter in æternitate. *Prob.* Quod eſt infinitum in ſua linea & continentia, illud ambit & continet omnes perfectiones ſuæ lineæ non tantùm actuales, ſed etiam poſſibiles. Atqui æternitas eſt infinita

nita in linea durationis ac mensuræ. Ergo continet & ambit durationes non tantùm præteritas, præsentes, & futuras, sed etiam possibiles. 5to. Sequeretur dari multitudinem simpliciter infinitam in actu simul præsentem in aliqua duratione, quod juxta communiorem repugnat. *Prob seq.* Quia multitudo cogitationum futurarum omnium substantiarum intellectualium, quæ in æternum sunt exituræ, est simpliciter infinita, eò quòd ad earum finem nunquam devenire valeamus. Atqui omnes hæ cogitationes sunt simul in nunc æternitatis præsentes. Ergo &c.

Resp. AA. ex sua sententia neutiquam hæc sequi absurda. Nam

Ad 1mum. *Neg. seq.* Siquidem res non dicuntur produci in æternitate alia actione, quàm eâ, qua in tempore producuntur; quia eadem omninò actio, qua in tempore producuntur, est etiam in æternitate.

Ad 2dum. pariter *neg. seq.* Quia res non habet diversum esse in æternitate ab illo, quod in propria duratione est habitura, ac proindè in æternitate non præsupponitur aliquod esse à quo tanquam à termino res producatur; cùm nihil ex semetipso fieri possit.

Ad 3tium. Resp. Quòd, sicut de divinis attributis possunt verificari prædicata contradictoria, eò quòd virtualiter saltem distinguantur; sic pariter distinctio partium ac sinuum virtualium in æternitate sufficit, ut de Antichristo verificentur prædicata contradictoria; quia non verificantur de æternitate secundùm idem formaliter, sed solùm secundùm sinus virtualiter diversos.

Ad 4tum. Resp. Quòd non ideo adstruatur realis existentia futurorum in æternitate, quia æternitas continet in se omnia tempora quomodolibèt; sed quia illa continet secundùm quod eis aliquando convenit realis existentia: at hæc duntaxat rebus præsentibus, futuris, ac præteritis convenit, neutiquam verò possibilibus; undè quamvis has etiam contineat æternitas, non tamen secundùm actualem, sed tantùm secundùm possibilem existentiam.

Ad 5tum. Resp. Dari quidem multitudinem actu infinitam infinitate sibi extrinseca, non autem intrinseca: hæc enim simultanea existentia in æternitate non dicit simultatem creaturarum, sed simultatem durationis divinæ, quæ successionem creaturarum compatitur. Undè non repugnat multitudinem infinitam dari simul hoc simultatis genere: sicut non repugnat, quòd in cognitione Dei detur multitudo infinita cogitationum per totam æternitatem futurarum; quia illa cognitio est extrinseca rebus futuris.

Argumentum 4tum. sumitur ab aliis 113 variis rationibus. 1mo. Si hujusmodi physica præsentialitas in æternitate admittenda esset, tunc ideò, quia alioquin Deus non haberet de futuris contingentibus certam scientiam visionis seu intuitivam. Atqui hæc ratio nulla est. Ergo &c. *Prob. min* 1mo. Deus non tantùm futuris absolutis sed etiam de conditionatis, quæ nunquam existent, certam habet scientiam. Atqui juxta hujus sententiæ Patronos Deus hujusmodi futura conditionata cognoscit scientiâ visionis seu intuitivâ. Ergo vel illa non erit certa, utpotè cui non correspondet objectum reale; vel si certa sit, tunc hujusmodi præsentialitate non indiget certissima Dei scientia.

Prob. 2do. eadem *Min.* Scientia Dei nullam potest accipere perfectionem à crea-

creaturis. Ergo nec certitudinem, quæ est maxima ejus perfectio. Atqui præsentia rerum in æternitate est quid creatum. Ergo à tali præsentia non potest certitudo scientiæ intuitivæ desumi.

Resp. AA. *neg. min.* Ad ejus prob. 1mam. dicunt se inter se ipsos haud convenire, an scientia conditionatorum nunquam extra causas ponendorum pertineat ad scientiam simplicis intelligentiæ, vel scientiam visionis. Datô tamen, quòd ad scientiam visionis potiùs reduci debeat, tunc *Dist. min.* Atqui hujusmodi futura conditionata cognoscit Deus per scientiam visionis ut est formaliter talis, *neg. min.* prout est scientia, quæ consequitur ad quodlibet liberum Dei decretum, *conc. min.* & *neg. cons.* Qui itaque asserunt futura conditionata cognosci à Deo per scientiam visionis non sumunt eam prout terminatur ad objecta in aliqua temporis differentia realiter existentia, sed tantùm prout terminatur ad objecta libera ac contingentia, quæcunque illa sint; & potest nominari scientia approbationis, quia consequitur ad liberum Dei decretum, quo Deus approbat & decernit, ut futura sistantur extra suas causas, si conditio ponatur.

Ad 2dam. min. prop. Resp. Certitudinem scientiæ intuitivæ non desumi à præsentia, quam habent res in tempore, sed ab ea, quam habent in æternitate, quæ præsentia non est quid creatum, sed increatum.

Inst. 1. Futura non sunt præsentia in æternitate per aliam præsentiam, quàm per illam eandem, quam habitura sunt in tempore. Sed hæc est quid creatum. Ergo &c.

Resp. Si consideretur hujusmodi præsentia ex parte ipsius æternitatis, quatenùs æternitas ob suam infinitatem & invariabilitatem sibi habet præsentia simul omnia tempora, & ea, quæ tempore mensurantur, tunc illa est aliquid infinitum & increatum cum ipso Deo identificatum, & ita potest esse ratio certitudinis scientiæ intuitivæ; secùs verò dicendum, si hujusmodi præsentia consideretur ex parte ipsarum rerum ad æternitatem, cui præsentes sunt.

Inst. 2do. Coexistentia Dei ad creaturas non mensuratur æternitate. Ergo neque coexistentia creaturarum ad Deum. *Cons.* patet ex paritate rationis, quia coexistentia duorum est relatio mutua ex parte utriusque extremi. *Prob. ant.* quia talis coexistentia est creatura, cùm sit relatio rationis. Ergo non mensuratur æternitate, sed tempore.

Resp. *Dist ant.* Non mensuratur æternitate adæquatè sumta, *conc.* inadæquatè sumta, & prout se virtualiter extendit ad illud tempus, in quo creatura v. g. Antichristus erit, *neg. ant.* Ad prob. *Dist. pariter cons.* Ergo non mensuratur æternitate adæquatè sumta, *conc.* inadæquatè sumta, *neg. cons.*

Inst. 3tio. Æternitas aliter respicit rem, quando est actu existens, & aliter, quando est præterita aut futura. Atqui hæc diversitas consistit in hoc, quòd actu existentia respiciat ut præsentia, futura verò & præterita ut non sibi præsentia. Ergo &c. *Maj. prob.* Quia ipsa res aliter respicit ipsam æternitatem, quando est præsens, & aliter, quando est futura aut præterita; nam quando est præsens, respicit illam respectu realis coexistentiæ, quando verò est præterita aut futura, non respicit æternitatem respectu reali sed rationis. Ergo etiam à pari dicendum de æternitate.

Resp.

Resp. Si sermo sit de præteritis præsentibus & futuris, prout simul existunt in æternitate, eodem modo ea ab æternitate respici; si verò sit sermo de illis, prout existunt in propria sua duratione, tum æternitas diversô modô illa respicit, non quidem diversa ex parte sui, sed ex parte ipsarum rerum, quia respicit præsentia ut existentia in sua propria mensura formaliter mensurante, futura verò & præterita ut non existentia in illa. Undè ad arg. *Neg. cons.* quia non sequitur, *Si res est mutabilis. Ergo erit etiam mutabilis terminus, quem illa respicit.*

Nec dicas: Diversitas relationis postulat diversitatem in termino seu in correlativo. Ergo, &c. Nam Resp. Diversitatem Essentialem relativi in ratione relativi inferre necessariò diversitatem in termino seu correlativo; quia talis diversitas supponit variationem fundamenti; at verò diversitas solùm accidentalis quà relatio ejusdem generis ac speciei, quæ anteà defectu existentiæ subjecti erat tantùm rationis, & deinde existente subjecto est realis, non infert variationem fundamenti, ac proinde neque variationem in termino.

Inst. 4to. Futura non coëxistunt ævo. Ergo neque æternitati. *Prob. ant.* Quia aliàs Angelus naturaliter cognosceret certò ac infallibiliter futura contingentia, quod dici non posse docet S. Thomas 1. *p. q.* 57. *a.* 3. *Prob. etiam cons.* Quia etiam ævum est mensura indivisibilis & tota simul, ac ambiens omne tempus. Ergo si propter hoc futura coëxistunt æternitati, etiam debent coëxistere ævo; vel neutri.

Resp. *neg. cons. & parit.* Disparitas est, quòd æternitas non solùm sit mensura perfectior cæteris mensuris, sed etiam superior, atque adeò illas omnes continens; è contrà ævum, licèt sit mensura perfectior tempore, non est tamen eo superior, nec illud essentialiter sibi subordinat; undè ævum & tempus habent se ut duæ mensuræ disparatæ ad æternitatem, quarum una quidem major, altera verò minor est: ex quo fit, quòd res non coëxistant ævo in ejus mensura, sed solùm quando in propria existunt duratione.

§. IV.

Quænam ex his duabus opinionibus probabilior videatur. 114

QUamvis multi fortassis haud facilè possint capere, quomodò res, quæ primùm in tempore producuntur jam ab æterno secundùm suum esse reale sint æternitati præsentes; attamen si mens eorum Theologorum, qui hanc adstruunt præsentialitatem probè pensetur, statim patebit, hanc doctrinam vix non solo nomine ac diversô explicandi modô differre ab opposita opinione. Et cùm hic explicandi modus SS. Patrum menti necnon æternitatis notioni & excellentiæ conformior videatur, hinc ei haud difficilè assentiri possumus.

Et sanè SS. Patres nobis omninò 115 favere videntur, ita quidem ut Adversarii per suas interpretationes ac responsiones ad enervandam sententiam nostrorum Theologorum satis valeant. Quinverò Responsiones ad argumentum auctoritatibus adjectum ejus vim & efficaciam haud eliduut, ut inspicienti palam est.

Intereà contra 1mam. Responsionem facis; quia SS. Patres non tantum de Deo loquuntur, sed etiam de rebus creatis, quæ sub ejus cadunt scientiam, & tamen negant illas esse Deo fu-

futuras. Ergo non tantùm negant præteritum & futurum durationis divinæ, sed etiam præteritum & futurum rerum creatarum, prout nimirùm in æternitate contenta considerantur.

Contra 2dam. Responsionem est, quòd si SS. Patres duntaxat præscientiam imperfectionibus permixtam à Deo removere censeantur. Ergo hoc ipso ut ab eo præscientiam in sensu proprio sumtam relegent, necesse est. Hæc quippe defectum denotat, scilicet sui desinentiam adveniente futuro. Adde, si vera esset hæc responsio, deneganda esset Deo scientia; nam hæc illi non convenit cum defectibus, quibus in nostro intellectu permiscetur. Deindè SS. Patres hanc præscientiam Deo denegantes debuissent hanc reddere rationem; *quia Deus omnia modò perfectissimò cognoscit*: non verò hanc; *quia Deo nihil est futurum.*

Contra 3tiam. Responsionem est; quia licèt mentibus Prophetarum adsit præsentia rerum, de quibus vaticinantur, intentionalis seu objectiva; indè tamen nullatenùs inferri potest, in illis non dari præscientiam propriè sumptam. Ergo eo ipso, quòd SS. Patres in Deo non admittant præscientiam ob præsentialitatem rerum, certè intelligendi sunt de præsentialitate physica & non solùm intentionali.

Porrò Responsio ad auctoritatem S. Thomæ non videtur juxta mentem ejus esse; nam illius verba 1mô. locô posita nobis apertè favent; probat enim ibidem, quod Deus futura in se ipsis exindè cognoscat; quia æternitas illius sua indivisibilitate omni tempori præsens est. Atqui præsentia æternitatis ad tempus, quatenùs distinguitur à præsentialitate intentionali visionis, non est objectiva, sed physica & realis. Ergo &c.

Confirm. Secundùm S. Thomam æternitas est præsens omni tempori scilicet præterito præsenti & futuro. Atqui præsens est præsenti tempori realiter. Ergo etiam futuro. Prætereà in tantùm est æternitas præsens omni tempori, in quantùm illud ambit. Atqui illud realiter ambit. Ergo & illi realiter est præsens.

Verba verò ejusdem S. Thomæ 2dô. locô posita sunt itidem clara; nam de ratione cognitionis intuitivæ est ferri in objectum realiter existens; scientia enim intuitiva definitur *Notitia rei præsentis, ut præsens est*, scilicet realiter; alioquin non distingueretur ab abstractiva, cui etiam competit præsentia objecti, sed tantùm intentionalis. vid. Resp. ad auctor. S. Thomæ §. 3. adductam.

Dices: cognitionem intuitivam non distingui ab abstractiva per hoc, quòd prior terminetur ad objectum præsens & existens, 2da. verò ab ejus præsentia & existentia abstrahat; sed per hoc, quòd prior sit clara, distincta, & per propriam speciem; altera verò confusa, obscura, & per speciem alterius.

Contra est 1mo. Quia Deus distinctissimè ac per suam essentiam gerentem vices speciei cognoscit res possibiles, & tamen ejus scientia respectu possibilium non est visionis nec intuitiva, sed simplicis intelligentiæ & abstractiva. Ergo &c. 2do. Res possunt per propriam speciem cognosci sub esse possibili, futuro, vel præterito vel sub actuali exercitio existentiæ. Ergo per propriam speciem possunt cognosci abstractivè vel intuitivè; ac proinde cognitio intuitiva per hoc non distinguitur ab abstractiva, quòd prior fiat per propriam speciem objecti, non autem secunda.

Con-

Contra Responsionem ad Argumentum 3tium. facit 1mo. Quòd sicut voluntas Dei mutaretur, si aliquid velle inciperet, quod priùs non volebat; ut Doctor Angelicus docet 1. *p. q.* 19. *a.* 3. ita & mutaretur ejus scientia, si inciperet videre aliquid ut sibi præsens, quod anteà non videbat. 2do. Hoc discrimen intercedit inter denominationes, quæ Deo relatè ad creaturas conveniunt, quòd illæ, quæ fundantur in actione transeunte & terminantur ad creaturas, prout sunt in se ipsis, ut denominatio Creatoris, Redemptoris, &c. Deo advenire possint absque sui mutatione; quia tota mutatio se tenet ex parte creaturæ; at illæ, quæ fundantur in actione immanente & terminantur ad creaturas, prout existunt in Deo, ut sunt denominationes volentis, scientis, &c. nequeunt Deo advenire absque ejus mutatione. Ita censet laudatus S. Thomas *a.* 15. *ad* 1.

Contra Responsionem ad Argumentum 4tum. est, quia, ut ait S. Anselmus *lib. de concord. præscient.* æternô præsenti simul clauditur omne tempus, & quæ sunt in quolibet tempore. Ergo res comparatæ ad æternitatem non habent successionem. Prætereà si arbor illa in medio fluvii fixa esset indivisibilis & tantæ virtualis extensionis, ut totum fluvium adæquaret secundùm se totam simul & semel, tunc unica mensuratione & non multis successivis numerationibus & applicationibus exhauriret totam quantitatem fluvii, omnibusque ejus partibus coëxisteret. Ergo à pari sentiendum est de æternitate. Deindè æternitas est indivisibilis & tota simul ac perfecta possessio non tantùm in ratione entis, sed & in ratione mensuræ. Atqui in ratione mensuræ non potest esse perfecta possessio nisi per totalitatem aut simultatem in mensurando actu possideat suum mensurabile. Undè nihil obstare videtur, quin res alioquin fluxæ ab ea mensurentur, & mensurando possideantur. Atque hac ratione eliditur responsio ad 1mam. Inst. Argumento adjectam.

Ad 2dam. vero Inst. Dicimus hoc intercedere discrimen Immensitatem inter & Æternitatem, quòd Infinitum contineat omnem perfectionem possibilem pertinentem ad propriam lineam, non verò illam, quæ pertinet ad alias lineas: cùm igitur Futurum extra lineam Immensitatis sit (Futurum enim non habet rationem differentiæ loci, sed tantùm temporis) hinc fit, quòd Immensitas locum, quà futurum, non contineat. E contrà cùm Futurum sit differentia temporis, ut dictum est, & tempus intra sinum Æternitatis contineatur, necesse est, ut illud in ea contineatur, eique coëxistat. Alii tamen aliter respondent; nam censent Deum vi immensitatis actû esse præsentem omnibus locis, & rebus præteritis præsentibus & futuris sub ratione ubicationis, quemadmodùm vi æternitatis actu est præsens omnibus locis & rebus præteritis præsentibus & futuris sub ratione durationis. Et secundùm hanc rationem poterit dici, quòd immensitas in æternitate repleat ab æterno & nunc omnia ea loca, quæ respectu temporis primùm sunt futura. Et hæc responsio veritati conformior est.

116

EXERCITATIO SEPTIMA.

De Scientia Media.

Ad Cap. 5. §. 3. n. 174. & seq. part. I. Tractatûs I. de Deo Uno & Trino. Tom. II.

NOmine Scientiæ mediæ intelligitur cognitio, qua Deus ante decretum suæ voluntatis explorat & certò prævidet, quid ex innata sua libertate acturum sit liberum arbitrium, si cum istis & istis auxiliis in tali vel tali circumstantiarum serie ponatur; quinam gratiâ benè usuri sint, quinam abusuri; atqui hinc dirigitur, ut si velit ipsum re ipsa consentire, tales apponat circumstantias, sin' minùs alias.

Dicitur *Scientia media*, quia mediat inter scientiam Dei necessariam & liberam; vel, ut alii volunt, quia mediat seu media est inter scientiam simplicis intelligentiæ, & scientiam visionis; ita tamen, ut de utraque participet: nam in hoc convenit cum scientia simplicis intelligentiæ, quòd sit in Deo independenter ab omni decreto libero actu existente; in hoc autem scientiam visionis imitatur, quòd, sicut ista, versetur circa veritates contingentes, quæ scilicet possunt esse vel non esse.

Ut autem clarè aperiatur status hujus celeberrimæ quæstionis, quæ Thomistas inter & Recentiores agitatur, & quæ olim coram Clemente VIII. & Paulo V. Romanis Pontificibus in Congregatione de auxiliis inter Patrem Thomam de Lemos Thomistarum sententiæ propugnatorem, & Patres Gregorium de Valentia ac Ferdinandum de Vastida Scientiæ mediæ defensores sæpiùs pertractata fuit, quædam necessariò sunt præmittenda.

§. I.

Quædam præmittuntur ad ubiorem dicendorum notitiam. 117

NOtandum 1mo. Totum hujus quæstionis pondus in hoc positum esse, an scilicet cognitio futurorum conditionatorum (quæ cognitio in Deo certa est & infallibilis) sit prior decretô, & ab illo independens, vel illo posterior & in eo fundata? sive, an Deus cognoscat actus nostros liberos ut conditionatè futuros, v. g. conversionem Petri, si ponatur in talibus aut talibus circumstantiis, priusquàm divina voluntas habeat decretum actuale absolutum ex parte subjecti, & conditionatum ex parte objecti, quo definiat ac determinet talem conversionem, si Petrus in hac vel illa circumstantiarum serie ponatur: pro cujus meliori intelligentia

Not. 2do. Quòd licèt Scientiæ me- 118
diæ defensores prævium quoddam decretum generale ac indifferens concurrendi cum causis liberis, si illæ velint, vel ad quodcunque voluerint, admittant; negant tamen omne decretum determinatum & de se efficax, quo Deus antecedenter prævisionem nostri consensûs absolutè vel conditionatè determinet, quid homo facturus sit, & quod futuritionem nostrorum actuum prioritate naturæ & causalitatis antecedat; tale enim decretum libertati creatæ repugnare existimant.

Not.

119 Not. 3tio. Quòd, quamvis PP. Societatis Jesu communiter Scientiam mediam propugnent, tamen in assignando medio, in quo hujusmodi Scientia fundetur, inter se discrepent. Molina & Becanus existimant Deum hujusmodi futura cognoscere antecedenter ad suum decretum in causis secundis & in quadam eminentissima liberi arbitrii cognitione; quam *Supercomprehensionem* vocant. Suarez & Fonseca in decreto cognito ut futuro in sequenti signo rationis. Theophylus Raynaldus in voluntate humana nudè & solitariè sumta & sine concursu divino considerata. Alii verò in eorum veritate objectiva independenter à quolibet decreto.

120 Not. 4to. Duplex duntaxat esse Scientiæ mediæ officium: 1mum. Ut Deus dirigatur in suis decretis absolutis formandis. 2dum. Ut explicetur quomodò salva & integra remaneat libertas humana cum decretis Dei absolutis & gratia efficaci; non autem, prout quidam Scientiæ mediæ propugnatoribus falsò objiciunt, ut sit motivum gratiam concedendi iis, quos prævidet eâ bene usuros; nam gratia in eorum sententia ex mera Dei benignitate confertur.

Not. 5to. In Systemate sententiæ
121 Thomisticæ à quibusdam hunc adstrui decretorum ordinem ac seriem. 1mo. Deus suâ scientiâ simplicis intelligentiæ videt omnes res possibiles quocunque modo, omnem voluntatem tàm quoad modum agendi, quàm quoad omnes suos effectus & actus liberos, infinita item salutis media, &c. 2do. Voluntate antecedente Deus vult omnium salutem, ac propterea omnibus præparat ac subministrat auxilia sufficientia. Deinde absolutô & efficaci decretô alios efficaciter ad gloriam prædestinat, alios, saltem negativè, reprobat. 3tio. Absolutô decretô suô statuit illa auxilia gratiæ ex se se efficacis his vel illis hominibus tribuere, aliis verò ea, quæ duntaxat sunt sufficientia. 4to. Vult etiam plura ut futura positis istis vel istis circumstantiis aut conditionibus. 5to. Decernit, ut adimpleatur conditio, sicque effectus sit futurus suo tempore existens in rerum natura; vel vult, ut conditio non purificetur, uti erat in conversione Tyriorum sub conditione prædicationis & miraculorum Christi. 4to Denique sequitur Scientia visionis, qua Deus intuetur quidquid re vera facturus esset, si aliqua poneretur conditio; quamquàm, secundùm quosdam, si conditio nunquam sit ponenda, futurum hujusmodi ad Scientiam simplicis intelligentiæ pertineat.

Not. 6to. In Systemate Scientiæ me- 122
diæ, quoad decretorum divinorum ordinem sic procedi 1mo. Per scientiam simplicis intelligentiæ infinitos propemodùm rerum ordines, quos statuere posset, Deus intuetur. 2do. Inter illos varios ac possibiles ordines istum elegit, in quo Angelos & homines ad finem supernaturalem evexit. 3tio. Prævidit, ac permisit lapsum Angelorum & hominis. 4to. Homini, non autem Angelo, Reparatorem ac Redemptorem Christum destinavit, & omnibus hominibus, quos generali & antecedente sincera voluntate vult salvos facere, præparavit saltem generalia quædam gratiæ sufficientis auxilia, quibus ad salutem æternam pertingere possent, si vellent. 5to. Per Scientiam conditionatorum quæ *Media* dicitur, videt Deus, quid homo facturus esset, si in his vel illis circumstantiis, cum his vel illis auxiliis constitueretur. 6to. Inter multa auxilia divina, quibus homo vel consensurus, vel non consensurus prævidetur, ea Deus misericorditer dare absolutô decretô decernit, quibus re ipsa homo est consensurus: quæ certe gratia in ratione doni ac beneficii ex se efficax est, quam Deus ex mero suo beneplacito largitur

in his vel illis circumstantiis sic accommodatam & attemperatam, ut effectum suum infallibiliter sortiatur. Absolutum autem decretum istud in eo Systemate sequitur, & non antecedit scientiam conditionatorum, ut patet. 7mo. Denique per Scientiam visionis Deus certò & infallibiliter videt quidquid homo Divinâ gratiâ præmunitus in tempore facturus est.

123 Not. 7mo. In hoc Systemate rectè defendi inscrutabile prædestinationis ad gratiam efficacem arcanum; atque meritò exclamari cum Apostolo, o altitudo, &c! Cur enim Deus uni eam gratiam conferat, cui eum esse consensurum prævidet, alteri verò deneget, o altitudo! cur è duobus peccatoribus huic, tametsi gravissimis sceleribus implicato congruam & efficacem gratiam potiùs conferat quàm alteri, qui non ita malus est, atque gratiæ, si ea daretur, obtemperaret, o altitudo &c! Quin & ipsa etiam efficax prædestinatio ad gloriam in eo Systemate ex æquo defenditur fieri vel ante vel post prævisa merita: postquam enim Deus suâ Scientiâ mediâ exploraverit, quid voluntas libera in his vel illis circumstantiis &c. esset factura, poterit Deus adhuc priùs gloriam, quàm gratiam decernere, prout volunt Bellarminus, Suarez, & alii; & vicissim priùs gratiam quàm gloriam, ut Lessius, & alii contendunt. Jam

Jam utrumque Systema ob oculos ponere aggredimur, & quidem 1mo. Argumenta in aciem producimus, quibus Scientia media impugnatur, additis illius patronorum responsionibus & solutionibus. 2do. autem etiam momenta, quibus ipsa propugnari solet, unà cum Adversariorum responsionibus, &c.

§. II.

Proponuntur ac solvuntur Argumenta, quibus Scientia media impugnatur. 124

Argumentum 1mum. ex sacræ Scripturæ testimoniis colligitur, quibus constat nos gratis ac secundùm propositum voluntatis Dei vocatos esse. Rom. 3. *Justificati gratis per gratiam ipsius per redemtionem, quæ est in Christo Jesu.* Et c. 9. *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Philipp. 2. *Deus est, qui operatur in vobis velle & perficere.* Ephes. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti.* Et v. 11. *In quo sorte vocati sumus prædestinati secundùm propositum ejus, qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ.* Item c. 2. *Gratiâ estis salvati per fidem, & non hoc ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur. Ipsius enim factura sumus creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.*

Ex his S. Scripturæ textibus sic conficitur argumentum. Qui in nobis omnia operatur, imò & ipsum velle secundùm propositum suæ voluntatis, qui nos creavit in operibus bonis, &c. ille voluntates nostras non expectat, non explorat, an bonæ futuræ sint, sed potiùs eas efficit bonas per efficacem gratiam suam; sed neque eligit nos, quia prævidet nos sanctos esse futuros, verùm ut simus re ipsa sancti. Ergo &c.

Resp. AA. Iis S. Scripturæ testimoniis nihil aliud evinci, quàm absolutam gratiæ necessitatem ad omne opus bonum, quibus rectè conciliatur Scientia media. 1mo. quidem, non cur-

currentis est neque volentis, ex solis scilicet naturæ viribus, sed ex gratia Dei. 2do. Deus operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate; quia sine gratia, quam gratis concedit, bonum nec volumus nec perficimus: *ipse facit; quia adjuvat, ut faciamus*, inquit S. Augustinus. 3tio. Elegit nos, ut essemus sancti; non quia futuri eramus sancti propriis viribus sine gratia: imò nec etiam prævisa futura sanctitas ex gratiæ beneficio Deo est causa, regula, & motivum, quo certò ducatur, ut gratiam ac sanctitatem largiatur; undè gratis vocati, & in operibus bonis secundùm Dei propositum creati dicimur. 4to. Rectè in hoc Systemate Deus dicitur omnia operari secundùm consilium voluntatis suæ: licèt enim prævideat, quid homo facturus sit in hac vel illa circumstantiarum serie, cum hac vel illa gratia, non tenetur tamen gratiam illam conferre, sed ex mera liberalitate ac beneplacito illam largitur.

Ad Argumentum ex adductis Scripturæ textibus deductum Resp. *Dist. ant.* Quia omnia in nobis operatur secundùm propositum voluntatis suæ, non ex nostris operibus, &c. ille voluntatem nostram non explorat, nec expectat, tanquàm causam, regulam, & motivum, quo Deus certò determinatur ad gratiam concedendam, *conc.* tanquam rationem, qua, nostrô concipiendi modô, dirigatur priùs, quàm quidquam absolutè statuat circa liberas hominis actiones, *neg. ant.* nec sanè sine fundamento, siquidem ex S. Scriptura liquet Deum in tempore actiones nostras expectare: *Quid est*, inquit Deus Isai. 5. *quod debui facere ultra vineæ meæ, & non feci? An quòd expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruscas*? Et Apoc. 3. *Ecce sto ad ostium, & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum.* Hæc autem dicuntur, non quòd Deus circa actiones hominum liberas author sit; sed tantùm ut ostendatur libertas humana, sibique imputet homo, si Deo non obtemperet, aut ab eo se elonget.

Argumentum 2dum. denuo ex S. Scriptura desumtum, nempè ex iis testimoniis, quibus efficacia gratiæ maximè commendatur. Ezech. 36. *Dabo vobis cor novum, & spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis. Sicut divisiones aquarum ita cor Regis in manu Domini, quocunque voluerit, inclinabit illud.* Hìc vel maximè facit illud Philipp. 2. priori Argumentô jam relatum: *Deus est, qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate.* 125

Jam sic arguitur: Quì ex efficaci sua voluntate dat cor novum & spiritum novum, qui dat velle & perficere pro bona voluntate sua, ac cor hominis, quò voluerit, inclinat; is non indiget explorare, quid voluntas in his vel illis circumstantiis factura sit, cùm id in hac sua efficaci voluntate ac decreto clarè perspiciat.

Resp. AA. Deum dare velle & perficere, dare cor novum & spiritum novum, quando ex infinitis, quæ in sua potestate habet, gratiæ auxiliis ea largitur, quibus prævidet emolliendam esse penitusque frangendam humanæ voluntatis contumaciam. Undè tota vis & efficacia illius beneficii, sive in actu primo sive in actu secundo consideretur, in Deum ipsum tanquam gratiæ auctorem refundi debet, non in liberum arbitrium. Non tamen in ea sola & seorsim à prævisò liberi arbitrii consensu Deus certò prænoscit futurum il-

illum voluntatis humanæ conſenſum; quia quantacunque ſupponatur vis gratiæ, voluntas ei ſemper diſſentire poteſt.

Ad argumentum, &c. *Neg. maj.* Dat enim Deus cor illud novum & ſpiritum novum non ex decreto antecedente, ſed conſequente duntaxat præviſionem futuri ſub conditione conſensûs voluntatis.

Inſt. Deus cognoſcit vim & efficaciam ſuorum auxiliorum, cognoſcit omnes humanæ voluntatis ſinus, eamque, quò voluerit, inclinare poteſt. Ergo neceſſe non habet, ut veluti extra ſe exeat ad explorandam hominis voluntatem in his vel illis circumſtantiis poſitam.

Reſp. Hoc quidem verum eſſe circa ea, quæ ſe ſolo operatur, falſum verò circa ea, quæ ſimul cum creata voluntate ad actum reducit, ut ſunt actiones liberæ, quas abſolutè & decretoriè non prædefinit, niſi priùs præviſo futuro voluntatis, ſub hac vel illa conditione, conſenſu. Quapropter ea, quæ Deus abſoluta vult voluntate, certiſſimè eveniunt, *Ipſe dixit & facta ſunt.* non autem ea, quæ vult voluntate tantum conditionata; quemadmodùm Deus vult, & quidem verè ac ſincerè omnes ſalvos eſſe, qui tamen non omnes ſalvi fiunt.

126 Argumentum 3tium. adhuc è ſacris paginis petitum, quo hominis diſcretio ſoli Deo, neutiquam autem libero arbitrio hominis tribuitur. 1. Cor. 4. ſic legitur: *Quis te diſcernit? quid habes quod non accepiſti; ſi autem accepiſti, quid glorіaris, quaſi non acceperis.*

Jam ponamus Petrum v. g. & Paulum in iiſdem poſitos circumſtantiis ac æqualibus prorsùs præventos eſſe gratiæ adjumentis; interim tamen Petrus ex innata ſua libertate conſentit gratiæ, Paulus verò eidem reluctatur; nonne Petrus à Paulo ſe diſcernit, & adverſùs eum gloriari poteſt, quòd libertate ſua meliùs fuerit uſus, quàm ipſe?

Reſp. AA. 1mo. Adductum Apoſtoli teſtimonium præſenti quæſtioni haud eſſe accommodatum; nusquam enim fieri poteſt, ait Bellarminus *lib. 1. de grat. & lib. arb. c. 13.* ut ſi eandem omninò gratiam excitantem duo homines accipiant, unus credat, alter non credat; ſiquidem ad gratiam non ſolùm pertinet motio, ſive excitatio interna, ſed circumſtantia loci, temporis, perſonæ, &c. Si enim, eadem motione accepta, unus credit, alter non credit, ſine dubio unus accipit motionem eo modo, loco, & tempore, quo Deus prævidit ejus ingenio congruere, alter non ita accipit; ac per hoc longè majorem habuit gratiam is, qui credit, quàm qui non credit: qui enim non credidit, habuit gratiam, per quam poſſet credere; qui autem credidit, habuit gratiam, qua poſſet & vellet credere.

Reſp. 2do. Quòd Petrus conſentiat, ſecùs verò Paulus, non provenire in Petro ex ſolis naturæ viribus, ſed vel maximè ac principaliter ex gratuito Dei auxilio. Undè diſcretio Deo tanquam cauſæ nobiliori & principali attribui debet: *Non ego*, ait Apoſtolus, *ſed gratia Dei mecum.* Quapropter Petrus neutiquam dici debet ſe à Paulo diſcernere, minùs gloriari adverſùs eum.

Reſp. 3tio. *Diſt.* Petrus ſe à Paulo diſcernit ſecundùm quid, motus ſcilicet ac præventus auxiliô divinæ gra-

gratiæ, *conc.* Se discernit simpliciter sine auxilio gratiæ, *neg.* Itaque non negat Apostolus, quin homo beneficiô gratiæ prævenientis & adjuvantis se ipsum secundùm quid per usum divinæ gratiæ discernat; sed negat id fieri posse per nudum liberum arbitrium sinê gratia. Hæc responsio desumitur ex S. Augustino *lib. de grat. & lib. arb. c. 6.* ubi, *Quoniam verò*, inquit, *merita humana sic prædicant* (Pelagiani) *ut ea ex semetipso habere hominem dicant, prorsùs rectissimè respondet Apostolus: Quis te discernit?*

Resp. 4to. Discretionem unius ab alio dupliciter sumi posse: nimirum in actu primo, & in actu secundo. In actu primo sumitur, quando homo intelligitur habere auxilium efficax, antequàm intelligatur operari, seu ex ipsa gratia divina, quam Deus per suam Scientiam mediam prævidit infallibiliter consensum habituram. In actu secundo autem sumitur, quando voluntas cum tali auxilio actu operari intelligitur. Quo posito, si sermo sit de discretione in actu secundo, dicunt caussam formalem discretionis unius ab alio esse operationem voluntatis; posito enim quocunque alio ante volitionem actualem non intelligitur homo discretus in actu secundo, sed tantùm in actu primo. Causam autem efficientem magis principalem dicunt esse solum Deum mediante gratia homini data concurrentem; minùs verò principalem voluntatem qua sub gratia constitutam partialiter operantem.

127 Argumentum 4tum. Ex Traditione & precibus Ecclesiæ petitum. Ecclesia itaque non tantùm gratiam, qua possumus bonum operari, sed qua illud certè operemur suis precibus à Deo efflagitari solet, ex quo arguitur illam efficacem gratiam, per quam voluntas ad omne opus bonum efficaciter movetur, omninò necessariam esse. Atqui hæc non est in nostra potestate: *quid enim stultiùs*, ait S. Augustinus *lib. de nat. & grat. c. 18. quàm orare, ut facias, quòd in potestate habeas?* Sed à solo Deo pendet, à quo eam postulat Ecclesia, dicendo: *Nostras etiam rebelles compelle propitiùs voluntates.* Porrò, inquiunt, Systema Scientiæ mediæ dogma illud gratiæ efficacis ad singulos pietatis actus necessariò non admittit, nec patitur; siquidem tunc voluntas non determinatur à gratia, sed ubi gratia adest, jam voluntas se ad opus pro arbitrio suo determinat, sibi tribuit boni operis effectum, sic bonum & malum, prout libuerit, facit.

Resp. AA. In eo, quod tuentur, Systemate etiam necessariam esse gratiam efficacem seu operationis; non tamen eam, quæ essentialiter sit conjuncta cum consensu voluntatis, sed eam, cui voluntas certò consensura prævideatur, & quam Deus inter multas alias, quibus homo reluctaretur, seligit, & absoluta voluntate statuit conferre. Porrò sine periculo fidei negari non potest, quin voluntas hujus gratiæ auxilio roborata se ad opus pro arbitrio suo determinet; neque enim merè passivè se habet, nec tantùm agitur, sed agit, & quidem liberè, consequenter pro nutu suo sibi tribuit boni operis effectum, non quidem sola, seu ex solis suis viribus, sed adjuta gratiæ supernaturalis auxilio. Non tamen admittunt id, quod ultimò ponitur, scilicet *Sic bonum & malum, prout libuerit, facit.* Quasi verò æquales essent hominis vires tàm ad bonum quàm ad malum?

Quòd si dicatur, gratiam in hoc Systemate à voluntate determinari,

Resp. Id neutiquam subsistere posse. Constat enim gratiam esse quamdam determinationem, impulsum, & inclinationem ad benè agendum. Atqui determinatio, impulsus, &c. ab alio non determinatur, sed est id, quod determinat, movet, inclinat, &c.

128 Argumentum 7tum ex S. Augustino repetitur, cujus auctoritas hac in re maximi est profectò momenti, ut satis superque declarant verba (*f*) Hormisdæ Papæ ad Possessorem Episcopum scribentis in hunc modum: *Ea, quæ sentit Romana Ecclesia de gratia & libero arbitrio ex libris S. Augustini maximè ad Hilarium & Prosperum cognosci possunt:* scilicet de prædestinatione Sanctorum, & dono perseverantiæ. Inprimis S. Augustinus efficaciam gratiæ non repetit ex prævisso voluntatis consensu mediante Scientia media, sed ex omnipotentissima Dei voluntate; Nam lib. 1. de correp. & grat. cap. 12. sic ait: *Subventum est igitur infirmitati humanæ, ut divinâ gratiâ indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur.* Et paulò post: *Fortissimo* (Adamo) *dimisit atque permisit facere, quod volebat: infirmis servavit, ut ipso donante invictissimè, quod bonum est, vellent, & hoc deserere invictissimè nollent.*

Lib. de prædest. Sanct. cap. 8. *Hæc itaquè gratia, quæ occultè humanis cordibus divina largitate tribuitur, à nullo corde respuitur: ideò quippè tribuitur, ut cordis duritia primitùs auferatur.* Denique lib. de correp. & grat. cap. 14. *De his, qui faciunt, quæ non volunt, facit ipse esse quæ vult, qui tamen hoc non facit, nisi per ipsorum hominum voluntates, sine dubio habens humanorum cordium, quò placeret inclinandorum omnipotentissimam potestatem.*

Resp. AA. 1mo. Si hæc verba: *Insuperabiliter, indeclinabiliter, invictissimè,* strictè sumenda essent, tunc S. Augustinus faveret Calvino, cæterisque Novatoribus, non verò Thomistis; undè hujusmodi verba in sano sensu, & cum magna cautione sunt usurpanda.

Resp. 2do. Inter Doctores maximè controverti, super quid cadant memorata illa S. Augustini verba, an scilicet super finalem perseverantiam, an super ipsam voluntatem humanam, an verò super gratiam actualem. Sunt enim, qui contendunt in cit. *cap.* 12. *lib. de correp. & grat.* S. Augustinum potissimùm loqui de perseverantia finali, quæ est ipsamet actualis conjunctio mortis hominis justi cum statu justitiæ; & hæc utique contumaciter amitti non potest, ut idem S. Doctor alibi docet. Alii existimant verba ista: *invincibiliter, &c.* cadere super ipsam voluntatem humanam, quæ, gratiæ auxiliô præventa, invincibilis ac insuperabilis redditur contra omnes Dæmonum insultus; nam non dicit S. Augustinus, *subventum est gratiæ,* aut *subventum est perseverantiæ,* sed *subventum est infirmitati voluntatis humanæ.* Prætereà gratia, licèt dicatur invicta, non tamen potest dici insuperabilis, cùm ei resisti possit; benè tamen voluntas humana, quamdiu gratiæ firmiter adhæret. Alii denique referunt illa verba ad ipsam gratiæ ex se efficacis motionem. Verùm, qui Scientiam mediam tuentur, rejecta hac gratiæ ex se efficacis loquendi ratione, declarant in suo Systemate gratiam seu vocationem ad fidem sano sensu

(*f*) Hormisdas Ecclesiæ rebus præfuit Sæculô VI. ab an. Chr. scil. 514. usque ad an. 523.

ſenſu dici poſſe inſuperabilem & indeclinabilem, ex divina ſcilicet præſcientia & decreto eam ſubſequente. Quippè cùm Deus per Scientiam conditionatam cognoſcat, quid homo facturus ſit, ſi in his vel illis circumſtantiis, ſub hac vel illa gratia conſtituatur, ac decretô ſuô Scientiam illam ſubſequente, ſtatuat hominem re ipſa in illis circumſtantiis cum tali gratia collocare, meritò aſſeritur inſuperabiliter & indeclinabiliter futurum, quidquid Deus futurum eſſe ſic præſcivit, ac prædefinivit; *cujus enim miſeretur*, ait S. Auguſtinus lib. 1. ad Simplic. quæſt. 2. *ſic eum vocat, quomodò ſcit ei congruere, ut vocantem non reſpuat.* In utroque igitur Syſtemate ſive Thomiſtarum ſive Congruiſtarum locum habet modus iſte loquendi S. Auguſtini, *indeclinabiliter, inſuperabiliter, &c.* Atque in hoc duntaxat inter ſe diſcrepant Theologi iſti, quòd Thomiſtæ illam gratiæ vim indeclinabilem eſſe ſtatuant ex decreto abſoluto & antecedente Scientiam Dei conditionatam; alii verò ex decreto, quod Scientiam illam ſubſequatur: quæ Controverſia ex citatis S. Auguſtini verbis minimè dirimi poteſt.

Inſt. 1mo. S. Auguſtinus videtur directè reprobaſſe Scientiam mediam; Scientia quippè media eſt Scientia conditionatorum independens à decreto Dei abſoluto. Atqui talem Scientiam reprobavit S. Auguſtinus. Prob. ex lib. de prædeſt. Sanctorum cap. 10. *Prædeſtinatione Deus ea præſcivit, quæ fuerat ipſe facturus; undè dictum eſt, fecit quæ futura ſunt. . . . Quando promiſit Deus Abrahæ in ſemine ejus fidem gentium, non de noſtræ voluntatis poteſtate, ſe de ſua prædeſtinatione promiſit; promiſit enim quod ipſe facturus fuerat, non quod homines.* Atqui Deus omnes omninò actiones noſtras facturus eſt. Ergo illas in ſua prædeſtinatione præcognoſcit, id eſt, in decreto efficaci; ac proindè non datur in Deo præſcientia futurorum independens à decreto, &c. Præterea quod Deus non de noſtra poteſtate, ſed de ſua prædeſtinatione promittit, hoc procul dubio in eadem prædeſtinatione præcognoſcit. Atqui Deus multoties promittit actiones noſtras liberas, ſicut quando promiſit Abrahæ fidem & converſionem gentium. Ergo &c.

Reſp. Mentem S. Auguſtini meliùs dignoſci non poſſe, quàm ex cognitione opinionis Semipelagianorum, quam impugnabat. Itaque Semipelagiani circa prædeſtinationem adultorum dupliciter errabant: 1mo. Cenſebant, quòd futurus voluntatis conſenſus, à Deo prævifus mediante Scientia conditionata, ſit Deo cauſa ac motivum gratiæ conferendæ, cujus falſitas ab exemplo Tyriorum & Sydoniorum palàm fit; nam licèt Deus præviderit eorum converſionem ſub conditione prædicationis Evangelii, &c. nihilominùs apud eos nulla facta eſt ejuſdem Evangelii annuntiatio. 2do. Errabant Semipelagiani in hoc, quòd in eorum doctrina futurus abſolutè prævideatur voluntatis conſenſus, qui tamen non ſit à Deo decretus & prædeſtinatus; quem errorem ſæpè impugnat S. Auguſtinus, præſertim *lib. de dono perſeverantiæ cap.* 19. ubi, *Quando*, inquit, *apud aliquos Verbi Dei tractatores legimus Dei præſcientiam, & agitur de vocatione electorum, eandem prædeſtinationem intelligere oportet.* Et *cap.* 18. *Sine dubio præſcivit & prædeſtinavit; ſed prædeſtinaſſe eſt hoc præſciviſſe quod fuerat ipſe facturus.* Porro Semipelagiani etiam circa prædeſtinationem parvulorum à verò deviabant, ſiquidem volebant infantes ad gratiam Baptiſmatis & ſalutis prædeſtinari, non quidem propter bona opera, quæ re ipſa facturi erant, ſiquidem in infantia rapiuntur; ſed quæ facturi fuiſſent, ſi ad pleniorem ſeu adultam ætatem perveniſſent. Et hunc

etiam errorem refellit S. Augustinus *lib. de prædest. Sanct.*

Jam in forma ad textum S. Augustini Resp. 1mo. Hunc S. Doctorem ibi agere de re, quæ sit absolutè futura; ait enim ibidem, *Fecit quæ futura sunt.* ac meritò rejicere rei hujusmodi absolutè futuræ præscientiam, qualem admittebant Semipelagiani, eam scilicet, quæ in decreto seu prædestinatione Dei tanquam in prima causa fundata non esset, sed in consensu futuro voluntatis à Deo prævifo, ita ut consensus ille futurus etiam sub conditione gratiæ, sit Deo ratio & motivum gratiam conferendi; quem errorem citato textu refellit S. Augustinus. Et re vera omne futurum, sivè absolutè, sivè conditionatè Dei decretum semper supponit aut absolutum, si res sit absolutè futura, aut conditionatum, seu quod sit pars conditionis, si res futura sit sub conditione.

Resp. 2do. *Dist. textum S. Doctoris.* Deus sua prædestinatione præscivit quæ fuerat ipse facturus absolutè *conc.* Quidquid enim Deus absolutè facit in tempore, id ab æterno facere constituit. Quæ fuerat facturus sub conditione, *neg.* Nam vel conditio, sub qua res futura prævidetur, ponenda est, vel non? Si prius, res absolutè futura est, eamque videt Deus in suo decreto, non quidem quod præcedat, sed quod sequatur Scientiam conditionatorum, quodque sit vera & prima causa rei futuræ. Si posterius, superfluum ac inutile videtur decretum Dei absolutum & actuale pro re nunquam futura.

Ad 1mam Rationem textui adjectam, Resp. *Neg. primam propositionem*, quòd scilicet Deus omnes omninò actiones nostras facturus sit; Deus enim non facit peccata, quæ tamen præscit. Undè S. Augustinus *cap.* 10. *lib. de prædest. Sanct.* ait, prædestinationem sine præscientiam esse non posse, posse autem præscientia esse sine prædestinatione. Ad 2dam. Rationem eadem datur responsio.

Inst. 2do. S. Augustinus eodem c. 10. lib. de prædest. Sanct. revocat, quod olim docuerat in quæstionibus Paganorum, nempè tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, & ubi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri. Quæ verba cùm Semipelagiani in confirmationem suæ conditionatæ sententiæ eidem opponerent, S. Doctor in hæc respondit: *Cernitis me, sine præjudicio latentis consilii Dei aliarumque causarum, hoc de præscientia Christi dicere voluisse, quod convincendæ Paganorum infidelitati, qui hanc objecerant quæstionem, sufficere videtur. Quid enim est verius, quàm præscivisse Christum, qui, & quando, & quibus in locis in eum fuerant credituri? Sed utrum prædicato sibi Christo à se ipsis habituri essent fidem, an Deo donante sumpturi, id est, utrum tantummodò eos præsciverit, an etiam prædestinaverit Deus, quærere atque etiam asserere tunc necessarium non putavi . . . . potest etiam sic dici, tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, & ubi sciebat esse, qui electi fuerant in ipso ante mundi constitutionem.* Rursùs *lib. de dono persev. cap.* 9. hoc ipsum, quod dixerat in quæstionibus Paganorum revocat, ac docet non aliundè, quàm ex prædestinatione Dei petendam esse causam, cur aliquibus annuntietur Christus, aliis verò non annuntietur; non autem ex eo, quòd Deus prævideat illos, non alios esse credituros.

Ex quibus sic conficitur Argumentum. 1mo. Idem est S. Augustino Deum præscivisse fidem hominum, ac homines illam habituros à se, & idem est eos habere Deo donante fidem, ac Deum eorum fidem prædestinasse. Patet hoc manifestè; nam S. Augustinus unum per aliud exposuit. Atqui homines nec in statu absoluto, nec conditionato fidem à

se

ſe ipſis ſunt habituri, ſed in utroque ſtatu Deo donante eam ſumpturi ſunt. Ergo in utroque ſtatu non ſolùm præſcitur, ſed etiam prædefinitur hominum fides, & conſequenter in utroque ſtatu media prædeſtinatione, id eſt, decretò efficaci cognoſcitur, & ſic evaneſcit Scientia media.

2do. Futurum, de quo hîc loquitur S. Auguſtinus eſt conditionatum, & de eodem affirmat illud eſſe prædefinitum, ac ideò præſcitum à Deo. Ergo ex ejus mente futura conditionata à Deo ſunt prædefinita, & ideò præſcita. *Prob. ant.* Quia de eodem futuro reſpondet Auguſtinus, de quo interrogat Hilarius. Atqui Hilarius interrogat de futuro conditionato, ſcilicet de eo, quod in ſexta quæſtione contra Porphyrium S. Auguſtinus docuerat, ſcilicet *Chriſtum tunc voluiſſe hominibus apparere, quando ſciebat, & ubi ſciebat, qui in eum eſſent credituri.* ex quibus Semipelagiani Scientiam conditionatam inferebant. Ergo &c.

3tio. Ex citato *cap. 9. de dono perſev.* eruitur efficax argumentum, inquit celebris quidam Thomiſta, ad demonſtrandum S. Auguſtinum Scientiam mediam improbaſſe non modò quantùm ad erroneum modum illum, quo ponebatur à Semipelagianis, ſed etiam quoad ſubſtantiam ipſam, & ſicut nunc ponitur ab ejus defenſoribus; nam S. Auguſtinus, prout teſtatur S. Thomas 3. *p. q.* 1. *a.* 5. *ad* 2. reprobavit *cap. 9. lib. de don. perſever.* quod dixerat *lib. de ſex quæſt. Pagan.* nimirùm quòd *Chriſtus tunc voluit hominibus apparere, quando & ubi ſciebat, qui in eum fuerant credituri.*

Reſp. Nullibi S. Auguſtinum revocaſſe, quod ſcripſerat in quæſtionibus Paganorum *tunc voluiſſe Chriſtum hominibus apparere &c. Quid enim eſt verius*, ait ipſemet S. Auguſtinus *loc. cit. quàm præſciviſſe Chriſtum, qui, quando, & quibus locis in eum fuerant credituri:* verùm, cùm ex litteris Hilarii ac Proſperi intellexiſſet Semipelagianos in erroris ſui confirmationem hac ſua ſententia abuſos fuiſſe, hanc non quidem correxit, ſed expoſuit & declaravit, ſe abſque præjudicio latentis Dei conſilii ſeu prædeſtinationis hæc dixiſſe; ſed neque poſtulabat ratio, ut id diligentiùs tunc expendiſſet.

Ad 1mum. Arg. Reſp. In doctrina quidem Semipelagianorum, quos S. Doctor refellit, idem eſſe Deum fidem hominum præſciviſſe, ac homines illam fidem ex ſe habituros; non verò idem eſſe in propria S. Auguſtini ſententia. Quod additur, ſcilicet idem eſſe homines fidem Deo donante habere, ac Deum eorum fidem prædeſtinaſſe, ultrò concedunt Scientiæ mediæ patroni. Verùm integra, inquiunt, remanet quæſtio controverſa, utrùm nempè prædeſtinatio illa ſequatur vel antecedat Scientiam conditionatorum; quæ ex adductis S. Auguſtini verbis dirimi profectò nequit.

Ad 2dum. Arg. Reſp. 1mo. *Diſt. maj.* Futurum, de quo loquitur S. Auguſtinus, eſt conditionatum, quod Semipelagiani ex errore convertebant in abſolutum, ita, ut res ſub conditione futura Deo cauſa foret ratio ac motivum illam abſolutè decernendi, *conc.* Eſt conditionatum nudè ac ſimpliciter, *neg. maj.* & pariter *Diſt. min.* Futurum illud eſt à Deo prædefinitum prædefinitione ſubſequente Scientiam conditionatam, *conc.* Eam antecedente, *neg. min. &c.* Eſto igitur, quòd S. Auguſtinus loquatur de decreto conditionato Semipelagianorum, illud tamen non damnat quantùm ad ſubſtantiam (neque enim errori obnoxia eſſe exiſtimanda ſunt quæquæ à Semipelagianis admiſſa ſunt) ſed damnat quoad abuſum ipſorum Semipelagianorum.

Ad 3tium. Arg. Resp. S. Thomam locum integrum referre S. Augustini, qui duabus partibus constat, in quarum prima S. Doctor ait, Christum tunc voluisse hominibus apparere, quando sciebat, & ubi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri: in altera verò omnes illos, ad quos non venit, prævisos à Deo incredulos fore, si ad eos venisset; quod postquam tradit S. Thomas, addit: *Sed hanc responsionem reprobans S. Augustinus lib. de don. persev. dicit: Nunquid possumus dicere Tyrios & Sydonios talibus apud se virtutibus factis credere noluisse, aut credituros non fuisse, cùm ipse Deus attestetur eis, quòd acturi essent magnæ humilitatis pœnitentiam, si in eis facta essent divinarum illa signa virtutum.* At manifestum est his S. Augustini verbis posteriorem duntaxat partem textûs à S. Thoma adducti reprobari, non priorem.

Dices. S. Augustinus ait Deum idcircò rem futuram certò cognoscere, quia eam prædestinat. Ergo præscientia Dei præsupponit præviam prædestinationem. Ergo Scientia media superfluit. Prætereà S. Augustinus *lib. de don. persev. cap.* 18. nomine præscientiæ vult intelligi ipsam prædestinationem. Ergo &c.

Resp. Ad 1mum. Deum rem futuram certò cognoscere scientiâ visionis ac absolutâ, quia eam prædestinat, *conc.* Scientiâ conditionatâ, quæ media dicitur esse inter Scientiam visionis & simplicis intelligentiæ, de qua hîc duntaxat sermo est, *neg.*

Ad 2dum dicunt S. Augustinum hoc dixisse adversùs errorem Semipelagianorum, qui prædestinationem à Scientia ita pendere volebant, ut hæc illius esset motivum & ratio infallibilis.

129 Argumentum 6tum ex conformitate Scientiæ mediæ cum doctrina Semipelagianorum desumitur, atque sic proponitur:

Certum est 1mo. Scientiæ mediæ patronos conspirare cum Semipelagianis in oppugnandis decretis efficacibus Thomistarum, atque illis eadem objicere incommoda, quæ olim Semipelagiani S. Augustino objiciebant.

Resp. AA. 1mo. Hoc à se fieri ex causa & ratione omninò diversa ab ea, qua movebantur Semipelagiani; nam Semipelagiani ex principio erroneo illa decreta aversabantur, utpotè quæ antecederent prævium naturæ meritum, scilicet pium motum naturaliter bonæ voluntatis in ordine ad fidem. At talem errorem Scientiæ mediæ defensores Thomistis nunquam objecêre. Esto etiam quòd Semipelagiani decreta efficacia à Thomistis asserta in S. Augustino oppugnaverint, indè tamen aliud inferri non potest, nisi quòd errore facti laborârint in interpretatione mentis ac doctrinæ S. Augustini; nusquam enim sufficienter probari poterit S. Doctorem hujusmodi decreta admisisse.

2do. Conspirant Scientiæ mediæ Assertores cum Semipelagianis in hoc, quòd cum illis æqualem ac indifferentem erga omnium salutem Deum habere voluntatem existiment. Ergo &c.

Resp. Hoc ipsis falsò imponi, siquidem specialem Dei erga electos dilectionem, qua Deus inter plura gratiæ dona ea seligit, quibus hominem certò consensurum prævidet, ultrò fatentur.

3tio. Conspirant, saltem plerique, in hoc, quòd velint prædestinationem fieri ex prævisis meritis: id ipsum enim docebant Semipelagiani.

Resp. Semipelagianos prædestinationem fundasse in quodam naturæ merito ad omnem Dei gratiam prævio. Prætereà eos censuisse futurum hominis consensum etiam sub adjutorio gratiæ à Deo prævisum fuisse tanquàm gratiæ conferendæ

rendæ causam. At Scientia media in hodiernis Scholis asserta alienissima est à duplici hoc errore, ut ex dictis constat.

130 Argumentum 7mum petitur ex incommodis, quæ ex Scientia media derivantur. 1mo. Hæreticis exosam magis reddit Ecclesiam, ut quæ, quod ipsi eidem continuò exprobrant, recipiat ac foveat doctrinam, quæ gratiæ est inimica. 2do. Gratiam reddit pedissequam libero arbitrio, quæ tamen illius est Domina. 3tio. Diminuit Dei charitatem, cùm ejus minuat dona, à quibus illa accendi debet. 4to. Viam facit ad vitam laxiorem; quia ubi minora auxilia conceduntur, ibi majora perpetrantur mala. 5to. Humilitati est nociva; nam vix fieri potest, ut qui eâdem cum alio gratiâ donatus est, ac se per liberum arbitrium suum gratiæ consentiendo discernit, non infletur. 6to. Necessitatem orationis tollit; nam si equidem à Deo offeratur gratia, & ponantur circumstantiæ, à me verò oriatur bonus usus, Deum quidem orare debeo, ut ponat circumstantias; at ne in vacuum gratiam recipiam, id ab eo petere non possum, cùm ab eo non detur, sed à me ipso expectetur. Et ideò 7mo. Spem minuit divinam; quia spem salutis in homine constituit, à quo pendet auxilii divini efficacia.

Resp. AA. Vana & futilia hæc esse argumenta. Ad 1mum itaque Resp. Hæreticos cœcos esse & duces cœcorum, ac quidem in hoc vel maximè, si existiment Ecclesiam fovere doctrinam, quæ sit inimica gratiæ; siquidem omnis doctrina, quam amplectitur & fovet Ecclesia, cum Apostolo dicit: *Non ego, sed gratia Dei mecum; itaque finite eos, &c.* Neque enim quisquam eorum vanis moveri debet querelis.

Ad 2dum. Resp. Fieri non posse, ut gratia sit pedissequa liberi arbitrii, cùm etiam in Systemate Scientiæ mediæ ipsa sit illius inclinatio & determinatio; nam an ille, inquiunt, qui habitûs cujusdam pondus ac inclinationem sequitur, dici potest illum habitum determinare? aut qui oculos aperit ad lumen Solis, ut objecta videat, potestne dici illud lumen determinare ad visionem? Ita prorsùs res se habet respectu gratiæ.

Ad 3tium. Resp. Contrarium è diametro evenire; siquidem pro magno haberi debet beneficio, quòd Deus inter plura gratiæ adjumenta ea seligat, quibus prænoscit voluntatem ad consensum infallibiliter fore inclinandam. Ex quo ad 4tum patet responsio.

Ad 5tum. Resp. Hoc quidem meritò olim objectum fuisse Pelagianis aut Semipelagianis: sed sanè sine ulla sinceritate modò opponi potest Scientiæ mediæ defensoribus, cùm fateantur liberum arbitrium per se ipsum solum non operari, sed maximè per auxilium gratiæ, sine qua ad nihil sufficientes sumus. Quantùm verò ad discretionem illam, quæ hîc denuò objicitur, jam suprà responsum est. Adde, quòd, qui consentit, semper ampliorem accipiat gratiam, saltem in ratione doni, quàm ille, qui dissentit: idcircò enim ille præstat consensum, quia ipsi Deus, ex speciali erga ipsum dilectione eam seligit, cui prævidit eum esse consensurum, si daretur; quod de altero, qui non consentit, dici non potest.

Ad 6tum. Resp. Cùm in hoc Systemate ab omnibus unanimiter doceatur gratiam nemini debitam esse, sed planè gratis à Deo conferri, omninò necesse est, ut à Deo uberiorem gratiam, atque bonum ipsius usum suppliciter efflagitemus. Undè ratio allata urget quidem contra Semipelagianos, neutiquàm verò contra Scientiæ mediæ patronos. Ex quo patet quid ad 7mum sit respondendum;

dendum; nam gratia potiùs est causa consensûs, non verò consensus causa gratiæ; ac proindè spes totaliter in hoc Systemate reponitur in gratia, non in libero arbitrio.

131 Argumentum 8vum desumitur ex novitate ac facilitate hujus sententiæ. 1mo. Omnium primus Molina hanc sententiam in Scholas invexit, prout ipsemet gloriatur *lib. de concord. q. 23. a. 4. & 5.* aitque, quòd, si Augustini ætate nata & explorata fuisset, fortè nec hæresis Pelagiana orta fuisset, nec Lutherani tàm impudenter arbitrii nostri libertatem negare ausi fuissent. 2do. Modus conciliandi libertatem cum gratia est perdifficilis, teste ipso S. Augustino. Atqui in Systemate Scientiæ mediæ perfacilis est. Ergo &c.

Resp. AA. Ad 1mum. Molinæ attribuendam esse duntaxat clariorem methodum ac explicationem Scientiæ mediæ, non autem inventionem ac primum usum illius quoad substantiam; & de illo gloriatur Molina, non autem de isto.

Ad 2dum. Resp. 1mo. Hoc ipso, quòd modus conciliandi libertatem sit facilis secundùm Systema Scientiæ mediæ, potiùs retinendus est, quàm rejiciendus. Quòd autem S. Augustinus eo usus non sit, id ideò factum, quia eo nihil profecisset contra Pelagianos & Semipelagianos: cùm enim in Systemate Scientiæ mediæ supponatur gratiam necessariò prævenire debere, quam illi ideò negabant, quòd existimarent liberum arbitrium cum ea satis conciliari haud posse, hinc necesse habuit hic S. Doctor recurrere ad Dei omnipotentiam, ut gratiam cum libero arbitrio conciliaret.

Resp. 2do. S. Augustinum nunquam ex professo ac directè disputasse contra Pelagianos vel Semipelagianos de concilianda libertate cum gratia, ut constat ex ejus libris; totus enim intentus erat in refutando præcipuo illorum errore, gratiam videlicet ad bona opera, aut saltem ad initium fidei necessariam haud esse. Cùm autem pertenderent libertatem perimi per gratiam necessariò prævenientem, recurrit quidem S. Augustinus ad omnipotentissimam Dei voluntatem; sed sanè de excogitando modo, quo conciliari posset libertas cum gratiæ necessitate ac decreto prædestinationis sollicitus fuisse non videtur.

Argumentum 9num desumitur ex eo, 132 quòd Scientia media Deo sit injuriosa. 1mo. Scientia media titulum causæ primæ eripit; quia præviam Dei actionem tollit. Deus enim est prima causa. Ergo debet creaturam determinare, non verò ab ea determinari; debet priùs causalitate concurrere in genere causæ efficientis, quàm liberum arbitrium illi subordinatum.

Resp. AA. Si quæstio sit de actionibus ad finem supernaturalem ordinatis, tunc Deus priùs causalitate concurrit quàm liberum arbitrium; quia gratia, quam Deus largitur, non est indifferens, non est communis, neque debita sicut concursus, sed est specialis & gratuita, quæ per mentis illustrationem ac voluntatis excitationem hominem movet, inclinat, & ad bonum allicit; hinc, cùm voluntas gratiæ obsequitur, cui reluctari posset, eam utique non determinat, sed potiùs ductum ac determinationem illius sequitur. Si verò sermo sit de actionibus naturalibus, tunc ajunt 1mo. Deum esse primum in agendo, in quantùm est primus in producenda & conservanda virtute causæ secundæ; non verò quasi Deus priùs naturâ producere inciperet ipsum actum voluntatis, quàm voluntas concurrat; quia alioquin voluntas non solùm in sua libertate læderetur, verùm etiam se merè passivè haberet. 2do. Dicunt Deum esse causam primam in quantùm exhibet creaturæ concursum in actu primo ad agendum, eum ita attemperando, ut sit in potestate voluntatis creatæ

creatæ concursu Dei sibi oblato utendi vel non utendi: neque verò dignitati Majestatis divinæ quidquam derogat, quòd ejus concursus generalis hoc sensu in actu secundo determinetur; quia Deus hac lege se ipsum adstrinxit, ut ad exigentiam creaturæ cum illa, quoties operari voluerit, concurrere velit.

Arguitur 2do. Scientia media eripit Deo titulum primi liberi: implicat enim, ut determinatio voluntatis humanæ à decreto indifferenti seu concursu generali pendere & haberi possit. Undè si Deus est primum liberum in ratione actionum nostrarum, ad eas sanè decretò efficaci & non indifferenti concurrere debet.

Resp. Satis esse, quatenùs titulus ille Deo servetur, si voluntas humana nihil velit, nisi priùs volente aut permittente primo libero, scilicet Deo. Undè decretum, vi cujus Deus suum præbet concursum causæ secundæ, priusquàm illa operetur, producit immediatè ac proximè cum illa ejus determinationem in actu secundo, quæ determinatio est ipsamet volitio, seu actus voluntatis se ita determinantis, ut se ipsam possit non determinare; atque adeò non requiritur, ut priùs efficaciter velit Deus hunc vel illum actum elici à causa secunda.

Arguitur 3tio. Scientia media à Deo supremum dominium, quod habet in nostras voluntates ad eas inclinandas ad quodcumque voluerit, aufert. Ergo &c.

Resp. *Neg. ant.* Quia hæc Scientia Deo varia media subministrat, quibus uti potest ad inclinanda corda nostra, quocunque, & ad quodcunque voluerit.

Arguitur 4to. Scientia media Omnipotentiam Dei coarctat ac limitibus coercet; quia nisi priùs exploraverit Scientia media, nihil decernit Deus, nec decernere potest absque præjudicio libertatis.

Resp. Non oriri ex impotentia aliqua, quòd Deus utatur Scientiâ mediâ, sed ex suorum decretorum lege, qua vult hominem in suis actibus liberum esse & gratiæ quantumcunque potenti resistere posse. Ex quo etiam liquet Deum in hujusmodi duntaxat gratia, cui resisti potest, infallibilem Petri v. g. consensum videre non posse, ac propterea illum cognoscere debere in Scientia conditionatorum.

Dices. Petrus his gratiæ auxiliis, sub quibus jam constituitur, non resistet, idque Deus pro certo compertum habet. Ergo in eisdem certò prævidet consensum Petri.

Resp. *Dist. cons.* Ergo in eisdem certò prævidet consensum Petri dependenter à Scientia media *conc.* Secùs, *neg. cons.* Itaque Deus bonas hominis actiones non videt in sola virtute suæ gratiæ, sed etiam in ea ut attemperata hominis indoli, modificatâ variis circumstantiis favorabilibus, &c.

Argumentum 10mum petitur ex inu- 133
tilitate Scientiæ mediæ ad formanda divina decreta. Arguitur itaque 1mo. Deus in formandis decretis suis absolutis circa salutem hominum sufficienter dirigitur per Scientiam simplicis intelligentiæ. Ergo non indiget Scientia media directrice. *Cons.* patet. *Prob. ant.* Deus per Scientiam simplicis intelligentiæ comprehendit suam Omnipotentiam, & videt in thesauris ejus latere infinita media seu auxilia efficacissima & suavissima, quibus potest voluntates hominum potenter & suaviter ad se pertrahere, quando & ubi voluerit. Ergo opus non habet Scientiâ mediâ.

Resp. AA. Deum quidem per Scientiam simplicis intelligentiæ videre quid re vera fieri possit, sed non quid futurum sit; cognoscere se habere gratiæ auxilia, quibus homo quidem consentire potest,

sed

ſed non quibus certò conſenſurus eſt, quippè eis diſſentire poteſt. Ex quo liquet ſolius ſimplicis intelligentiæ adminiculô Deum efficaciter circa actiones hominis liberas nihil ſtatuere poſſe.

Arguitur 2do. Si prædeſtinatio ſeu ad gratiam ſeu ad gloriam neceſſariò præſupponeret Scientiam mediam, ſequeretur, abſolutè loquendo, poſſe dari hominem, quem Deus de potentia ſua etiam abſoluta convertere & prædeſtinare nequiret. Atqui hoc implicat. Ergo &c. *Prob. ſeq. maj.* Abſolutè loquendo & ex natura rei non implicat dari hominem, qui in nullo tempore velit converti; quia omninò contingens eſt, ut auxilia gratiæ effectum ſortiantur, cùm nullum admittant Scientiæ mediæ patroni, quod infallibiliter ac eſſentialiter cum effectu connectatur. Ergo fieri poterit, ut homo adeò induratus ſit, ut reſiſtat omnibus omninò auxiliis pro ſua converſione à Deo ipſi oblatis.

Reſp. In rebus moralibus ſuppoſitiones illas metaphyſicas eſſe inutiles; quia nempè moraliter ſunt impoſſibiles: quamvis enim uni aut alteri gratiæ auxilio reſiſti poſſit, attamen non omnibus collectivè ſumptis, moraliter ſaltem loquendo, propter eorum vim & efficaciam; potens enim eſt Deus etiam ex lapidibus facere filios Abrahæ.

134 Argumentum 11mum petitur ex inutilitate Scientiæ mediæ ad conciliandam libertatem humanam cum gratia efficaci. Et potiſſimùm innuitur auctoritate S. Auguſtini.

Arguitur itaque 1mo. Multi turbati fuerunt ex modo, quem adhibuit S. Auguſtinus ad conciliandum liberum arbitrium cum gratia, ut docent SS. Hilarius, & Proſper. Atqui non potuerunt turbari ex modo conciliandi libertatem dependenter à Scientia media.

Reſp. AA. Turbatos fuiſſe Fideles ex eo duntaxat, quòd S. Auguſtinus doceret gratiam omninò neceſſariam eſſe, etiam ad omnes pios motus voluntatis, ac etiam (ſaltem ſecundùm apparentiam) vellet prædeſtinationē præcedere merita; non verò ex modo conciliandi libertatem, cùm de eo nullibi ex profeſſo tractaverit, ut jam dictum eſt.

Arguitur 2do. Efficacia gratiæ divinæ ac prædeſtinationis ex ſupremo Dei dominio ac omnipotentiſſima Dei poteſtate peti debet, ut docet S. Auguſtinus *lib. de corrept. & grat. cap.* 14. & alibi paſſim. Ergo non ex Scientia media.

Reſp. Ut omnipotentiſſima Dei voluntas infallibilem effectum habeat circa actiones voluntatis liberas, debet præſupponere Scientiam mediam ut directricem. Oritur itaque efficacia divinæ gratiæ ex omnipotentiſſima Dei voluntate, quæ inter multa auxilia ea potiſſimùm ſeligit, quæ prævidentur habitura effectum, ſi dentur: atque adeò, ut vides, ex Scientia media. In forma breviter *Diſt. ant.* Oritur efficacia divinæ voluntatis ex Omnipotentia Dei attemperata libero arbitrio, *conc.* Secùs, *neg. ant. &c.*

Arguitur 3tio. Talis eſt efficacia divinæ voluntatis, ut de nolentibus faciat volentes, & de repugnantibus conſentientes, quemadmodùm docet S. Auguſtinus. Atqui hoc non facit efficacia gratiæ orta ex Scientia media; quia non de nolentibus, ſed tantùm de volentibus in ſtatu conditionato facit abſolutè volentes.

Reſp. Quòd Deus ea gratiæ auxilia, quæ novit apta eſſe ad frangendam cordis duritiam, ſeligat, atque ſic faciat de nolentibus volentes, & non tantùm de volentibus conditionatè, volentes abſolutè.

Cætera, quæ hîc adhuc afferri poſſent argumenta commodiùs exponentur ubi

ubi de Decretis divinis & gratia efficaci nobis erit sermo.

§. III.

135 *Proponuntur & solvuntur Argumenta, quibus Scientia media adstruitur.*

ARgumentum 1mum petitur ex sacra Scriptura. 1mo. *Sap.* 4. dicitur: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus . . . . placita enim erat Deo anima illius.* Quæritur jam, utrùm Deus decerneret efficaciter determinare illos pueros, ut malitia illos perverteret, si diutiùs viverent, vel non? Si primum, sequitur, quòd Deus sit auctor mali; si secundum, ergo hujus perversionis cognitio habita est ante decretum, & consequenter per Scientiam mediam.

Resp. AA. Hujus perversionis cognitionem habitam esse non in decreto positivo, ut supponit objectio, sed tantùm permissivo, quo Deus statuerat illis denegare auxilium efficax nulli debitum; & sic permittere, ut in varia crimina proruerent, si diutiùs viverent; quia verò anima eorum erat Deo placita, ex eo scilicet, quòd essent prædestinati ad gloriam, sic necesse erat, ut morerentur, antequam per malitiam deciderent de statu gratiæ.

2do. *Matth.* 11. ait Christus ipse: *Va tibi Corozaim, va tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sidone facta essent virtutes, quæ facta sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.* Vidit ergo Deus futuram conversionem Tyriorum & Sidoniorum sub conditione, si hæc signa apud illos faceret, quæ fecit apud Corozaitas, &c. Atqui non vidit hanc futuram pœnitentiam conditionatam in decreto prædestinante; aliàs inanis fuisset reprehensio Judæorum, in promptu fuisset eorum responsio; si nos pares fecisses in tuo decreto ad pœnitentiam prædestinante, parem etiam egissemus pœnitentiam; cùm igitur nos non similiter prædestinasti, ac præordinasti? Ergo videt Deus futura conditionata per Scientiam mediam.

Resp. 1mo. Hunc Scientiæ Mediæ patronorum Achillem magìs illam gravare, quàm juvare. Enimverò illud idem sibi objicit Apostolus *Rom.* 9. Cùm enim ibidem dixisset, *Cujus vult Deus miseretur, & quem vult indurat*, statim subjungens sibi objicit id, quod Scientiæ mediæ defensores adversariis suis objiciunt, scilicet: *Dicis itaque mihi, quid adhuc queritur, voluntati enim ejus quis resistit?* quorum verborum is propriè sensus est, interprete Cornelio à Lap. & aliis: *Si converti ad Deum non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei, &c. ut doces, quid de nobis conqueritur Deus, & succenset nobis, quòd non convertamur.* Hanc verò objectionem ait Prosper *lib.* 1. *de vocat. Gent. in fin.* non solvit Apostolus per velle & nolle liberi arbitrii, ut solent Adversarii, sed ut arrogantem castiget recurrit ad independentissimam Dei voluntatem, inquiens: *O homo tu quis es, qui respondeas, nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit, quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Quibus verbis manifestè rejicitur Scientia media; docemur enim Deum aliquem adducere ad pœnitentiam non ex prævisо consensu, sed potiùs quia cujus vult miseretur.

Deinde Retorq. Arg. contra suos auctores; quia in eorum sententia possent Corozaitæ, &c. exprobrationi Christi dicere, quòd, sicut ideò Tyrii & Sidonii visis illis signis crederent, quia patrata forent apud eos in ea rerum serie, ac ordine, necnon occasionibus, in quibus prævisum est à Deo, ipsos consensuros

& crediturus, cùm tamen essent plures aliæ occasiones, in quibus prævidit illos, patratis eisdem signis, non convertendos; ita si eadem signa fuissent facta apud prædictos Judæos in pluribus aliis circumstantiis, & occasionibus, in quibus prævisum est à Deo illos credituros, tunc non minùs quàm Tyrii, &c. crederent. Undè videtur eos etiam posse conqueri de Christo, &c.

Neque dicant AA. hanc retorsionem esse telum sine viribus; quandoquidèm Judæi in iis, in quibus erant, circumstantiis, re ipsa converti poterant, nec quidquam eorum, quæ ad conversionem sunt necessaria, ipsis deerat in mente eorum, qui Scientiam mediam defendunt, non verò ita in sententia Thomistarum; deerat enim decretum absolutum & efficax ex parte Dei, deerat gratia ex sese efficax ac prædeterminans, quæ duo, juxta eosdem Thomistas, ad conversionem omninò sunt necessaria. Non, inquam, hoc dicant; nam in sententia AA. ad conversionem summè necessarium est, ut detur gratia in circumstantiis favorabilibus; at hæc largitio non fuit in potestate Corozaitarum, &c. ergo adhuc inter eos & Tyrios, &c. invenitur inæqualitas; quia illi consecuti fuissent circumstantias favorabiles, secùs Corozaitæ, &c.

Resp. 2do. Ad Arg. *Neg. min.* Ad rationem adjectam dicunt Judæos id non potuisse, quod objiciunt Adversarii, Christo respondere; quia major erat excæcatio & induratio Judæorum, quàm Tyriorum, &c. & hæc erat causa, cur gratia conversionis in decretis Dei præparata Tyriis, &c. ipsis non conferatur. Solutio hæc est S. Augustini. *Non ergo*, inquit, *erant sic excæcati oculi, nec sic induratum cor Tyriorum & Sidoniorum, quoniam credidissent, si qualia viderunt isti* (Corozaitæ, &c.) *signa vidissent.*

Confirmatur & explanatur hæc responsio ex S. Thoma 3. *cont. Gent. c.* 159. ubi, *Licèt homo*, inquit, *per motum liberi arbitrii divinam gratiam nec promereri nec acquirere possit, potest tamen se ipsum impedire, ne eam recipiat . . . . & cùm hoc sit in potestate liberi arbitrii impedire divinæ gratiæ receptionem, vel non impedire, non immeritò in culpam imputatur ei, qui impedimentum præstat gratiæ receptioni. Hoc igitur Christus in Judæis reprehendebat, quòd majora quàm Gentiles gratiæ impedimenta posuerint.*

Dices. Sicut, quòd unus homo tot crimina non perpetret quot alter, adscribi debet gratiæ juxta S. Augustinum in *Soliloq. c.* 15. sic minor excæcatio Tyriorum, &c. erat quidam effectus gratiæ, quo privabantur Judæi. Ergo adhuc ex hoc Judæis relinquitur excusationis locus, & sic reprehendi non debuerant.

Resp. *neg. conf.* Nam justa fuit adhuc Judæorum reprehensio, siquidem Deus nulla peccata imputat, ac proindè neminem reprehendit ob peccata, quæ potuit committere, sed tantùm quæ commisit. Undè cùm Judæi præ Tyriis, &c. graviora crimina, per quæ contraxerunt majorem duritiem, perpetrassent, jure præ Tyriis reprehendi potuerunt. Deindè sicut Moyses *Deut.* 29. exprobrat Israelitis, quòd Domino non obediverint, etsi fateatur, quòd Dominus cor intelligens illis non dederit; ita Christus Galilæis istis rectè exprobrat, quòd ad Evangelii prædicationem non pœnituerint, quamvis pœnitentiam eis non dederit; quia eorum obstinatio talem exprobrationem merebatur.

Inst. 1mo. Ut comparativa exprobratio justa sit, debet esse æqualitas inter extrema comparationis; undè injustè increparetur miles malè armatus exemplô alterius armis validioribus instructi. Atqui suppositô decretô & gratiâ efficaci circa conversionem Tyriorum, &c. & eodem negato erga Judæos, non servaretur æqualitas inter illos. Ergo nec justa est exprobratio, saltem comparativa.

Resp.

Resp. *Dist. maj.* Ut comparativa exprobratio justa sit, debet esse æqualitas inter extrema comparationis, quantùm ad actum primum, *conc.* quantùm ad actum secundum, vel applicationem ad illum, *neg. maj.* Ratio est, quia ut unus justè increpetur præ alio, sufficit obligationis æqualitas, quam unus transgreditur, & alter implet; obligatio autem fundatur super posse, non super actum & applicationem ad illum. Porro decretum & gratia efficax non dant posse, sed illud supponunt: cùm igitur quoad posse & gratiam sufficientem Galilæi istis Gentilibus fuerint æquales, meritò reprehenduntur. Exemplum verò militis non est ad rem; quia in illo fuisset inæqualitas quantùm ad ea, quæ se tenent ex parte potentiæ.

Inst. 2do. Ille non est culpabilis quòd non agat, qui non habet omnia necessaria ad agendum. Sed qui caret auxiliô efficaci, non habet omnia requisita ad agendum. Ergo non est culpabilis; quemadmodùm non esset culpabilis Sacerdos omittens Horas Canonicas ex defectu Breviarii.

Resp. Veram esse majorem propositionem, si non adsint omnia requisita ex parte actûs primi. Secùs si tantùm aliquid desit ex parte actûs secundi: in exemplo allato autem deesset aliquid ex parte actûs primi.

Dices. Præceptum alicui impositum non obligat solùm ad posse agere, sed etiam ad agendum. Ergo ut aliquis possit observare præceptum, indiget, præter gratiam sufficientem etiam efficaci.

Resp. *Neg. conf.* Quia ratione gratiæ sufficientis non solùm habetur quidquid ad posse necessarium est, sed etiam quidquid ex parte actûs primi seu potentiæ requisitum est ad ipsum agere, quod sufficit, ut aliquis dicatur posse observare præceptum.

136 Argumentum 2dum desumitur ab auctoritate SS. Patrum, & quidem Arguitur 1mo. ex S. Augustino, qui de Tyriis loquens *c.* 14. *de don. persev.* innuit Tyriorum conversionem præscitam fuisse conditionatè futuram, non in Dei decretis, sed in quadam meliore eorum indole ac congruitate vocationis & circumstantiarum, quæ est ipsissima Scientia media. *Tyrii*, inquit, *& Sidonii credere potuerunt, si mira illa Christi signa vidissent, sed quoniam ut crederent non erat eis datum, etiam undè crederent negatum.* Ecce quomodò negat decreta fuisse in Deo illos convertentia. Ac statim explicans, in quo prævisi essent conditionatè convertendi, *apparet*, inquit, *habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur naturaliter ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant. Et tamen si Dei altiore judicio à perditionis massâ non sunt gratiâ prædestinatione discreti, nec ipsa eis adhibentur vel dicta divina, vel facta, per quæ possent credere, si audirent utique talia vel viderent.* An non ibi S. Augustin. ipsissimâ Scientiam mediam expressit? nempè Deum ante omnia decreta prævidisse his signis seu circumstantiis illos credituros, quòd ad eorum voluntatem movendam circumstantiæ sint magis congruæ, &c. Item *ad Simplic. q.* 2. docet Deum sic vocare eum, cujus miseretur, quomodò scit ei congruere, ut vocantem non respuat. Item *de don. persev. c.* 14. dicit, *prædestinatio Sanctorum nihil est aliud quàm præscientia, ac præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur.* En quia præscientia est prior decretô.

Resp. 1mo. Media congrua, præparationem beneficiorum, & hæc similia per Scientiam simplicis intelligentiæ à Deo cognosci; per hanc enim novit omnes voluntatis sinus, modos, ac virtutem agendi, item infinita media, quibus efficaciter pertrahere potest voluntatem ad consensum, ac consequenter etiam novit, quid cuique congruum est.

Resp. 2do. Hos & similes S. Augustini textus probare quidem gratiam exteriorem, at non negare gratiam interiorem efficacem, qua in nobis Deus operatur & velle; undè absque præjudicio gratiæ interioris efficacis intelligendi sunt. *Cùm,* ait idem S. Doctor *lib. de prædest. cap.* 8. *prædicatur Evangelium, quidam credunt, quidam non credunt; sed qui credunt prædicatore forinsecùs sonante, intùs à Patre audiunt atque discunt, hoc est, illis datur, ut credant.*

Resp. 3tio. Re vera Deum certò cognoscere quanam congrua vocatione unusquisque vocandus sit, ut vocantem non respuat, sed sequatur. At congruitas illa gratiæ interna, seu suavitas attemperata genio, moribus, ac circumstantiis personæ à Deo est eam prædestinante ac operante juxta illud Apostoli *Heb.* 13. *Aptet vos Deus in omni bono faciens in vobis, quod placet coram se,* id est, faciat vos velle omne bonum, ut exponit S. Thomas *lect.* 3.

Inst. Juxta S. Augustinum *lib. de prædest. Sanct. c.* 10. prædestinatio non potest esse sine præscientia, potest tamen esse præscientia sine prædestinatione. Ergo ex eodem Deus præscit etiam ea, quæ non prædestinavit, ac proindè per Scientiam mediam extra decretum.

Resp. S. Augustinum ibidem loqui duntaxat de peccatis, quæ Deus præscit in decreto suo permissivo, sed non prædestinat nec decernit. Ait enim: *prædestinatione quippè Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus.* præscire autem potest quæcunque non facit, sicut quæcunque peccata.

Arguitur 2do. Ex S. Thoma. 1mo. 1. *p. q.* 23. *a.* 5. *ad* 1. docet usum gratiæ præscium non esse rationē collationis gratiæ, nisi secundùm rationem causæ finalis. Ergo juxta S. Thomam Deus priùs prævidet usum gratiæ, antequam quidquam discernat.

Resp. 1mo. *Neg. cons.* Nam ille usus gratiæ præscius importat quidem præscientiam non præsuppositam, sed fundatam in decreto, quod vel maximè evincitur ex eo, quòd S. Thomas ibidem asserat totum, quod est ex gratia & libero arbitrio esse prædestinationis effectum, & procedere ex divina voluntate sicut ex primo principio movente, quo loco, ut patet legenti, manifestè rejicit Scientiam mediam.

Resp. 2do. *Dist. cons.* prævidet providentiâ seu præscientiâ fundatâ in decreto, *conc.* Secùs, *neg. cons.*

2do. 3. *p. q.* 1. *a.* 3. *ad* 4. Idem S. Thomas ait: *Dicendum, quòd prædestinatio præsupponat præscientiam futurorum.* Atqui hæc est Scientia media. Ergo &c.

Resp. 1mo. S. Thomam ibi locutum fuisse de Scientia seu præscientia absoluta peccati Adæ, quod præsupponebatur per Decretum permissivum antecedenter ad prædestinationem Christi. Resp. 2do. *Dist. text.* Prædestinatio præsupponit scientiam futurorum secundùm effectum particularem, *conc.* Secundùm effectum communem, *neg.* Juxta S. Thomam illa præscientia futurorum secundùm effectum particularem est etiam effectus prædestinationis. Undè ipsa non habetur per Scientiam mediam, sed per Scientiam approbationis, seu per determinationem divinæ voluntatis; effectus enim prædestinationis ordinantur ad invicem, & sic unus præsupponit alterum.

3tio. Idem Angelicus Doctor *in* 1. *dist.* 46. *q.* 1. *a.* 1. ait, quòd voluntas Dei præsupponat præscientiam operum. Ergo &c.

Resp. S. Doctorem ibi loqui de reprobatione positiva, sive de voluntate consequente, qua Deus intendit reprobis infligere pœnam æternam, quæ voluntas supponit præscientiam malorum operum: verùm hæc præscientia non habetur per Scientiam mediam, ut existimant illius patroni, sed per decretum permissivum horum malorum operum.

Argui-

Arguitur 3tio. Ex S. Chrysostomo *Hom.* 31. *& 65. in Matth.* ubi agens de vocatione S. Pauli & S. Matthæi dicit, *Deum tunc eos vocasse, quando noverat consensuros.* Item *in Ep. ad Heb. Hom.* 12. docet, *quòd oporteat primò nos eligere quæ bona sunt, & tunc Deus ea, quæ sua sunt introducit; non enim antecedit voluntates nostras, ne liberum lædatur arbitrium.*

Resp. S. Chrysostomum solùm velle Deum adultis gratiæ & virtutum habitus non largiri, nisi priùs illi se ad eos per liberum arbitrium præparaverint: at verò præparationem illam esse à gratia non negat, alioquin idem cum Semipelagianis sensisset. Præterea, ut ait S. Augustinus *c.* 18. *de don. persev. Quandò apud aliquos Verbi Dei Tractatores reperitur nomen præscientiæ, & agitur de vocatione electorum, nomine præscientiæ intelligi debet prædestinatio.* id est, *præscientia in decreto & prædestinatione fundata.*

137 Argumentum 3tium petitur ex variis rationibus. Igitur Arguitur 1mo. Veritas horum futurorum conditionatorum: *Si Deus daret Judæ gratiam efficacem vel prædeterminationem physicam, converteretur;* item: *Si Pater Christo præcipiat mortem, eam Christus eliget,* cognoscitur à Deo. Atqui non potest cognosci ab illo per Scientiam simplicis intelligentiæ, neque per Scientiam visionis. Ergo per Scientiam mediam. *Prob. min.* Scientia simplicis intelligentiæ terminatur ad objecta necessaria, Scientia visionis verò ad objecta in aliqua temporis differentia absolutè existentia. Atqui hæc veritas est contingens & conditionata. Ergo cognosci debet per Scientiam mediam.

Resp. Veritatem harum propositionum cognosci per Scientiam simplicis intelligentiæ; quia licèt extrema sint libera & contingentia, illatio tamen, quæ in ea exprimitur, est infallibilis & necessaria, ac proindè ad Scientiam simplicis intelligentiæ pertinet.

Dices. Ex gratia efficaci ac præcepto Dei consensus voluntatis non sequitur necessariò sed liberè. Ergo etiam illatio est contingens & libera, neutiquam necessaria.

Resp. Quòd licèt ex Decreto & gratia efficaci effectus liberè eveniat, vis tamen illationis & consequentiæ necessaria est, nempè necessarium est, quòd res eveniat eo modo, quo eam decrevit. Undè si vult Deus creaturam liberè operari, necesse est, ut liberè operetur, *quoniam quod Deus vult,* inquit S. Anselmus lib. de concord. c. 1. *non potest esse, cùm vult hominis voluntatem nulla cogi aut probiberi necessitate ad volendum vel ad nolendum, & vult effectum sequi voluntatem, tunc necesse est voluntatem esse liberam, & esse quod vult.*

Arguitur 2do. Deus scit futura conditionata, ut communis est Theologorum, paucis duntaxat exceptis, sententia. Atqui ea non scit per sua decreta. Ergo extra decreta, & consequenter per Scientiam mediam. *Prob. min.* 1mo. Ut Deus ea cognosceret in suis decretis, deberet habere decreta conditionalia, talia v. g. *Volo, ut si Tyrii Evangelium audiant, signaque videant, ad fidem convertantur.* Atqui hujusmodi decreta non sunt admittenda. Ergo &c. *Prob. min.* 1mo. Ex novitate horum decretorum. Quis enim Theologorum antiquitùs hoc docuit, aut approbavit hujusmodi decreta, *Volo, ut, si vellem id fieri, illud fieret.* Quin potiùs ab eorum Scholis ea esse penitùs eliminata constat ex eo, quòd doceant præscientiam latiùs patere, quàm prædestinationem seu decretum. 2do. *Prob. eadem min.* auctoritate SS. Patrum, qui asserunt Deum non prædefiniisse liberas hominum actiones. Sufficiat hîc retulisse S. Joannem Damascenum, qui *lib.* 2. *de fide cap. ult.* ita ait: *Deus virtutes & vitia, & ea, quæ sunt à nostro arbitrio, præcognoscit quidem, sed non prædeterminat.* 3tio. Hujusmodi decreta, cùm præveniant liber-

libertatem, fieri non potest, quin eam perimant. 4to. Quia sunt inutilia, & 1mo. quidem ex parte Dei; nam sunt indigna, quid enim dignum habent hæc decreta? *Volo, ut, si vellem, illud sequetur.* 2do. Ex parte objecti seu actûs liberi; potest enim iste esse futurus ex eo solo, quòd ponatur voluntas in circumstantiis favorabilibus, &c. atque adeò absque hujusmodi decretis.

Resp. Ad Arg. *neg. min.* ad ejus prob. *neg. min.* & ad ejus *prob.* 1mam. *neg. ant.* Decreta enim hujusmodi perantiqua sunt, utpote in S. Scriptura expressa; nam Deus plurimis locis ejusdem S. Scripturæ revelavit se multa facturum, si talis vel talis conditio poneretur, quæ tamen de facto posita non est, ut quòd non deleturus sit Sodomam si in ea fuerint quinquaginta vel triginta viri justi *Genes.* 18. Quòd vivet Rex Sedecias, si exierit ad Regem Babylonis. & cætera quàm plurima. Huc etiam revocari debet voluntas antecedens salvandi omnes homines.

Ad rationem adjectam Resp. præscientiam, fundatam scilicet in decreto universali, ut putà circa regimen universi, utique latiùs patere ipsa prædestinatione strictiùs sumpta, scilicet pro electione Sanctorum, aut effectu aliquo particulari.

Ad 2dam. Respondet S. Thomas 1. *p. q.* 23. *a.* 1. *ad* 1. Deum non prædestinare ea, quæ sunt in nostro arbitrio, per modum necessitatis & impulsûs coactivi. Negant itaque SS. Patres solummodò prædestinationem per modum necessitatis & impulsûs coactivi, non verò eam, quæ ita movet, ut relinquat potentiam ad oppositum.

Ad 3tiam. Resp. Quemadmodùm gratia efficax, ut benè docent Thomistæ in Tract. de Gratia, non perimit libertatem, ita neque decretum efficax, quo Deus taliter movere decernit.

Ad 4tam. Patet solutio ex prima Resp. Et sanè, quòd Deus conditionata saltem disparata suo decreto constituerit futura, non potest cum sufficienti fundamento negari; in quo enim, e. g. cognovit Deus, quòd Joas penitùs devastaturus fuisset Syriam, si terram septies percussisset, nonne in sua duntaxat voluntate? Prætereà per hujusmodi decreta conditionata præparantur homini auxilia sufficientia, ac Deus iis utitur ad diversos fines providentiæ suæ, ad ostensionem suæ bonitatis ac justitiæ, &c. Undè otiosa & inutilia minimè dici debent.

Inst. Actui voluntatis existenti in Deo correspondere debet proprium voluntatis objectum præsens saltem in esse objectivo. Atqui decreto conditionato non assignatur præsens voluntatis objectum. Ergo non est actu in Deo. *Prob. min.* Objectum voluntatis est bonum. Atqui objectum sub conditione futurum non est actu bonum, cùm non sit actu existens. Ergo &c.

Resp. *Neg. min.* ad ejus *prob. Dist. maj.* Objectum voluntatis est bonum bonitate præsenti aut futura sive absolutè sive conditionatè, *conc. maj.* Est bonum bonitate præsenti præcisè, *neg. maj.*

Arguitur 3tio. Effectus futurus non pendet à solo Deo, sed etiam ab ipso agente libero. Ergo quid agens liberum sit facturum sub conditione non scitur in decreto divino, sed potiùs in ipsa determinatione agentis liberi.

Resp. *Neg. conf.* vel *Dist. conf.* Nisi & ipsa determinatio agentis liberi penderet ab ipsissimo decreto divino, *conc.* Secùs, *neg. conf.*

Inst. 1mo. Ipsa causa secunda determinat Dei decretum seu concursum ad esse ipsius futuri conditionati, cùm sit indifferens tàm ad ipsum quàm ad ejus oppositum. Ergo Deus videt futurum conditionatum ante suum decretum, hoc ipso, quia determinatur à causa secunda ad esse ipsius futuri conditionati.

Resp.

Resp. *Neg. ant. cum sua probatione.* Deus enim, quia est causa prima tàm quoad esse quàm quoad omne operari ipsius causæ secundæ, quæ aliàs non operatur suos effectus nisi cum dependentia à Deo in causando, jam fieri nequit, ut illa ab hac determinetur, cùm aliàs hoc ipso causa prima ampliùs non esset; in agentibus enim & moventibus subordinatis inferius movetur à superiore, non vicissim. Deindè sequeretur Deum, qui est principium omnis motûs, non esse causam determinationis illius.

Inst. 2do. Concursus Dei ad effectus agentis liberi vel est indifferens, vel non? Non secundum, quia Deus se habet æqualiter ad omnes effectus: si primum, ergo determinabitur ab agente libero, ut potiùs concurrat ad hoc quàm ad alterum.

Resp. Concursum Dei ad effectus agentis liberi planè non esse indifferentem, sed determinatum, non quidem ab ipsa determinatione causæ secundæ, sed ab ipsa determinatione divinæ voluntatis.

Inst. 3tio. Deus decernit æqualiter concurrere ad omnes effectus causæ secundæ. Ergo concursus ejus est indifferens.

Resp. *Dist. ant.* Tanquam non infringendo libertatem humanam, *conc.* Tanquam permittendo se determinari à causa secunda, vel remittendo dependentiam causæ secundæ à se tanquam à causa prima, *neg. ant.*

Inferes. Ergo Deus non permitteret peccata. *Prob. Illat.* Ille permittit peccata, qui non impediendo permittit se determinari ab ipso peccante. Ergo si Deus à causa secunda se determinari nunquam permittat, non permittet peccata.

Resp. *Neg. Illat.* Ad ejus *prob. neg. ant.* respectu Dei; quia ipse in tantùm permittit peccata, in quantùm decernit denegare auxilia ad benè operandum efficacia; undè non impediendo potiùs se ipsum determinat, quàm ut determinetur ab ipso peccante.

Arguitur 4to. Si futura conditionata non cognoscerentur ante decretum, tunc neque istud futurum: *Antichristus erit.* Atqui hoc istud futurum: *Antichristus erit*, cognoscitur ante decretum. Ergo &c. *Prob. min.* Tunc cognoscitur ante decretum, quando hujus propositionis veritas ante decretum est conformis suo objecto. Atqui, &c. Ergo &c. *Prob. min.* Ideo post decretum hæc propositio est conformis suo objecto, quia ipsi in tempore subsequente correspondet determinata veritas hujus propositionis de inesse, *Antichristus est.* Atqui hæc determinata veritas etiam ipsi respondet ante omne decretum. Ergo &c.

Resp. *neg. min.* Ad ejus *prob. neg. min.* & ad hujus *prob. neg. min.* Sicut enim hæc propositio: *Antichristus erit*, determinatam actualem veritatem non habet nisi supposito decretò, sic nec conditionata propositio de futuro.

Inst. Ex duabus propositionibus contradictoriis una est determinatè vera & altera falsa ante omne decretum. Atqui *Antichristus non erit* determinatè falsum est: Ergo *Antichristus erit* determinatè verum est.

Resp. *neg. maj.* vel *Dist. maj.* Una est determinatè vera, &c. possibiliter, *conc.* actualiter, *neg. maj. &c.*

Arguitur 5to. Peccata sub conditione futura à Deo sciuntur. Atqui illa non possunt præsciri in decreto prædeterminante, alioquin esset eorum causa. Ergo per Scientiam mediam.

Resp. Sciri quantùm ad formale per decretum permissivum, quantùm verò ad materiale per decretum positivum.

Dices. Hoc etiam asserunt Calvinus & ejus Discipulus Beza, ut docent Bellarminus & alii complures Doctores Catholici. Ergo &c.

Resp. *neg. ant.* Quia hi Acatholici volunt Deum etiam concurrere ad formale peccati.

Inst. 1mo. Non alia ratione peccati malitia homini attribuitur, nisi quia suo concursu materiale illius attingir. Ergo si Deus hoc prædeterminat, etiam concurret ad illam.

Resp. *neg. ant.* Non enim ideò præcisè, sed quia attingit materiale operando difformiter ad regulas morum, atque adeò quatenùs tale materiale fundat ipsam malitiam. Deus autem minimè sic concurrit.

Inst. 2do. Ratione connexionis inter formale & materiale malitiæ, nequit Deus materiale materiæ consulere, quin in ipsum refundatur formale. Atqui prædeterminatio fortiùs movet quàm consilium. Ergo ratione connexionis utriusque non poterit unum prædeterminari, quin & alterum prædetermine-tur.

Resp. *Dist. min.* Fortiùs movet & cum eadem extensione, *neg.* cum minori extensione, *conc. min.* Consilium respicit enim actum ut à voluntate humana hîc & nunc exercendum cum omnibus circumstantiis, quæ ad illam concurrunt, sive ad lineam physicam, sive moralem spectantibus, undè non præscindit à malitia, si in eo aliqua reperiri valeat. At concursus seu motio Dei prævia præcisiva est eo modo, quo motio animæ respectu pedis claudi ambulantis præscindit ab ipsa claudicatione, hæc enim in illam tanquam in causam minimè refunditur, sed solùm in tibiam curvam. Verùm de hoc argumento sequenti Exercitatione redibit quæstio.

Arguitur 6to. Dei præscientia à Scriptura & Patribus ut admodùm admirabilis celebratur. At si Deus futura præsciat in suo decreto, hæc Scientia mirabilis dici nequit; quid enim rationi magis obvium, quàm cognoscere in voluntate, quod ipsa vult voluntas?

Resp. Scientiam Dei ex eo mirabilem esse 1mo. quòd omnia in rationibus suæ providentiæ prævideat. 2do. quòd ea sibi præsentia physicè intueatur absque eo, quòd de eorum futuritione aut contingentia quidquam dematur.

Arguitur 7timo. Ad salvandam libertatem nostrorum actuum requiritur, ut præscientia Dei de his actibus sit à nobis impedibilis. Atqui hujusmodi Scientia à nobis impedibilis est sola Scientia media. Ergo &c. *Prob. maj.* Ab illo Scientia debet esse impedibilis, à quo objectum Scientiæ est impedibile; objectum enim est terminativum Scientiæ. Atqui objectum Scientiæ, nimirùm actus liber, debet à nobis esse impedibile, ut ex fide constat. Ergo &c.

Resp. 1mo. *Transf. maj.* & *neg. min.* saltem in sententia Congruistarum, eò quòd auxilia congrua, quæ sunt causa consensûs non pendeant à voluntate humana, ac proinde ab ea impediri haud valeant.

Resp. 2do. *Neg. maj.* ad ejus *prob. Dist. maj.* Ab illo Scientia debet esse impedibilis, à quo tanquam ab Agente primo objectum est impedibile, *conc.* tanquam ab Agente secundo, *neg. maj. &c.* Sicut enim prædeterminatio & decretum divinum, cujus illa est executiva, non debent à nobis impedibilia esse, quia non sunt in nostra potestate; ita pariter Scientia fundata in hujusmodi decreto. Undè sufficit, quòd illa faciat, quòd actus nostri sint in nostra potestate, ac consequenter liberi.

§. IV.

Declaratio circa utramque hanc sententiam. 138

Fatendum ultrò videtur, neutram binarū harum sententiarum per Argumenta hucusque in utramque partem ventilata à sua pro-

probabilitate dejectam esse. Et sane si res æquâ rationis trutinâ & accuratè examinetur, non obscurè colligetur testimoniis tùm ex S. Scriptura tùm ex S. Augustino adversùs Scientiam mediam prolatis nec hilum eidem derogatum esse, saltem in sensu illorum Theologorum, qui gratiam congruam adstruunt.

Negari tamen non potest, S. Augustinum ad conciliandam libertatem cum gratia nunquam eâ fuisse usum, sed semper recurrisse ad omnipotentissimam Dei potestatem; nec profectò id diffitentur memorati Theologi gratiæ congruæ patroni, sed solummodò inquirunt ac scire cupiunt, in quo ergo sita sit omnipotentissima illa potestas & summa divinæ voluntatis efficacia: neque enim, inquiunt, consistit in eo, quòd Deus possit per quodlibet medium facere non modò ut velimus, sed etiam ut liberè velimus. Dicimus ergo, ajunt ulterius, illam in duobus consistere: videlicèt in Scientia, qua absoluta infallibilitate novit media de se repudiabilia, sub quorum tamen conditione actus nostri sunt futuribiles; & in potentia illorum inimpedibiliter executiva. Hoc ipso enim, quòd Deus absoluta infallibilitate novit media de se repudiabilia, quæ tamen, si adhibeantur, voluntatem ad volendum præmotura sunt, nec aliundè ab ullo à talium mediorum executione retardari potest, statim intelligitur habere omnipotentissimam potestatem in voluntates nostras atque in liberum earumdem consensum.

Quòd si quis dicat, modum conciliandi libertatem cum gratia, teste S. Augustino esse difficilem, istum verò Scientiæ mediæ modum esse facilem: Respondent, modum conciliandi duo fidei dogmata inter se pro aliquo tempore minùs explicatum & evolutum, proindequè intellectu difficiliorem posse pro alio tempore subsequenti à Doctoribus Catholicis ob urgentem aliquam necessitatem, & ad confutandam aliquam hæresim, magis explicari & evolvi, & sic captu faciliorem reddi. &c.

Diximus Scientiàm mediam in sensu Theologorum illorum, qui admittunt gratiam congruam non adversari S. Scripturæ, aut S. Augustini veritati. Nam Scientia media sub conditione gratiæ versatilis & indifferentis videtur pugnare contra S. Scripturam ac S. Augustini doctrinam, ut facilè colligitur ex textibus tùm S. Scripturæ tùm S. Augustini sup. §. 2. adductis: pugnare etiam videtur contra rationem; enimverò facit gratiam pedissequam voluntatis, tollit ab ea rationem determinationis, extollit liberum arbitrium fermè Pelagianorum aut saltem Semipelagianorum more, necnon è medio tollere videtur omnem gratuitam electorum à reprobis discretionem; & ideò ab omnibus fermè velut improbabilis, aut saltem minùs probabilis rejicitur.

Quamvis autem Scientia media sub conditione gratiæ congruæ auctoritati S. Scripturæ & S. Augustini adversa probari haud sufficienter possit, necnon sua admodùm firma probabilitate niti videatur; non tamen tantam illius esse certitudinem arbitramur, ut, quod olim celebris quidam nobisque amicissimus Congruista de se ipso audacter asserebat, pro illius defensione ultrò martyrium subire tutò quis possit; quin contrà permulti etiamnum extra Scholam Thomisticam inveniuntur celebres Theologi, qui contrariam sententiam, & qua ipsa Scientia hæc media impugnatur probabiliorem esse autument; tùm quia S. Literis ac S. Augustini doctrinæ majorem præseferre videtur conformitatem, tùm quia ejus argumenta validiora ipsis videntur, quàm sint illius opinionis, quæ hanc Scientiam mediam propugnat, in-

ter quæ eminet Argumentum 10mum. sup. §. 2. *n.* 133. adductum, & quo satis efficaciter probari videtur inutilem esse Scientiam mediam ad dirigendum Deum in suis decretis formandis. Verùm operæ pretium arbitramur illud ut & subsequens argumentum, 11mum. nempè, *ib. n.* 134. hìc paulò ampliùs expendere.

139 Dicunt itaque hi Theologi, Scientiam mediam tùm ad conciliandam libertatem humanam cum gratia, tùm ad dirigendum Deum in suis decretis inutilem ex eo censeri posse, quia hæc duo munia pro priori sibi appropriat Scientia simplicis intelligentiæ, prout fundata in rationibus divinæ providentiæ seu in ipso decreto, quo Deus determinavit ordinem in hujus Universi administratione servandum. Ad hujus intelligentiam sequentem quorumdam divinorum decretorum ordinem præsenti proposito servientium adducere solent.

1mo. Itaque Deus per suam Scientiam simplicis intelligentiæ infinitos propemodùm rerum ordines, quas statuere posset, intuetur. 2do. Inter illos, varios ac possibiles, hunc decernit ordinem; quòd v. g. velit Angelos & Homines in finem supernaturalem evehere, quòd velit permittere, ut quidam à fine debito devient, alii verò eum consequantur; quòd velit quemcunque movere secundùm suam exigentiam ac dispositionem, & ideò statuit cuique largiri suam virtutem ac modum agendi, necnon distribuere dona naturalia, attamen secundùm suæ voluntatis consilium, uni sic & alteri sic. Præparat insuper omnibus sufficientis saltem gratiæ auxilia. Porrò hoc decretum circa Universi ordinem nuncupari solet *Rationes divinæ providentiæ.* 3tio. Circa particulares effectus istius providentiæ, quam sibi Deus præ aliis elegit, videt multos possibiles naturaliter, alios verò possibiles liberè in his & istis circumstantiis, cum his & istis mediis, &c. Diximus *alios effectus possibiles liberè;* nam nihil est futurum aut existens in rerum natura, nisi eo modo, quo erat possibile, ut videtur certum ex terminis; actus enim supponit potentiam. Undè priusquàm Deus circa aliquem actum liberum in istis circumstantiis sub istis mediis quidquam decernat, oportet, ut pro priori eum in iisdem circumstantiis, cum iisdem mediis ut possibiliter liberum præviderit.

Jam verò, inquiunt, Deus per hanc Scientiam simplicis intelligentiæ ut inclusam in decreto hujus suæ providentiæ videt voluntatem liberam quoad omnes suos sinus & recessus, quoad omnem suam virtutem & modum agendi quàm liberrimum, item quoad omnes suos actus cum suo consensu quam liberrimè connexos in his & istis circumstantiis, cum talibus & talibus mediis producibiles in rerum natura. Præterea videt infinita media, quibus voluntatem ad consensum pertrahere potest, & quidem inter ea media quædam videt inefficacia, quædam verò ita efficacia, ut dicere possit: *video istum actum*, v. g. amorem Petri, *in istis circumstantiis & cum istis mediis adeò efficacibus ita possibilem, ut alius actus ipsi oppositus, licèt absolutè quidem sit possibilis* (quia ista media à Deo sic attemperantur voluntati humanæ, ut ejus libertatem non perimant) *attamen moraliter impossibilis, seu sufficienter tantùm & inefficaciter possibilis sit.* Ista omnia, inquam, videt Deus per Scientiam simplicis intelligentiæ, quia per eam comprehendit suam omnipotentiam, in qua hæc omnia eminenter continentur.

Ex quo jam deducitur 1mo. quòd ad hoc, ut effectus liberi sint futuri ac existen-

exiſtentes in tempore, plus non requiratur, quàm ut Deus dicat: *Volo hunc actum*, v. g. amorem Petri, *futurum eo modo, ſcilicet in iſtis circumſtantiis, ac cum iſtis mediis, quibus in ſtatu poſſibilitatis per Scientiam ſimplicis intelligentiæ prævidi eum liberè, ſed tamen efficaciter conjungibilem cum ſuo conſenſu.*

Deducitur 2do. Quòd Deus in decernendo non præjudicet libertati, neque efficacia divinæ voluntatis cauſis liberis neceſſitatem imponat; eò quod Deus non decernat aut prædefiniat, niſi pro priori per Scientiam ſimplicis intelligentiæ noverit omnia media, quibus ſuaviter, fortiter, ac efficaciter allici poteſt voluntas humana ad conſentiendum.

Deducitur 3tio. Quàm ſapientiſſimè Deus ſuá providentiá decernere, ſtatuere, regere, ac gubernare valeat totum hunc univerſum mundum; eò quòd per prædictam Scientiam ſimplicis intelligentiæ cognoſcat omnes motus & effectus cujuscunque agentis, in quibuscunque circumſtantiis ac mediis juxta ejus naturam & appetitum.

Deducitur 4to. Quòd hæc ſententia ſit perfectè conformis doctrinæ S. Auguſtini, qui ad conciliandam libertatem cum efficacia divinæ voluntatis ſemper refugit ad omnipotentiam divinam, ſeu ad Scientiam ſimplicis intelligentiæ; hac enim Deus fertur ad omnia poſſibilia, quemadmodùm & omnipotentia ſua ad omnia terminatur, quæ ſunt producibilia ſeu poſſibilia. Undè idem eſt objectum Omnipotentiæ divinæ ac Scientiæ ſimplicis intelligentiæ.

Deducitur tandem 5to. Scientiam mediam tùm ad conciliandam libertatem humanam cum gratia aut efficacia divinæ voluntatis, tùm ad dirigendum Deum in ſuis decretis eſſe inutilem, eò quòd hæc duo officia ſibi approprie Scientia ſimplicis intelligentiæ, præſertim ſi conſideretur ut incluſa in certis rationibus divinæ providentiæ.

Dices 1mo. Scientia ſimplicis intelli- 140
gentiæ ſolummodò verſatur circa res naturales ac neceſſarias, Ergo non attingit res liberas & contingentes.

Reſp. *neg. ant.* Nam duplicis generis ſunt poſſibilia, alia in materia neceſſaria, alia in materia contingenti, qualis fuit converſio Judæ; alioquin hæc non fuiſſet poſſibilis, quod eſt contra fidem. Porrò conditionata non deſinunt eſſe poſſibilia, licèt à conditione contingenti pendeant, quia conditio illa eſt merè poſſibilis. Cæterùm *poſſibile* ideò *neceſſarium* dicitur, quia neceſſariò eſt poſſibile, ſeu quia non poteſt non eſſe objectum Omnipotentiæ divinæ, non verò quòd in ſe neceſſarium ſit, quemadmodùm Entium alia ſunt neceſſaria & alia libera, ita & *poſſibilium.*

Dices 2do. Scientiâ ſimplicis intelligentiæ non intelliguntur futura, ſed tantum poſſibilia. Ergo &c.

Reſp. 1mo. *Diſt. ant.* Non intelliguntur futura futuritione actuali, *conc.* Futuritione poſſibili, *neg. ant.* Cùm enim Scientia ſimplicis intelligentiæ ſe extendat ad omnia poſſibilia, neceſſe eſt, ut etiam ſe extendat ad futura quà poſſibilia.

Reſp. 2do. Paulò aliter *diſt. ant.* Scientiâ ſimplicis intelligentiæ non intelliguntur futura, quorum conditio aliquando adimplenda eſt, *conc.* quia hujusmodi conditionata tranſeunt in abſoluta, & conſequenter per Scientiam viſionis attinguntur. Non cognoſcuntur futura, quorum conditio nunquam adimplenda eſt, *neg. ant.* nam tunc eo modo ſe habet res futura quo conditio, cui ipſa ſubeſt: cùm igitur conditio hæc ſit tantùm poſſibilis, ſequitur, quod

& ipsa res possibiliter duntaxat futura sit. Undè S. Augustinus hujusmodi futura vocat non futura. *lib. de prædest. SS. c.* 12. & 13. Præterea quod futurum est respectu præsentis aut præteriti dicitur futurum, sed nullius præsentis aut præteriti respectu futura dici possunt futura conditionata; igitur non potiùs dicenda sunt futura, quàm præterita aut præsentia.

141 Cæterùm hîc duo animadvertenda sunt. 1mum. est, quòd, si admittenda foret Scientia media, non tamen talis ea esset, inquiunt, qualem statuunt illius patroni, scilicet quæ sit ante omne decretum absolutum ex parte actûs: nam 1mo. impossibile est, ut Deus exploret, quid in hac serie rerum, in istis & istis circumstantiis facturum esse liberum arbitrium, nisi pro priori Deus quemdam ordinem constituerit, juxta quem velit gubernare universum, adeoque hæc Scientia exploratrix necessariò est inclusa in præfatis rationibus divinæ providentiæ, seu in ipso decreto, quo Deus determinavit ordinem in hujus Universi administratione servandum. 2do. Gratia, quæ Scientiæ mediæ subest, debet esse attemperata genio, complexioni, dispositioni, &c. voluntatis: sed hoc rursùs supponit decretum absolutum ex parte actûs, scilicet quòd Deus isti & illi priùs dederit hoc genium, hoc temperamentum, hanc flexibilitatem, &c. ut si suis mentibus congrua audiant, facilè moveantur, prout de Tyriis, &c. ex S. Augustino demonstrare conantur Scientiæ mediæ propugnatores. Ex quo satis apparet Scientiam mediam, si daretur, inniti debere duplici decreto, quod tamen non admittunt illius defensores & patroni.

Alterum, quod Scientiæ mediæ impugnatores animadvertunt, est, quod sententia, ut ajunt, Thomistica potissimùm hac ratione Scientiæ mediæ propugnatoribus displiceat, quòd hi arbitrentur eam inniti decretis ex parte objecti conditionatis, quæ ipsis videntur otiosa, inutilia, ac Deô indigna.

At sciendum, hujusmodi decreta à veris Thomistis non defendi, qualia supponunt, describunt, ac impugnant ipsorum Adversarii. Hoc quidem jam suprà aliquo modo tetigimus, sed juvat modò pleniùs rem explicare.

Itaque decreta conditionata, qualia admittunt Thomistæ, non sunt concipienda ut sejuncta ab absolutis seu à rationibus divinæ providentiæ, sed ut in eis contenta. Nam 1mo. in Deo unica & simplex est libera determinatio circa totam creaturarum collectionem. Et Ratio est; quia illa determinatio est perfectior, quæ unico actu perficitur, quàm quæ pluribus. 2do. Hæc simplex determinatio, prout variè comparatur ad objecta, subit rationem decreti tùm absoluti, tùm conditionati; tùm volitionis, tùm nolitionis. Ratio est; quia quò causa altior, eò plura sub una ratione comprehendit: cùm igitur voluntas Dei sit altissima, sic per unam volendi rationem omnia determinare debet.

Neque dicas, à Theologis plura & varia decretorum genera distingui, conditionata videlicet & absoluta, antecedentia & consequentia, volitionis ac nolitionis, & proindè etiam ut talia à Thomistis admitti debere. Nam contrà est, quòd etiam iidem Theologi varia Scientiæ divinæ adstruere soleant genera, qui tamen unanimiter fatentur in Deo unicam omninò ac simplicissimam esse Scientiam, solummodò in conceptibus nostris, & quoad connotata diversam: Ità similiter in Deo est unica voluntatis determinatio, virtute tamen & secundùm connotata multiplex; nam vi illius aliud Ens determinatur ad esse absolutè, aliud ad esse sub conditione, aliud ad

non

non esse; sicque, prout variè comparatur ad connotata, dicitur volitio aut nolitio, conditionata aut absoluta.

Itaque 3tio. Deus unam certam se se ad extrà communicandi rationem & mente concepit, & ut suæ bonitati convenientem voluntate elegit, quæ distinctè omnem creaturarum collectionem complectitur, omnesque hypotheses possibiles. Et hac ratione & ordine videt Deus quid absolutè, & quid conditionatè futurum sit. Undè 4to. Existimandum non est Deum, ut constitueret ac videret futura conditionata opus habere aliqua speciali determinatione, qua dicat v. g. *Volo, ut, si prædicetur Evangelium Tyriis, ipsi convertantur*; sed sufficit, si ad rationes suæ providentiæ, qua universum hunc mundum regere decrevit, attendat; ibi enim videt eorum conditionatam conversionem. Præstat id quodam declarare exemplo: v. g. Architectus in ipsa domûs idea, quam exequendam voluntate decernit, videt absolutè hunc lapidem huic loco, e. g. angulo destinatum talem figuram sortiturum, scilicet angularem, quam tamen sortitus non fuisset, si in alio loco e. g. in frontispicio collocatus fuisset; neque ad id opus est speciali determinatione, qua dicat: *Volo, ut iste lapis, si in isto loco collocetur, talem habeat figuram*; quis enim non videt, hanc volitionem esse otiosam: sed sufficit, quòd sapienter decreverit tali ratione disponendam domum; sic enim in hoc decreto videbit qualis futura sit unaquæque pars in suo loco, & conditionatè qualis fuisset, si in alio loco collocata fuisset; & hoc totum in sua mente ac idea, qua vult disponere & construere domum, quæ dispositio, licèt absoluta sit, attamen induit rationem conditionatæ respectu objecti alio modo considerati. Sic supremus rerum omnium Artifex circa totum Ens creabile certam dispositionem suæ bonitati convenientem liberè determinavit, quæ, tametsi in se sit absoluta, habet tamen rationem etiam conditionatæ ad objecta alio modo spectata. Undè in ea certò videt non modò quid absolutè futurum sit, sed etiam quid in aliqua hypothesi fieret. Id colligitur ex *Genes. c.* 18. ubi Deus Abrahamo prædicit absolutè futuram Sodomæ subversionem; tùm quærit ille, an etiam delenda foret, si saltem viginti aut decem in ea justi essent? respondet Deus, in hac hypothesi non fore delendam, respiciens scilicet non ad otiosum quoddam conditionatum decretum, quale fingitur & oppugnatur à Scientiæ mediæ patronis, quo sic stabilivisset: *Nolo parcere Sodomitis, volo tamen, ut, si essent in ea urbe decem justi, illa non periret.* Sed respiciens ad illam eminentem suæ providentiæ rationem, secundùm quam & illa urbs absolutè delenda erat, quòd in ea tàm pauci justi haud invenirentur; & tamen delenda non erat, si plures re ipsa ibidem fuissent. Id ipsum in omnibus aliis hypothesibus locum habet, v. g. in hypothetica Tyriorum conversione: nam Deus respiciens ad eminentem illam suæ providentiæ rationem, quæ exigit, ut minùs obduratis minusque obcœcatis, si signa viderint, eisque prædicetur Evangelium, conferatur gratia fidei, hoc ipso videt Tyriorum conversionem conditionatè futuram. Enimverò ut ait S. Augustinus, non erant sic excœcati oculi, nec induratum cor Tyriorum ec Sydoniorum, quoniam credidissent, si, qualia vident isti, signa vidissent. Et sic de aliis loquendum, &c.

EXER-

142 # EXERCITATIO OCTAVA.

De Decretis divinis ab intrinseco efficacibus.

Ad Cap. 6. part. 1. *Tract.* 1. de Deo Uno & Trino. *Tom. II. Theol.*

RES omnes naturales tùm necessarias tùm contingentes esse à Deo prædefinitas ac præordinatas certum est: cùm enim ordo naturæ sit à Deo in tempore constitutus, oportuit, ut pro priori à Deo ab æterno disponeretur, ac præordinaretur. Quæstio itaque hîc tantùm versatur circa actiones liberas voluntatis creatæ seu humanæ, quas etsi omnes fateantur aliquo modo à providentia divina & proinde à divinis decretis comprehendi, de modo tamen, quo ab illis attinguntur, variæ sunt sententiæ & opiniones, quas ordine referimus.

§. I.

143 *Quædam circa Dei decreta seu prædefinitiones referuntur sententiæ.*

PRima, etsi concedat Deum ab æterno præordinasse media & auxilia agentibus liberis ad operandum necessaria, negat tamen actiones hujusmodi prædefinivisse, saltem propriè loquendo, quasi ipse priùs efficaciter voluerit hujusmodi actiones, atque in vi hujus efficacis intentionis seu voluntatis, quæ propriè est operis prædefinitio media selegerit, quibus certò & infallibiliter fierent. Undè hujus sententiæ auctores libera opera præscita quidem concedunt, at non propriè definita. Sic sentiunt Lessius, plerique alii Scientiæ mediæ defensores, qui idcircò negant gratiam efficacem à sufficienti discerni in actu primo, & ex parte Dei conferentis; sed volunt utramque solùm ex consensu voluntatis creatæ inter se differre, quatenùs scilicet Deus, quantùm in se est, æquali omninò voluntate omnibus auxilia sufficientia & ab æterno præparat, & in tempore confert, quæ alii consentiendo efficacia reddunt, alii verò dissentiendo inefficacia.

Secunda sententia, quæ est Patrum Societatis Jesu, concedit, saltem circa actiones bonas ad salutem pertinentes, omninò admittendas esse prædefinitiones etiam in sensu proprio, id est, antecedentes prævisionem actûs liberi: quatenùs scilicet ab æterno Deus specialiter voluit & efficaciter intendit bona illa opera, atque in vi hujus intentionis selegit media & auxilia infallibilia, quibus hæc bona opera in tempore certissimè fierent, atque ob hanc causam gratiam efficacem à sufficienti etiam in actu primo distingui.

Atque hæc est illa sententia, quam Societatis Jesû Generalis Aquaviva adhuc expressiùs explicavit, & ab omnibus PP. Societatis docendam præcepit, decretò in hunc finem editô an. 1615. ubi, *Nostri*, inquit, *eam opinionem sequantur sive in libris, sive in lectionibus, sive in disputationibus, quæ in controversia de auxiliis divinæ gratiæ coram Summis Pontificibus piæ memoriæ Clemente VIII. & Sanctissimo Domino nostro Paulo V. tanquam magis consentanea SS. Augustino & Thomæ gravissimorum Patrum judicio explicata & defensa est. Nostri imposterùm omninò* do-

doceant inter eam gratiam, quæ effectum re ipsa habet, atque efficax dicitur, & eam, quam sufficientem nominant, non tantùm discrimen esse in actu secundo, quia ex usu liberi arbitrii etiam cooperantem gratiam habentis, effectum sortiatur, altera non item, sed in ipso actu primo, quòd, positâ scientiâ conditionalium, ex efficaci Dei proposito atque intentione efficiendi certissimè in nobis boni de industria ipse ea media seligit, atque eo modo & tempore confert, quo videt effectum infallibiliter habitura, aliis usurus, si hæc inefficacia prævidisset. Quare semper moraliter & in ratione beneficii plus aliquid in efficaci, quàm in sufficienti gratia & in actu primo contineri, atque hac ratione efficere Deum, ut re ipsa faciamus, & non tantùm, quia dat gratiam, qua facere possimus. Quod idem dicendum est de perseverantia.

Hæc secunda Sententia propiùs accedit ad Sententiam Thomisticam mox referendam: nihilominùs ab ea in his potissimùm duobus differt; 1mo. quòd velit has prædefinitiones solùm extendi ad actus ad salutem pertinentes; 2do. & præcipuè, quòd supponat Scientiam mediam, qua priùs Deus explorat, quibusnam auxiliis consensurus esset homo, si illi darentur in his vel illis circumstantiis, atque ex proposito efficiendi bona opera, id est, ex decreto ea prædefiniente illa assumat, quæ prævisa sunt effectum habitura.

Tertia denique Sententia, quæ est Thomistarum, tenet Decretum divinum habere efficaciam ex sua natura & ab intrinseco, ac prævenire omnem consensum voluntatis creatæ per Scientiam mediam prævisum. Undè docent Deum per suam voluntatem, antequàm prævideatur voluntatis creatæ consensus, ob infinitam suam efficaciam, quæ deficere non potest, præsuppositâ tamen Scientiâ simplicis intelligentiæ, efficaciter determinare voluntatem creatam ex se indifferentem ad hoc, ut determinate eliciat hunc vel illum actum. Itaque secundùm hanc sententiam dantur in Deo decreta ab intrinseco efficacia prædeterminativa causæ secundæ liberæ ad operandum, & quæ in ejus actibus liberis causa sint tàm substantiæ quàm modi libertatis.

§. II.

Proponuntur ac solvuntur Argumenta pro Decretis ab intrinseco efficacibus. 144

Argumentum 1mum. petitur ab auctoritate S. Scripturæ. 1mo. *Esther.* 13. dicitur: *Domine Rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita, & non est, qui possit resistere tuæ voluntati, si decreveris salvare Israel.* 2do. *Isai.* 14. dicitur: *Dominus exercituum decrevit, & quis poterit infirmari? & manus ejus extenta, & quis avertet eam?* 3tio. *Genes.* 50. Quærit Patriarcha Joseph: *Nùm Dei possumus resistere voluntati*, quasi diceret, *nequaquam.* 4to. *Prov.* 21. *Cor Regis in manu Domini, quocunque voluerit inclinabit illud.* Addi possunt omnia testimonia, quæ superiùs adducta sunt ad impugnandam Scientiam mediam.

Ex his sic subsum. Atqui si Decretum divinum non esset ab intrinseco efficax, sed de se conjungibile cum utroque extremo indifferentiæ, tunc posset aliquis resistere voluntati divinæ, vel etiam ejus decretum infirmare etiam in sensu composito talis decreti, contra id, quod S. Scriptura asserit. Ergo &c.

Resp. adversæ partis Theologi, hæc S. Scripturæ testimonia in sua sententia opti-

optime salvari; nam, inquiunt, Deus non format sua Decreta, nisi priùs exploraverit consensum liberi arbitrii, & quia in sua potestate infinita habet media, quibus efficaciter permovere potest voluntatem; indè fit, quòd Dei voluntati nunquam resisti possit, sicque necesse sit hominem facere, quod Deus ab æterno decrevit, non tamen necessitate antecedente liberam hominis determinationem, sed eam duntaxat consequente.

145 Argumentum 2dum. desumitur ab auctoritate SS. Patrum. 1mo. S. Dionysius, seu Auctor *lib. de div. nom.* ibid. *c.* 5. *Exemplaria*, inquit, *dicimus in Deo existentium rationes substantificas & singulariter praexistentes, quas Theologia prædefinitiones vocat, & divinas & bonas voluntates existentium prædeterminativas, & effectivas, secundùm quas substantialis essentia omnia prædefinivit.* 2do S. Joannes Chrysostomus *Hom.* 1. *in Epist. ad Ephes. Divina*, inquit, *ratione cuncta dispensata sunt & prædefinita, idque per multam erga nos providentiam.* 3tio S. Leo *Serm.* 7. *de passione.* sic loquitur: *In salvandis hominibus per crucem Christi communis erat voluntas Patris & Filii, nec ulla poterat ratione turbari, quod ante æterna Sacula & misericorditer erat dispositum, & incommunicabiliter præfinitum.* 4to. S. Joannes Damascenus laudans suprà adductum S. Dionysii locum, *Orat* 1. *de Imag.* sic subjungit: *Omnia ergo à Deo prædefinita, & sine ulla commutatione futura in ejus consilio, antequàm fierent, erant expressa.* 5to. S. Thomas *in* 1. *ad Anibald. dist.* 47. *q. unic. a.* 4. sic ait: *Voluntate Dei non solùm res in esse producuntur, sed etiam rebus producendis modum, quo producantur, prædeterminavit: undè cum voluntas Dei efficaciter impleatur, oportet, quòd res fiant, & eodem modo, sicut divina voluntas disposuit.* Prætereà cùm idem S. Doctor 1. *p. q.* 23. *a.* 1. *ad* 1. auctoritatem S. Joannis Damasceni sibi objecisset dicentis: *Deus quidem omnia præcognoscit, non autem omnia prædeterminat.* Non concedit totum, ut AA. faciunt, sed exponit S. Damascenum, aitque eum fuisse locutum de prædeterminatione imponente necessitatem simpliciter talem, qualis est in rebus naturalibus. Sic enim ait: *Damascenus nominat prædeterminationem impositionem necessitatis, sicut est in rebus naturalibus, quæ sunt prædeterminata ad unum, quod patet ex eo, quod subdit: Non enim vult malitiam neque compellit virtutem.* Ergo S. Thomas tuetur decretum prædeterminativum voluntatis creatæ non ad unum per modum naturæ, sed per modum libertatis cum omnimoda infallibilitate in Deo necessariò esse concedendum: aliàs enim necesse non fuisset exponere S. Damascenum.

Mittimus S. Augustinum, ut qui *toto lib. de prædest. SS.* id unum urget, scilicet omnia omninò bona opera esse à Deo prædefinita, atque ad id probandum non modò S. Scripturæ, sed & Patrum testimonia refert, præcipuè SS. Cypriani & Ambrosii.

Resp. AA. eodem modo ad has SS. Patrum auctoritates, quo ad S. Scripturæ testimonia responsum ab ipsis est. Prætereà, inquiunt, hæc testimonia evincere dumtaxat videntur, Deum prædestinasse bona opera quasi indirectè & in communi, quatenùs prædestinavit auxilia, certò sciens, quæ opera ex illis essent secutura; nobis determinandum relinquens, & ideò minimè prædefiniens, ipsum opus in particulari.

Argumentum 3tium. petitur ex eo, 146
quòd, si tantùm admitti debeant decreta indifferentia, neutiquàm autem ab intrinseco efficacia, tollatur à Deo ratio causæ primæ respectu determinatio-
nis

nis liberæ nostræ voluntatis. Nam 1mo. Nulla causa supponit effectum suum, sed potiùs illius causa est illumque parit ac prævenit prioritate saltem naturæ. Atqui decretum indifferens supponit, vel expectat determinationem liberi arbitrii creati, ut volunt AA. Ergo &c. 2do. Nulla causa à suo effectu tanquàm à conditione pendet. Atqui decretum illud indifferens pendet à determinatione liberi arbitrii, tanquàm à conditione, quam expectat. Ergo &c. 3tio. Si decretum illud indifferens esset causa determinationis liberæ nostræ voluntatis, jam hòc ipso eam non expectaret, ac proinde respectu illius determinationis non esset indifferens, sed potiùs efficax.

Resp. AA. Ordinem inter causam primam & secundam minimè in eo positum esse, quòd causa prima priùs naturâ debeat influere in effectum, quàm causa secunda; sed ob istas maximè rationes: 1mo. quòd causa prima à nulla alia causa vim agendi accipiat, cæteræ verò ab ipsa vim operandi habeant. 2do. Quia ab eadem causâ vis illa jugi influxu conservatur. 3tio. Quia nullo modo potest causa secunda aliquid sine prima cooperante, cùm prima omnia absolutè possit sine secunda. 4to Quia concursus causæ primæ per se primò est universalis, concursus verò causæ secundæ particularis.

147 Argumentum 4tum. sumitur ex eo, quòd decreta indifferentia valdè limitent ac coërceant supremum Dei Dominium. Nam

Si Deus circa actiones nostras liberas tantùm habeat decreta indifferentia, sequitur creaturam majus habere dominium in suos actus, quàm in ipsos Deus habeat. Falsum conf. Ergo & ant. *Prob. seq. maj.* Quia voluntas creata per Adversarios se ipsam determinat, nec ab alia causa hanc determinationem expectat. Ergo, si Deus hujusmodi determinationem expectare debeat, minus habebit in hanc ipsam determinationem dominium, quàm ipsa creata voluntas habeat. Minor verò constat tùm ex S. Augustino *lib. de corrept. & grat. c.* 14. ubi sic ait: *Deus magis habet in sua potestate voluntates hominum, quàm ipsi suas.* Tùm etiam, quia actus nostri liberi sunt quid creatum; omne autem Ens creatum summam dicit à Deo dependentiam, qua major cogitari non potest; ergo & in illud Deus summum habet dominium; ac proindè summè inconveniens est in Deo minorem ponere causalitatem respectu nostrorum actuum liberorum, quàm in voluntate creata.

Resp. AA. 1mo. Deum non habere idem dominium in voluntates humanas sicuti in cætera entia; aliàs, quemadmodùm in res naturales despoticum habet dominium, sic & tale haberet in voluntates humanas, quod tamen non admittitur; siquidem in eas civile duntaxat & politicum habere perhibetur.

Resp. 2do. Non derogare dignitati Majestatis divinæ, nec supremo ejus in voluntates humanas dominio, si suo indifferente concursu illarum determinationem expectet; quia Deus hac lege se ipsum astrinxit, ut ad exigentiam creaturæ, quatenùs illæsa maneat ejus libertas, cum illa, quoties ipsa agere voluerit, concurrat.

Inst. Qui se alienæ voluntati determinandum permittit, ille cæcô procedit modô. Atqui Deus cæcô modô non procedit. Ergo non permittit se per decretum humanæ voluntati determinandum.

Resp. Quòd Deus taliter permittens videat priùs per Scientiam mediam, quid voluntas creata sit factura,

si illi offeratur concursus pro lubitu usurpandus; atque adeò non procedit cœcò modô.

Urg. Deus debet certò posse consequi effectus salva libertate creata. Atqui vi decreti disjunctivi seu indifferentis id non potest. Ergo vi decreti intrinsecè efficacis.

Resp. *Dist. maj.* Deus debet certò posse consequi effectus per aliquid antecedens & intrinsecè efficax, idque salva libertate, *neg. maj.* Per liberam operationem creaturæ certò prævisam per Scientiam mediam, *conc. maj.* &c.

Dices. Volitio, qua Deus applicat omnipotentiam creaturis liberis, debet esse efficax & prædefinitiva respectu actûs boni. Atqui decretum indifferens non est efficax. Ergo decretum indifferens non applicat sufficientem omnipotentiam.

Resp. *Dist. maj.* Debet esse efficax respectu actûs boni, ad quem offertur, *neg.* respectu applicationis, *conc. maj.* &c. Itaque Deus nullius opera efficaciter & intrinsecè prædefinit, sed æqualiter se habet prædefiniendo solùm auxilia necessaria, quibus omnes possent benè agere, si vellent, eorum usum penitùs permittendo libero arbitrio, tametsi præsciverit, qui iis benè, qui malè usuri essent. Et hoc, inquiunt, Scriptura innuit *Isa.* 5. Deum inducens vineam suam, id est, cor humanum sic alloquentem: *Quid est, quod debui facere vineæ meæ, & non feci?* hæc enim verba palàm innuunt Deum ex parte sua omnibus quid quisque boni vel mali fructûs ex proprio arbitrio proferat, relinquere; quod sanè minùs verum esset, si darentur ejusmodi decreta intrinsecè efficacia; posset enim vinea sterilis respondere: non prædefinivisti me fructum bonum allaturam, nec culturam efficacem, uti poteras, ad hoc adhibere voluisti.

Urg. A principio indifferenti quà tali non potest egredi actus determinatus, nisi aliundè determinetur. Atqui liberum arbitrium humanum, priusquàm eliciat actum determinatum, est omninò indifferens. Ergo ab alio exteriori determinari debet, quod aliud esse nequit nisi decretum intrinsecè efficax.

Resp. *Dist. maj.* A principio indifferenti quà indifferenti ex imperfectione virtutis non potest oriri determinatus actus, *conc.* quà indifferenti ex perfectione dominii, quo determinari potest subsequenter, *neg. maj.* Quia si est indifferens cum perfecto dominio, ad utrumlibet disjunctivè se determinare poterit; alioquin perfectum non haberet dominium, quod tamen dici non potest.

§. III.

Proponuntur & solvuntur Argumenta, quibus impugnari solent Decreta intrinsecè efficacia. 148

ARgumentum 1mum. petitur ab auctoritate SS. Patrum, qui negant etiam actiones bonas esse à Deo præfinitas.

1mo. S. Justinus Martyr *Apol.* 2. *ad Anton.* negat, quòd determinatum sit quempiam esse bonum aut malum. 2do. S. Gregorius Nyssenus *lib. de homine* dicit, providentiam esse eorum, quæ non sunt in nobis, non autem illorum, quæ sunt in nobis. 3tio. S. Damascenus *lib.* 2. *de fide*, *c.* 30. absolutè negat, quòd Deus omnia prædefiniat.

Resp. AA. cum S. Thoma, SS. Patres duplicem agnovisse prædeterminationem, seu prædefinitionem, unam imponentem necessitatem, cui subsunt causæ necessariæ duntaxat; alteram non imponentem necessitatem, à qua nimirùm habent actus nostri, ut non tantùm fiant, sed etiam ut liberè fiant. Volunt igitur SS. Patres actus liberos non sub-

subjacere primæ prædefinitioni, sed tamen secundam agnoscunt, ut constat ex Argumento 2do. præced. §. adducto.

Inst. S. Augustinus multis in locis docet gratiam de se esse indifferentem. Ergo etiam tale erit decretum. *Prob. ant.* S. Augustinus *lib. de spiritu & littera c.* 34. ait: *Visorum suasionibus agit Deus, ut velimus & credamus.* Atqui hujusmodi suasiones habent rationem gratiæ indifferentis. Ergo, &c. Plura hanc in rem loca ac testimonia ejusdem S. Doctoris inf. *Exercit.* 12. *n.*216 *& seq.*

Resp. Quòd Deus omnia disponat suaviter & secundùm exigentiam creaturæ. Quandò ergo Deus vult, ut actus ponatur à voluntate libera, priùs eam excitat & inclinat per suasiones, vocationes, illuminationes, &c. ut sic superveniens motio divina physica moveat ac determinet voluntatem ad id, ad quod per hujusmodi morales motiones jam inclinata erat. Undè hic textus sicut & similes, ex S. Augustino produci soliti, ab eo proferuntur sine præjudicio gratiæ intrinsecè efficacis, ac consequenter etiam absque præjudicio decreti prædefinientis.

Urg. & ob. specialiter auctoritatem S. Thomæ, qui determinationem voluntatis ad unum extremum suæ indifferentiæ nulli alteri adscribit nisi ipsi voluntati, alioquin, ait, non fore liberam, si ab alio determinaretur. Nam 1mo. *in* 2. *dist.* 25. *q. unic. a.* 1. ait: *Libertatem non reperiri in illis, quorum actiones non determinantur ab ipsis, sed à quibusdam aliis causis prioribus.* Hoc ipsum idem S. Doctor ibidem adhuc clariùs indicat in Resp. ad 1. ubi in Deo liberum arbitrium salvari docet non per hoc, quòd ipse post inquisitionem consilii eligat, quia hoc pertinet ad ignorantem; sed per hoc, *quòd determinatio sui actûs non est sibi ab alio, sed à se ipso.* Rursus eodem Art. sic sibi objicit: *Ad libertatem liberi arbitrii pertinet, ut aliquis sit dominus sui actûs. Sed cujuscunque agentis actus ab aliquo priori agente causatur, ipse agens non est dominus sui actûs: cùm igitur cujuscunque creaturæ actus in priorem causam reducatur, quæ est ipse Deus, qui omnia opera nostra in nobis operatur, ut Isa.* 26. *dicitur, videtur, quòd liberum arbitrium in nulla creatura inveniatur.* Tùm verò ita respondet: *Ad tertium dicendum, quòd Deus operatur in omnibus, ita tamen, quòd in unoquoque secundùm ejus conditionem: undè in rebus naturalibus operatur sicut ministrans virtutem agendi, & sicut determinans naturam ad talem actionem. In libero autem arbitrio hoc modò agit, ut virtutem agendi sibi ministret & ipso operante liberum arbitrium agat: sed tamen determinatio actionis & finis in potestate liberi arbitrii constituitur. Undè remanet sibi dominium sui actûs, licèt nòn ita, sicut primo agenti.* Præthereà *in* 2. *dist.* 39. *q.* 1. *a.* 1. ait: *Sciendum, quòd aliquis actus est ab aliquo dupliciter: uno modo tàm secundùm substantiam actûs, quàm secundùm determinationem agentis ad actum; & hoc propriè in potestate agentis esse dicitur, ut est in voluntate; ipsa enim potentia voluntatis, quantùm in se, est indifferens ad plura: sed quòd determinatè exeat in hunc actum vel in illum, non est ab alio determinante, sed ab ipsa voluntate. Sed in naturalibus actus progreditur ab agente; sed tamen determinatio ad hunc actum non est ab agente, sed ab eo, qui agenti talem naturam dedit, per quam ad hunc actum determinatum est. Et ideò propriissimè actus voluntatis à voluntate esse dicitur.* Ad hæc 1. *Cont. Gent. c.* 69 *n.* 5. ait: *Dominium, quod habet voluntas supra suos actus, per quod in ejus potestate est velle & non velle, excludit determinationem virtutis ad unum.* Similiter *in* 2. *dist.* 39. *q.* 1. *a.* 1. docens rationem culpæ non convenire actibus intellectûs, sed volun-

tatis tantùm, *Ratio culpa*, inquit, *in actu deformi est ex eo, quòd procedit ab eo, qui habet dominium sui actûs: hoc autem est in homine secundùm illam potentiam, quæ ad plura se habet, neque ad aliquod eorum determinatur, nisi ex se ipsa, quod tantùm voluntati competit.* Item *q. 3. de potent. a. 7. ad* 13. ait: *Voluntas quidem dicitur habere dominium actûs, non per exclusionem causæ primæ, sed quia causa prima non ita agit in voluntate, ut eam de necessitate ad unum determinet, sicut determinat naturam; & ideo determinatio actûs relinquitur in potestate rationis & voluntatis.* Sed & *lib.* 1. *per. lect.* 14. docet, ad contingentiam non sufficere, quòd aliquid habeat simpliciter potentiam ad esse & non esse, sive ad utrumque oppositorum; quia hanc potentiam habet etiam materia sublunaris ad diversas formas substantiales, & habent corpora cœlestia ad diversa ubi *Et tamen*, inquit, *nihil in eis evenit contingenter, sed ex necessitate: undè dicendum est, quòd possibilitas materiæ ad utrumque, si communiter loquamur, non est sufficiens ratio contingentiæ, nisi etiam addatur ex parte potentiæ activæ, quòd non sit ita omninò determinata ad unum; alioqui, si ita sit determinata ad unum, quod impediri non potest, consequens est, quòd ex necessitate reducat in actum potentiam passivam eodem modo.* Simili modò 1. 2. *q.* 10. *a.* 4. *in* ⊙ Sic loquitur: *Quia igitur voluntas est activum principium non determinatum ad unum, sic Deus ipsam movet, quòd non ex necessitate ad unum determinat.* Denique *in* 4. *dist* 49. *q.* 1. *a.* 3. *quæstiunc.* 2. cùm docuisset voluntatem non posse appetere miseriam, objicit sibi, quòd voluntas habeat se ad opposita, & consequenter non tantùm appetere possit beatitudinem, sed etiam miseriam, & respondet in hæc verba: *Dicendum, quòd potentia rationalis se habet ad opposita in bis, quæ ei subsunt, & hæc sunt illa, quæ per ipsam determinantur; non autem potest in opposita illorum, quæ sunt ei ab alio determinata; & ideò voluntas non potest in oppositum ejus, ad quod ex divina impressione determinatur, scilicet in oppositum ultimi finis: potest autem in oppositum eorum, quæ ipsa sibi determinat, sicut sunt ea, quæ ordinantur ad finem, quorum electio ad ipsam pertinet.* Huc etiam posset trahi illud, quod Sanctus hic Doctor *q.* 24. *de verit. a* 1. tradit, scilicet quòd, quamvis gravia & levia moveantur se ipsis per aliquod principium ipsis intrinsecum, tamen in ipsis non inveniatur liberum arbitrium, *quia non sunt sibi ipsis causa agendi vel movendi, sed adstringuntur ad agendum vel movendum per id, quod ab altero receperunt.*

Ex his igitur sufficienter constat de mente S. Thomæ, scilicet quòd voluntas sibi soli adscribat suam determinationem & nulli alteri; eamque non fore liberam, si ab alio determinaretur.

Resp. Thomistæ manifestum esse Angelicum Doctorem stare pro decretis intrinsecè efficacibus ac prædeterminativis; passim quippe docet, quòd voluntas creata ad operandum debeat antecedenter ab alio determinari. Nam imprimis 1. *p. q.* 19. *a.* 3. *ad* 5. clarissimè dicit: *causa contingens debet determinari ab aliquo exteriori ad effectum.* Item 2. *physic. lect.* 8. *Ex eo*, inquit, *quod est ad utrumlibet, nihil sequitur, nisi per aliquid, per quod ad unum determinetur. Quodlib.* 12. *a.* 4. ait; *quod omnia sunt à Dei providentia prædeterminata.* Præterea *q.* 3. *de malo a.* 2. *ad* 4. *Cùm*, inquit, *liberum arbitrium movet se ipsum, non excluditur, quin ab alio moveatur, à quo habet hoc ipsum, quòd se ipsum movet.* Huc referri possunt textus ejusdem S. Doctoris suprà allati.

Nec

Nec dicas, id intelligi debere de concursu simultaneo, non verò de præmotione decreti divini. Nam contrà est, quòd in moventibus & agentibus subordinatis secundum non agat nisi motum & applicatum à primo. Sed omnes causæ secundæ sunt moventia & agentia subordinata causæ primæ tanquàm primo motori. Ergo non agunt nisi motæ & applicatæ à causa prima. Subs. Sed quod non agit nec se movet nisi ut motum à causa prima illud præmovetur. Ergo &c.

Jam ad textus allatos Resp. & quidem ad 1mum. S. Thomam ibi solùm excludere determinationem provenientem ab alia causa, quæ sit secundi ordinis; hæc enim procul dubio lædit libertatem, cùm ejus determinatio sit absque indifferentia judicii: non verò excludit determinationem primæ causæ, quæ ob suam efficaciam non solùm substantiam, verùm etiam modum rei attingit. Nam, ut bene ait Amicus hìc disp. 14. sect. 5. n. 156. *Sicut ex eo, quòd* (Deus) *vult actum efficaciter quoad substantiam, non potest quoad substantiam non fieri, ita ex eo, quòd vult illum quoad modum libertatis, non potest non liberè fieri, cùm non minùs divina voluntas sit efficax quoad modum, quàm quoad substantiam actûs.*

Ad 2dum. Resp. S. Doctorem ibi loqui de libero arbitrio perfectissimo ac independente, cujus utique proprium est à nullo alio determinari. At tale non est liberum arbitrium creatum; hoc ipso enim, quòd creatum sit ac dependens, ab alio moveri debet, *à quo habet hoc ipsum, quòd se ipsum movet*, ut ait idem S. Doctor. Unde illa causalis non est communis divino ac humano arbitrio, sed soli divino propria.

Ad 3tium. S. Thomas ibi non negat, sed potiùs supponit, quòd etiam liberum arbitrium creatum ab ipso determinetur ad agendum determinatione ejus naturæ conformi, nempè cum indifferentia judicii & potentia proximè expedita ad oppositum; prout satis indicant postrema hæc verba: *Unde remanet sibi dominium sui actûs, licèt non ita sicut primo agenti.* Quod verum non esset, si determinatio actionis in potestate liberi arbitrii ita constitueretur, ut non penderet à prævia determinatione alicujus causæ superioris; quia sic esset dominium omninò independens, adeoque divino arbitrio seu primo agenti proprium.

Ad 4tum. S. Thomas per illa verba: *Non est ab alio determinante*, non excludit determinationem à prima causa provenientem, sed duntaxat eam, quæ procedit à causa secundi ordinis.

Ad 5tum. *Dist.* Dominium, quod habet voluntas supra suos actus &c. excludit determinationem virtutis ad unum per modum naturæ, id est, sine indifferentia objectiva judicii, & potentiâ proximè expeditâ ad oppositum, *conc.* Excludit determinationem virtutis ad unum cum indifferentia judicii, & potentiâ proximè expeditâ ad oppositum, qualis determinatio virtutis ad unum est respectu nostræ voluntatis decreti divini præmotio. *neg.*

Ad 6tum. Resp. sicut ad 4tum. Si sermo sit de actu voluntatis, quatenùs est actus positivus & entitas; nam ad actum quà privatum debita rectitudine voluntas determinatur ex se ipsa, ita quidem, ut etiam excludat omnem determinationem à principio seu agente increato ortam; nam ad defectum creatura sibi sufficit.

Ad 7timum. dicunt, juxta S. Thomam verum esse, quòd Deus non minùs voluntatem nostram, quàm naturam determinet ad unum, diversô tamen modô: nam naturam determinat de-

determinatione naturali, voluntatem verò determinatione libera, & ideò benè dicit S. Doctor *quòd determinatio actûs relinquatur in potestate rationis & voluntatis.*

Ad 8vum. Libenter fatentur ad libertatem non sufficere, quòd aliquid habeat simpliciter potentiam ad esse & non esse, sive ad utrumque oppositorum; sed requiri insuper vim dominativam & electivam in eo, quod dicitur liberum, fundatam in indifferentia judicii. Cæterùm S. Thomas cit. textu intelligendus est de determinatione duntaxat ex parte actûs primi, seu de determinatione per modum naturæ.

Ad 9num. eadem currit solutio, quæ primùm data est ad octavum &c.

Ad 10mum. Resp. per divinam impressionem intelligi debere naturalem illum instinctum, quem Deus cuilibet naturæ rationali indit, & vi cujus voluntas determinatur objectivè ad amorem ultimi finis seu beatitudinis in communi. Undè meritò dicit S. Thomas, voluntatem non posse in oppositum ejus, ad quod ex divina impressione determinatur, scilicet in oppositum ultimi finis; quia nimirùm hujusmodi determinatio tollit indifferentiam judicii. Neque quidquam evincit, quod ex *c* 24. *de verit.* subjungitur; quia gravia & levia, ut vult S. Thomas, per id, quod ab altero receperunt, aguntur naturaliter; non sic autem movetur voluntas per præmotionem divini decreti, ut sæpe dictum est. Præthereà quando dicit S. Doctor: *Quia non sunt sibi ipsis causa agendi vel movendi*, idem intelligit ac non posse sibi ipsis præconstituere finem, & eligere media ad finem, ob defectum videlicet indifferentiæ judicii, quo tamen non afficitur prædeterminatus. Ergo &c.

149 Argumentum. 2dum. petitur ex eo, quòd hujusmodi decreta prædefinientia & ex se efficacia fatum inducere, libertatem arbitrii præveniendo invertere, spem tollere, teporis occasionem præbere, &c. videantur.

Resp. AA. hæc omnia Pelagianos & Semipelagianos S. Augustino objecisse. Ad quæ respondet 1mo. Eadem objici posse contra Dei præscientiam, quam nemo negat: hæc enim, cùm æterna sit & immutabilis, perindè fatum dici posset ac desperationem, &c. inducere. Quidquid enim moliatur homo, necesse est, ut tandem illud, & non aliud, eveniat, quod Deus eventurum ex tota æternitate præscivit; quia divina præscientia falli non potest.

Respondet 2do. idem S. Augustinus ad singula. Et quidem ad fatum, negat illud induci, nisi fortè eo nomine omnipotentissimam voluntatem placeat nuncupare. Ad alia verò respondet sparsim in libris *de prædest. SS. & de dono persever.* Dei prædestinationem libertati creatæ non præjudicare, quia Dei gratia illius in nobis potiùs causa est; nec itidem spem tollere, quia hæc major est, cùm in Deo collocatur; nec prætextum teporis afferre, aut exhortationis necessitatem tollere, quia id ipsum prædestinationis ordo exigit; idque Deus nobis præcepit, ut omnes ad veritatem hortemur, & studia nostra adhibeamus.

Argumentum 3tium. desumitur specialiter ex variis rationibus, quibus evinci videtur, decreta hujusmodi prædefinitiva lædere libertatem humanam. Undè 150

Arguitur 1mo. Hujusmodi decreta non relinquunt potentiam ad oppositum. Ergo tollunt libertatem. *Prob. ant.* Possibile non est quod nunquam contingit, & si contingeret, sequeretur aliquid impossibile. Atqui, positô decretô efficaci, nunquam contingit oppositum, & si contingeret, sequeretur aliquid impossibile, frustrari scilicet decretum efficax. Ergo, positô decretô Dei efficaci, non relinquitur potentia ad oppositum.

Resp.

Resp. *Neg. ant.* Ad ejus prob. *neg. maj.* aut etiam *dist.* Possibile non est quod nunquam contingit, & si contingeret, sequeretur aliquid impossibile; si contingeret etiam simpliciter & secundùm se consideratum, *neg.* Si contingeret simul cum aliqua suppositione, *conc. maj.* Itaque ut aliquid sit possibile, non requiritur ut possit contingere in quavis suppositione, sed satis est, ut spectatâ naturâ suarum causarum, possit absolutè contingere, tametsi fieri non possit, ut simul contingat cum suppositione aliqua, suppositô nempè, quòd causæ, à quibus pendet, aliud agant, aut acturæ sint. Sic respondet S. Thomas 1. 2. *q.* 10. *a.* 4. Ubi, cùm sibi idem argumentum objecisset, *Ad tertium*, inquit, *dicendum, quòd si Deus voluntatem movet ad aliquid, impossibile est huic poni, quòd voluntas ad illud non moveatur; non tamen impossibile simpliciter; undè non sequitur, quòd voluntas à Deo ex necessitate moveatur.*

Urg. Necessitas antecedens actum est absoluta, & excludit libertatem actûs. Atqui decretum ex se efficax importat necessitatem antecedentem. Ergo &c. *Min.* videtur evidens: decretum enim est quid antecedens actum; cùm sit æternum, & causa actûs, affert etiam secum necessitatem, ut actus sit; quia impossibile est, ut decretum sit, & re ipsa non sequatur actus. *Maj.* verò est S. Anselmi variis in locis, *ut lib.* 2. *Cur Deus homo. cap.* 18. ubi, *Est*, inquit, *necessitas præcedens, quæ causa est, ut res sit, & necessitas sequens, quam res facit: præcedens & efficiens necessitas est, cùm dicitur cælum volvi, quia necesse est, ut volvatur; sequens verò est, quæ nihil efficit, & sic est, cùm dico te ex necessitate loqui, cùm loqueris.* Dicit verò S. Anselmus, primam necessitatem efficere, ut res necessariò sit, adeoque perimere libertatem: at non item secundam. Ex hoc *subs.* Atqui Thomistæ admittunt præcedentem necessitatem. Ergo &c.

Resp. *Neg. min.* scilicet decretum importare necessitatem antecedentem. Ad ejus *prob.* concedunt quidem decretum se habere ad actum nostrum ut priùs causalitate, quia est causa prima nostri actûs; sed negant illud afferre necessitatem absolutam, ut actus sequatur, verùm afferre solùm necessitatem ortam ex positione actûs ajunt, qua scilicet dicitur quòd necessariò erit, quia erit, atque hoc ipso impossibile esse, quòd non sit, quamvis simpliciter non sit impossibile: Nam licèt certissimum sit, quòd actus erit, si Deus eum decrevit, non tamen necessariò erit, quia Deus decrevit; quin potiùs è contrà ideò contingenter & liberè erit, quia Deus decrevit, ut liberè & contingenter sit. Undè necessitas orta ex decreto efficaci propriè non est antecedens, sed potiùs consequens, utpotè proveniens à suppositione actûs.

Atque etiam hæc est ipsa S. Anselmi doctrina. Definit enim necessitatem antecedentem, *quæ causa est, ut res fiat*, id est, quæ se tenet ex parte causæ, ipsamque necessitat ad ponendum effectum ita, ut non possit non ponere: necessitatem verò sequentem definit, *quam res facit*, id est, quæ petitur ex ipsa positione seu suppositione effectûs.

Inst. 1mo. Divina voluntas, quantumvis dicatur infinitè efficax, non potest aliquid impossibile, sed, positô decretô per se efficaci, impossibile est, ut liberè agamus. Ergo Deus non potest determinare decretô ex se efficaci, ut sic agamus, quòd etiam liberè agamus, id est, attingere modum libertatis. *Prob. min.* Suppositio per se efficax præcedens nostram libertatem, & quam mutare non est in nostra potestate, quæque

quæque propriâ efficaciâ infallibiliter actum infert, prorsùs perimit libertatem actûs. Atqui decretum est hujusmodi. Ergo eo posito impossibile est, ut liberè agamus, sicque implicat, ut positô decretô per se efficaci liberè agamus.

Resp. 1mo. *Neg. min.* Ad ejus *prob. dist. maj.* Suppositio per se efficax &c. perimit libertatem, si sit suppositio causæ particularis, *conc.* Si sit causæ omninò universalis, à qua est libertas, quæque complectitur sub se omnia requisita ex parte causarum secundarum, ut actus libere fiat, *neg. maj.* Cùm enim providentia & libertas nostra comprehendantur sub illa universali causa divina, ex eo, quòd actus noster supponatur præordinatus ab ipsa etiam prævìè & efficaciter, eaque providentia nobis non subjiciatur, sed nos sibi subjiciat; indè non destruitur libertas actûs, sed solùm divinæ subjecta providentiæ ostenditur. Sic respondet S. Thomas 1. *p. q.* 22. *a.* 2. *ad* 4.

Resp. 2do. *Dist. min. ult. arg.* Atqui decretum divinum præcedit nostram libertatem, nec est in ejus potestate originativè & quantùm ad internam dispositionem, *conc.* terminativè, & quantùm ad externam executionem, *neg. min.* Licèt enim decretum, ut est actus vitalis Dei, non sit in nostra potestate, ejus tamen terminus, nempè actus liber, ipsaque executio decreti est in nostra potestate.

Inst. 2do. Effectus proveniens à causa determinata & determinante ad unum est omninò necessarius necessitate antecedente. Atqui prædefinitio ex se efficax est causa determinata & determinans ad actum prædefinitum, ita, ut implicet non esse causam illius. Ergo &c.

Resp. 1mo. *Dist. maj.* Determinante ad unum per modum naturæ, *conc.* per modum liberi, *neg. maj.* vel aliter

Resp. 2do. *Dist. maj.* Effectus &c. per modum principii intrinseci in actu primo, aut per modum principii etiam extrinseci cogentis illam, aut illi resistentis, *conc. maj.* Aliter illam afficientis, *neg. maj.* At divina prædefinitio neutro modo determinat voluntatem.

Inst. 3tio. Suppositio prædefinitionis tollit potentiam ad oppositum. Ergo &c. *Prob. ant.* Ex suppositione prædefinitionis voluntas creata non habet principia necessaria ad omittendum actum prædefinitum. Ergo &c. *Prob. ant.* Ut omissio actûs prædefiniti possit etiam in sensu diviso aut potentia antecedente procedere à voluntate, essentialiter requiritur voluntas, saltem conditionata, Dei, qua velit cum voluntate creata concurrere. Atqui ex suppositione prædefinitionis repugnat ejusmodi conditionata Dei voluntas; quia prædefinitio, qua Deus vult efficaciter & absolutè actum amoris Dei, v. g. est formaliter vel virtualiter absolutum & efficax odium ejus oppositi. Ergo non est compossibilis cum voluntate conditionata de ejus opposito.

Resp. *Neg. ant.* Ad ejus prob. *neg. ant.* & ad hujus prob. *neg. min.* quia licèt prædefinitio amoris sit odium efficax formale vel virtuale de ejus carentia, nihilominùs benè potest Deus habere voluntatem conditionatam & inefficacem de ejus carentia; voluntas enim efficax & inefficax circa idem objectum sunt compossibiles. Deus namque habet voluntatem efficacem reprobandi Judam propter ejus demerita; nihilominùs habet etiam voluntatem inefficacem antecedentem de ejus salute.

Inst. 4to. Ex suppositione prædefinitionis amoris v. g. voluntas creata non habet potentiam etiam antecedentem contraveniendi tali decreto, neque illud irritandi. Ergo non habet potentiam ante-

antecedenteč ad omissionem amoris. *Prob. conf.* Si voluntas actu omisisset amorem, actu irritasset decretum efficax. Ergo si potuisset illum omittere, potuisset itidem decretum irritum facere.

Resp. 1mo. *Neg. ant.* Nam voluntas etiam ita prædeterminata potest dissentire, potest abjicere, potest frustrare, potest contravenire tali decreto; sed nunquam volet; quia in hoc consistit efficacia divini decreti & præmotionis, quam immittit, non quòd tollat potentiam sibi resistendi, sed quia confert invictam voluntatem resistendi. Neque dicas: Decreti divini præmotio est inimpedibilis Ergo & ipsum decretum; consequenter ei resisti non potest. Nam Resp. *Dist. ant.* Est inimpedibilis sic, ut in nostra potestate non sit eam habere vel non habere, quemadmodùm in nostra potestate non est habere vel non habere concursum indifferentem, *transf.* Sic, ut ei resistere non possimus, *neg. ant.* vel *subdist.* potentia consequente & ex supposito, *conc.* simpliciter ac potentia antecedente, *neg. ant. &c.*

Resp. 2do. Voluntatem, tametsi non possit resistere divino decreto, manere tamen liberam, & cum potentia ad dissensum; quia tantum abest, quòd posse dissentire sit posse resistere Dei decreto, quin potiùs conforme est naturæ decreti, ut faciat non solùm voluntatem consentire infallibiliter, sed etiam consentire cum potentia ad dissensum, & cum indifferentia activa; eò quòd decretum sit causa non solùm actûs, sed etiam modi libertatis illius.

Arguitur 2do. Præmotio prædeterminans tollit indifferentiam voluntatis. Ergo & ejus libertatem. *Conf.* patet, quia indifferentia ad oppositum est de essentia libertatis. *Ant.* etiam constat, quia præmotio prædeterminans, determinat voluntatem ad unum.

Resp. *Dist. ant.* Præmotio prædeterminans tollit indifferentiam voluntatis privativam, *conc.* positivam, *neg. ant.* & *conf.* vel *dist. conf.* Ergo tollit libertatem privativam & potentialem, *conc.* actualem, *neg. conf.* Ad *prob. ant. Dist.* pariter: Præmotio prædeterminans determinat voluntatem ad unum, ita tamen, ut relinquat potentiam ad opposita, *conc.* ut illam non relinquat, *neg.*

Dices. Quod determinat voluntatem ad unum tollit potentiam ad oppositum. Ergo eam non relinquit.

Resp. *Dist. ant.* Quod determinat voluntatem ad unum per modum naturæ, seu determinatione ex causis naturalibus orta, *conc.* per modum liberi, *neg. ant.* & *conf.*

Inst. Prædeterminatio non est libera. Ergo non determinat per modum liberi. *Prob. ant.* Quod non est voluntarium, illud non est liberum. Atqui prædeterminatio non est voluntaria. Ergo non est libera. *Maj.* est certa, quia liberum est species voluntarii. *Prob. min.* Quod antecedit omne voluntarium, non est voluntarium. Atqui prædeterminatio antecedit omne voluntarium; quia antecedit omnĕ actum voluntatis. Ergo &c.

Resp. *Dist. ant.* Prædeterminatio non est libera *ut quod* seu formaliter, *conc.* non est libera *ut quo*, seu causaliter, *neg. ant.* Et sic proportionaliter Resp. ad cætera argumenta. Accedit, quòd, licèt prædeterminatio antecedat omnem actum voluntatis creatæ, non tamen antecedat omnem actum voluntatis divinæ, quæ est eminenter voluntas creata continens tanquam primum liberum per essentiam omnem perfectionem & modum libertatis creatæ.

Urg. Causa libera debet se ipsam determinare. Ergo non potest ab alio determinari.

Resp. *Dist. ant.* Debet se ipsum determinare determinatione determinata à primo terminante, *conc.* determinatione non determinata à primo determinante, *neg. ant.* & *cons.* Quia non posse determinari ab alio est proprium soliûs primi determinantis & primi liberi.

Arguitur 3tio. Causa libera est ea, quæ, positis omnibus ad agendum requisitis, potest non agere. Atqui dato decreto prædeterminante, & positis omnibus ad agendum requisitis, v. g. ad amandum, voluntas non potest agere oppositum, putà elicere actum odii. Ergo, posito decreto prædeterminante, voluntas non est libera. *Prob. min.* Quod caret requisitô ad eliciendum actum odii, non potest illum elicere. Atqui voluntas, posito decreto prædeterminante ad amandum cum reliquis requisitis ad illud, caret requisito aliquo ad eliciendum actum odii, prædeterminatione ad odium scilicet, quæ non potest stare cum decreto prædeterminante ad amorem. Ergo &c.

Resp. *Conc. maj. neg. min.* Ad ejus prob. *dist. maj.* Quod caret requisitô ex parte actûs primi ad eliciendum odium, non potest illud elicere, *conc.* quod caret requisitô solùm ex parte actûs secundi, *neg. maj. &c.* Prædeterminatio non se tenet ex parte actûs primi & principii habitualis, sed ex parte actûs secundi & principii actualis; quia non dat posse, sed actu agere.

Inst. 1mo. Quod antecedit actum secundum illud se tenet ex parte actûs primi. Atqui prædeterminatio antecedit actum secundum. Ergo se tenet ex parte actûs primi. *Maj.* est certa; quia inter actum primum & actum secundum non datur medium. *Min.* constat etiam, quia prædeterminatio est prior actuali operatione voluntatis.

Resp. *Distinct. maj.* Quod antecedit actum secundum tàm causalem quàm formalem, illud se tenet ex parte actûs primi, *conc.* quod antecedit actum secundum formalem, non verò causalem, illud &c. *neg. maj.* est enim ipsemet actus secundus. Ad prob. *maj.* Resp. cum *dist.* Inter actum primum & actum secundum tàm formalem quàm causalem non datur medium, *conc.* inter actum primum & actum secundum formalem non datur medium, *neg.* datur enim actus secundus causalis.

Inst. 2do. Complementum & applicatio principii operativi pertinet ad actum primum. Atqui prædeterminatio est complementum & applicatio principii operativi. Ergo &c.

Resp. *Dist. maj.* Complementum principii operativi in esse principii habitualis pertinet ad actum primum, *conc.* Complementum principii operativi in esse principii actualis, *neg. maj.* & sic *dist. min. neg. cons.*

Inst. 3tio. Illud pertinet ad actum primũ, sine quo potentia non potest operari. Atqui sine decreto prædeterminante potentia non potest operari. Ergo &c.

Resp. *Neg. min.* quam nemo hactenùs Adversariorum probare unquam valuit.

Arguitur 4to. Voluntas prædeterminata non est domina sui actûs. Ergo non est libera. *Cons.* patet. Prob. *Ant.* Voluntas non est domina prædeterminationis. Ergo nec domina sui actûs. *Ant.* constat; quia non est in potestate voluntatis habere vel non habere prædeterminationem. Prob. *cons.* Potentia, quæ non est domina antecedentis, non est domina consequentis, quod infallibiliter sequitur ex antecedenti; sicut qui non est dominus interpositionis terræ inter Solem & Lunam, etiam non est dominus Eclypsis, quæ ex dicta interpositione infallibiliter sequitur. Ergo cùm voluntas non sit domina prædeterminationis antecedentis, nec erit domina

sui

sui actûs ex ipsa prædeterminatione infallibiliter consequentis.

Respond. *Neg. ant.* Ad ejus prob. Resp. 1mo. *Conc. ant.* & *neg. conf.* quia effectus non debet dominari suæ causæ, ut sit. Cùm itaque prædeterminatio sit causa, quòd voluntas sit domina sui actûs, non est necesse ad hoc, ut sit domina sui actûs, ipsam esse dominam prædeterminationis. Undè ad prob. *conf. dist. maj.* Potentia, quæ non est domina antecedentis, non est domina consequentis, si antecedens non sit causa, quòd ipsa sit domina consequentis, *conc.* Si sit causa, *neg. maj.* Ex quibus patet responsio ad Instantiam: interpositio enim terræ non est causa, quòd quis sit dominus Eclypsis.

Resp. 2do. *Dist. ant.* Voluntas non est domina prædeterminationis originativè sumptæ, & ex parte principii; sic enim est à solo Deo, *conc.* terminativè sumptæ, id est, ex parte termini, usûs, & exercitii actualis, *neg. ant.* Licèt prædeterminatio seu præmotio originativè non sit à voluntate, nec in potestate illius, facit tamen actum esse in potestate illius; undè per prædeterminationem seu præmotionem voluntas fit actu domina sui actûs, non quidem illimitata, & independens, sed limitata, dependens, & secundaria. Hinc ulterior probatio antecedentis distingui potest: Non est in potestate voluntatis habere, vel non habere prædeterminationem, ita tamen, ut habere actum in sua potestate illi tribuatur à prædeterminatione seu præmotione, *conc.* Ut hoc illi non tribuatur, *neg.*

Arguitur 5to. Agens liberum, positis omnibus ad agendum requisitis, tàm habet posse non agere, quàm posse agere. Atqui voluntas, positis omnibus ad agendum requisitis, ipsaque prædeterminatione, non habet tàm posse non agere, quàm posse agere. Ergo non est agens liberum. *Maj.* est certa, quia in definitione libertatis hæc importantur. *Prob. min.* Quia positis omnibus ad agendum requisitis, ipsaque prædeterminatione, voluntas jam actu agit. Ergo non ampliùs habet tàm posse non agere, quàm posse agere.

Resp. 1mo. Argumentum istud totidem verbis posse retorqueri in objicientes, mutatô solùm vocabulô *prædeterminationis* in nomen *propriæ determinationis*, qua voluntas se ipsam, positis omnibus ad agendum requisitis, determinat; nam hac positâ voluntas etiam actu agit.

Resp. 2do. *Dist. maj.* Agens liberum libertate potentiali & privativa tàm habet posse non agere, quàm posse agere, *conc.* Agens liberum libertate actuali, & positis omnibus ex parte actûs secundi, *neg. maj.* tunc enim jam supponitur actu agere cum potentia tamen ad non agendum; consequenter non ampliùs habet potentiam carentem utroque exercitio tàm non agendi, quàm agendi. Ad prob. *Maj.* dicitur id solùm esse verum in definitione libertatis potentialis.

Resp. 3tio. *Dist. maj.* Agens liberum, &c. in sensu diviso, *conc.* in sensu composito, *neg. maj. &c.* Igitur voluntas non potest conjungere actionem cum sua negatione, at potest seu habet potentiam omittendi actionem aut ponendi oppositum etiam stante præmotione.

Inst. 1mo. Ut voluntas sit libera, debet cum præmotione ad consensum posse conjungere dissensum. Ergo debet posse agere & non agere in sensu composito. Prob. *Ant.* Potentia libera debet cum omni requisito ad agendum posse conjungere non actionem, seu actionem oppositam. Ergo cùm præmotio ad consensum sit aliquod requisitum ad illum, debet voluntas posse cum illa conjungere dissensum.

Resp. *Neg. ant.* Ad prob. *Dist. ant.* Cum omni requisito ad agendum ex parte actûs primi, *conc.* ex parte actûs secundi, *neg. ant.* aliàs posset pro eodem instanti stare in voluntate assensus cum dissensu, aut negatione assensûs, quod est absurdum. Atqui prædeterminatio ad consensum est requisitum quoddam ex parte actûs secundi.

Inst. 2do. Positô possibili in actu nullum sequitur absurdum. Atqui stante prædeterminatione ad assensum possibilis est dissensus. Ergo posito dissensu stante prædeterminatione ad assensum nullum sequitur absurdum.

Resp. *Dist. maj.* positô possibili in actu eo modo, quo est possibile, & nullâ factâ hypothesi, nullum sequitur absurdum, *conc.* positô possibili in actu alio modo, quàm quo possibile est, & facta aliqua hypothesi rei incompossibilis, *neg. maj.* & *dist. min.* Atqui stante præmotione ad assensum possibilis est dissensus absolutè, in sensu diviso, & potentia antecedente, *conc.* in sensu composito, & potentia consequente, *neg. min.* & *cons.* Sequeretur enim hoc grande absurdum, scilicet quòd voluntas simul ageret & non ageret, assentiret & dissentiret.

Inst. 3tio. Voluntas pro eodem instanti, quo est prædeterminata ad assensum tenetur aliquando ponere dissensum. Ergo debet posse conjungere dissensum cum prædeterminatione ad assensum. Prob. *ant.* Ut aliquis dicatur posse resistere giganti, debet posse conjungere suam resistentiam cum actuali renitentia gigantis; quia nemo dicitur resistere virtuti, quæ non existit. Ergo debet posse resistere actuali renitentiæ virtutis impellentis in oppositum.

Resp. 1mo. Quòd posse resistere ac dissentire prædeterminationi in sensu diviso non sit ita propriè & strictè posse resistere seu dissentire, ac esset eidem posse resistere & dissentire in sensu composito, quomodò voluntas nostra potest resistere ac dissentire cuilibet gratiæ inefficaci, & moraliter solùm moventi. Nobis sufficit (inquiunt) imò & Adversariis sufficere debet, quòd voluntas ità possit resistere ac dissentire prædeterminationi datæ ad consensum, ut salva maneat illius libertas. Atqui cum hôc, quòd est voluntatem posse resistere ac dissentire prædeterminationi datæ ad consensum in sensu diviso, salva manet libertas; sive jam ità posse resistere ac dissentire sit propriè ac simpliciter posse resistere ac dissentire, sive non sit. Ergo sufficit, quòd voluntas possit resistere ac dissentire prædeterminationi in sensu diviso. Exemplum de gigante causam non juvat; quia nullus gigas in ratione moventis aut in contrarium nitentis est simpliciter & metaphysicè infallibiliter efficax, sicut prædeterminatio, de qua hìc disputatur; adeoque mirum non est, quòd ad hoc, ut quis simpliciter ac propriè dicatur resistere posse giganti, requiratur potentia aliquid faciendi etiam resistente & in contrarium nitente gigante.

Resp. 2do. Duplicem dari renitentiam, unam positivam & cum inclusione illius, cui resistitur, ut patet in exemplo de gigante; alteram verò privativam & cum exclusione illius, cui resistitur: sic mutuò sibi resistunt duæ formæ, cùm se mutuò expellunt ac excludunt; fieri enim non potest, ut eadem materia à duabus formis simul & semel informetur. Sic similiter peccatum resistit gratiæ sanctificanti priùs in anima existenti, & è converso gratia sanctificans peccato habituali obsistit, cùm se se mutuò ab anima expellunt. Et talis est renitentia voluntatis ad prædeterminationem, in quantum videlicet rationem habet motionis; nam voluntas iniqua privat subjectum gratiâ efficaci, quæ est in genere prædeterminationis.

Argu-

151 Argumentum 4tum desumitur ex affinitate hujus doctrinæ cum doctrina Calvini; hic enim, quemadmodùm Thomistæ, decreta posuit, quæ ex se ac naturâ suâ independenter à libero arbitrio essent efficacia.

Resp. Thomistæ se à Calvini errore in hisce tribus palàm differre, quæ in eo Concilium Tridentinum damnavit: 1mo. quòd neget liberum arbitrium in homine lapso. 2do. quòd nolit nos divinæ motioni cooperari. 3tio. quòd inficietur nos posse eidem divinæ motioni dissentire.

Inst. Calvini Sectatores palàm profitentur se eadem cum Thomistis sentire. Ità Amezio & Guisius Calvinistæ apud P. Aunatum de Scientia media *disp.* 4. §. 1.

Resp. non esse novum Hæreticos Catholicorum palliô se tegere; sic etiam Semipelagiani asserebant se inniti unanimi sententiæ antiquiorum Patrum, ut Irenæi, Clementis Alexandrini, Origenis, Hilarii, Ambrosii, Chrysostomi, &c. prout testatur S. Prosper Epist. ad S. August. Si tamen, inquiunt Thomistæ, Calvinistæ nobiscum sentiant, ac sincerè profiteantur dari liberum arbitrium, illudque gratiæ cooperari, ac posse dissentire, si velit; in hoc non sunt hæretici, quamquàm decreta ex natura sua efficacia adstruant. Si verò aliter censeant, quidquid verbis dicant, nobiscum non sentiunt, sed adhærent errori Calvini, & cum eo turpiter errant.

152 Argumentum 5tum petitur ex maximo absurdo, scilicet, quòd in hac sententia sequeretur, Deum esse auctorem peccati; nam si Deus omnia prædefiniat ac prædeterminet; tunc etiam prædeterminat actionem malam, & proindè Deus erit illius auctor.

Resp. AA. 1mo. Hoc ipsummet argumentum solvendum esse adversariis; nam juxta eos Deus concurrit concursu simultaneo ad entitatem peccati, cui annexa est malitia. Ergo & ipsi concedere debent, quòd Deus sit cooperator peccati, vel ejusdem causa cooperatoria.

Resp. 2do. *Dist.* Deus prædeterminat actionem malam præcisè quà actio est, seu actus physicus, *conc.* ut actio mala est, *neg.* Licèt igitur Deus sit causa, quòd actio fiat, non tamen est causa ejus defectus, seu quòd malè fiat; sicut anima, licèt sit causa, cur tibia curva moveatur, non est tamen causa, cur tibia claudicet.

Inst. Homo est causa peccati in quantum est causa ipsius actionis, quæ est peccatum. Ergo si Deus sit causa actionis peccati, erit etiam causa peccati.

Resp. *Neg. conf.* & *parit.* Disparitas est, quia homo concurrit defectivè & tanquàm causa deficiens in actum, cui annexa est malitia; non sic autem Deus, sed concurrit effectivè, minimè verò deficienter; undè in eum non potest refundi defectus, qui reperitur in actione, sed solùm in eum, qui agit deficienter.

Dices. Quod est causa causæ, est causa causati. Atqui Deus, juxta dicta, est causa actionis peccaminosæ. Ergo etiam causa malitiæ, quæ ex hnjusmodi actione resultat.

Resp. 1mo. *Transf. maj.* & *neg. min.* Nam actio peccaminosa non est causa malitiæ, nisi quà peccaminosa est. At, ut jam dictum est, Deus non est causa actionis, quà hæc peccaminosa est; ergo nec malitiæ.

Resp. 2do. *Dist. maj.* Quod est causa causæ, est causa causati, si servetur eadem series causalitatis, *conc. maj.* Secùs, si unum concurrat effectivè, alterum verò deficienter, tunc *neg. maj.*

Urg.

Urg. Si Deus prædeterminaret creaturam ad materiale peccati motione quadam morali, hoc ipso etiam prædeterminaret eam ad formale peccati. Ergo etiam, quando prædeterminat motione physica ad materiale peccati, prædeterminat etiam ad formale peccati, præsertim cùm motio physica efficacior sit morali.

Resp. *Neg. conj.* & *parit.* Disparitas est, quòd moralis motio id omne debeat attingere, quod intra genus moris continetur; undè non potest præscindere à malitia formali. E contrà motio physica, eo ipso, quòd physica sit, respicit directè entitatem physicam, & sic potest præscindere ab iis, quæ sunt intra genus moris, ac proindè à malitia formali. Ex quo deducitur, quòd, licèt motio physica sit quidem intensivè efficacior morali, non tamen extensivè.

Inst. Deus, qui est summa bonitas, non potest infundere habitum per se inclinantem ad actum malum. Ergo nec præbere influxum prædeterminantem ad eum.

Resp. *Neg. conf.* Ratio disparitatis est; quia habitus vitiosus inclinat ad malè operandum; non sic prædeterminatio. Qua de re sciendum, quòd, quando Deus influendo & determinando, ut voluntas operetur suô modô limitatô, influat ac determinet, ut suô modô effectivô, quem à Deo participavit, operetur, non suô modô defectivô, & ex se orto.

§. IV.

253 *Declaratur, quænam harum binarum sententiarum alteri præferenda videatur.*

Videtur, quòd admittenda sint decreta ab intrinseco efficacia, quin etiam prædeterminativa: id enim satis evincere videntur tùm testimonia ex S. Scriptura & ex SS. Patribus allata, tùm rationes contra decreta indifferentia §. 2. adductæ, quæ sanè per responsa ibi subjuncta non satis enervari à multis observatur. Nam

Responsio ad testimonia ex S. Scriptura deprompta, licèt in sententia eorum, qui admittunt gratiam congruam, utcunque sustineri possit, in sententia tamen eorum, qui gratiam versatilem & indifferentem adstruunt, nullius efficaciæ esse videtur. Nam

1mo. Hujusmodi S. Scripturæ loca aliquid speciale notant in voluntate divina, quod non convenire videtur voluntati creatæ, & ratione cujus infallibiliter, contingenter tamen, creatura ità est operatura, ut non resistat. Atqui si prædicta testimonia non intelligerentur de voluntate antecedente efficaci & absoluta, sed de voluntate consequente supponente determinationem effectûs creati, non notarent aliquid speciale proprium voluntati divinæ. Ergo prædicta testimonia accipienda sunt de voluntate divina efficaci volente ante prævisionem effectûs creati. *Maj.* est evidens; quia alioquin Scriptura non deberet recurrere ad omnipotentiam ac infinitam efficaciam divinæ virtutis. *Min.* etiam constat; quia actuali volitioni creaturæ etiam infirmissimæ nullus resistet; quippè fieri non potest, ut res eadem sit & non sit. Ergo si Scriptura de voluntate divina loqueretur, postquàm prævidetur existere effectus illius, non commendaret specialem energiam divinæ voluntatis, sed quidpiam vulgare & voluntati creatæ commune. Undè, quò servetur antithesis & differentia intenta per sacra testimonia illa, fatendum est, ea loqui de voluntate divina antecedente, seu de decreto divino ab intrinseco efficaci, ita, ut existente prava voluntate in creatura, & ante prævisionem bonæ volitionis possit Deus ità flectere & convertere primam illam malam voluntatem, ut bonum propositum amplectatur.

2do. Me-

2do. Memorata S. Scripturæ testimonia significare videntur voluntatem Dei ita esse efficacem & infallibilem, ut ei resisti non possit (saltem potentia consequente) At hoc falsum est, si Decreta Dei tantùm sint indifferentia, expectantia determinationem liberi arbitrii, atque conjuncta cum motione duntaxat morali; nam cum eis, etiam in sensu composito, actualis renitentia componi potest, ac sæpe etiam conjungitur. Ergo &c.

154 Neque magis efficax est responsio ad auctoritates SS. Patrum. Nam

Contrà est 1mo. Quòd iis SS. Patrum testimoniis ipsa opera prædestinata ac prædefinita palàm asserantur. At si Deus indifferenter præparasset auxilia, non volendo determinatè illi potiùs, quàm isti bonas actiones ex illis secuturas, non posset dici prædestinasse opera; prædestinare enim est aliquid certò & determinatè velle. Ergo non modò auxilia, sed & opera determinate voluit.

Contrà est 2do. Quia si non uni magis quàm alteri directè ac in particulari suis auxiliis favet, sed æquali voluntate bene ac male operaturo auxilia offert, sequitur manifestè, Deum non majus beneficium ei conferre, qui bene utitur auxiliò, quàm illi, qui eo malè utitur, nec illum plùs quàm istum obligari Deo, quòd potiùs bene, quàm male, usus sit auxiliò; quod multipliciter repugnat S. Scripturæ.

Contrà est 3tio. Quia S. Dionysius, seu quisquis sit auctor. *lib. de div. nom.* ibid. citatus manifestè docet dari decreta prædeterminativa; illius enim verba adeò clara sunt, ut in alterum sensum vix detorqueri valeant. Atque ex illis sequens argumentum confici potest: Artifex non videt priùs ipsum artefactum producendum, quàm videat ejus exemplar, cùm nihil operetur, nisi respiciendo exemplar. Atqui ex S. Dionysio seu auctore *lib. de div. nom.* exemplaria rerum producendarum sunt prædeterminativæ rerum prædefinitiones. Ergo Deus non videt res futuras ante decretum prædeterminativum, sed potiùs in eo; ac proindè datur hujusmodi decretum, atque etiam præcluditur omnis ad Scientiam mediam recursus.

Præstat hìc, pro majori dictorum ac dicendorum robore, unum & alterum ex S. Augustino proferre testimonium. Sanctus iste Doctor passim reducit operationem nostræ voluntatis atque subjicit dominio & omnipotentiæ Dei illam moventis & vertentis quocunque & quomodocunque voluerit, ac proindè manifestè docere videtur decreta ab intrinseco efficacia. Itaque *lib. de corrept. & grat. c.* 14. loquens de Deo, sic de eo ait: *Habens sine dubio humanorum cordium, quò placet, inclinandorum omnipotentissimam potestatem.* Quomodò verò sic inclinet & faciat Deus de voluntatibus hominum, quod sibi placet, statim ibidem explicat his verbis: *Intùs egit, corda tenuit, corda movit, eosque voluntatibus eorum, quas ipse in illis operatus est, traxit. Si ergo, cùm voluerit Deus Reges in terra constituere, magis habet in potestate sua voluntates hominum, quàm ipsi suas, quis alius facit, ut salubris sit correptio, & fiat in corde correpti correptio?* Ex hoc S. Augustini testimonio sic conficitur argumentum:

Si ob aliquam rationem præexisteret prævisus consensus, quatenùs Deus posteà voluntatem nostram moveret, tunc ideò, quia libera voluntas potest resistere etiam, per Adversarios, in sensu composito divinæ motioni, & sic non potest esse ex se determinata efficaciter voluntas. Atqui S. Augustinus dicit, quòd Deus habeat inclinandorum cordium

influens in illum .... quia gratiæ ipsam ad opus salutare allicienti ex propria determinatione obsequitur dependenter ab ipsa gratia, ut eam actu elevante & corroborante etiam physicè. Et in hoc videtur consistere præmotio physica. Nec multùm juvare videtur, quòd post hæc verba : *posteriùs influens in illum,* subdat : *non quia ad consentiendum prædeterminatur.* Hæc enim locutio se ipsam destruere videtur; Thomistæ enim per præmotionem seu prædeterminationem physicam non aliud intelligunt, nisi prævium influxum physicum, scilicet prioritate naturæ physicè influens in consensum voluntatis. 3tio. Cùm duæ causæ concurrunt, nisi fortuitò & casu coagant, vel unam ab altera moveri & determinari necesse est, vel utramque ab aliqua tertia. Atqui Deum & Hominem ab aliqua tertia causa moveri dicere fas non est. Ergo vel Deus à causa secunda movebitur, quod dicere impium est, vel, causa secunda à Deo movebitur ac determinabitur. 4to. Denique, Si posset creatura actionem inchoare non præmota à Deo, posset independenter à Deo se ad operandum applicare. Ergo & ipsa esset primum sui determinativum. Atqui hoc repugnat non tantùm doctrinæ S. Thomæ, ut primùm significavimus, sed etiam essentiali subordinationi creaturæ, quæ in eo consistit, quòd, sicut Deus est primus in essendo, ita & primus in operando esse debeat; aliàs creatura esset prior in agendo, si priùs naturâ actionem inchoaret, Deus autem subsequeretur.

Neque dicatur, quòd Deus sit primus in agendo prioritate tantùm *à quo*, non autem *in quo*, id est, ut volunt Scotistæ, quòd Deus ita causet effectum cum altero, ut tamen non dependeat ab altero, at è contrà bene hoc ab illo; non verò quòd priùs causaliter attingat effectum, quàm altera causa.

Contrà est enim, quòd influxus Dei in actionem causæ secundæ habeat ratione motionis. Atqui motio moventis naturâ saltem & causalitate præcedit motum mobilis. Ergo &c. Et sanè inter se valde differunt *currere cum altero*, seu *concurrere*, & *alterum movere ad cursum :* prius enim dicit simultatem cursûs, hoc verò posterius causalitatem illius, ac proinde etiam quamdam prioritatem.

156 Jam contra primam Responsionem ad argumentum 4tum. datam sic conficitur argumentum : Ratio supremi dominii in actiones causarum secundarum naturaliter agentium radicatur in dependentia, quam habent à Deo tanquam primo agente. Atqui etiam voluntas humana in suis liberis actionibus eandem dicit dependentiam. Ergo Deus idem dominium habet super actus nostros liberos (salva tamen eorum libertate, ob infinitam illius efficaciam) quod habet super alia agentia naturalia.

Contra secundam verò Responsionem facit illud S. Augustini: *Deus magis habet in potestate sua voluntates hominum, quàm ipsi suas.* Ergo sicut homines se determinando neutiquam libertatem suam lædunt, multò minus, si divina voluntas causa est hujus determinationis, illiusque radix, eam lædet, quin potiùs perficiet; alioquin quomodò magis habet Deus in potestate voluntates hominum, si, ut eas efficaciter moveat & in illis operetur, non ex sua efficacia id possit, sed ex suppositione consensûs & determinationis ipsius hominis. Undè Lex illa, quæ in dicta Responsione obtenditur, nec in S. Scriptura, nec in SS. Patribus sufficiens habet fundamentum.

Porrò Responsio ad 1mam. Inst. eam non enervat : nam ille procedit cœcô modô, qui non ex intentione, non ex consilio voluntatis suæ, non ex providentia agit. Atqui, si Deus expectat & supponit determinationem voluntatis creatæ seu humanæ, non agit ex intentione, nec ex consilio, nec ex providentia sua. Ergo &c. *Prob. min.* 1mo.

Non agit ex intentione ; quia ejusmodi determinatio jam ad ejus præsupponeretur intentionem. 2do. Non agit ex consilio voluntatis suæ ; quia potiùs ex consilio voluntatis humanæ operatur 3tio. Non ex providentia ; quia hæc est causa rerum provisarum, & tantùm se extendit, quantùm ejus causalitas, prout docet S. Thomas 1. *p. q.* 22. *a.* 2. Ergo &c.

Responsio autem ad 2dam. Inst. laborat falsô suppositô ; quasi verò per decreta intrinsecè efficacia salvari non posset liberum arbitrium ; contrarium enim sufficienter probatum fuisse paragrapho præcedente censeri potest.

Responsioni ad 3tiam. Inst. jam in Exercitatione præcedenti, ubi de Scientia media satisfactum videtur. Ibi enim dictum est, quòd, ut aliquis præ altero reprehendi possit, satis sit, si fuerint æquales in auxiliis sufficientibus, nec tamen æqualia præstiterint. Jam ulteriùs addi potest, quòd, ut aliquis comparatione alteriûs merito reprehendatur, satis sit, si in causa fuerit, quòd malè egerit, & quamquàm alius pariter in causa esse potuisset, quòd malè egisset, nisi ejus infirmitati misericorditer subventum fuisset; non tamen impedit, quin & ipse laudari possit propterea, quòd à bono opere non defecerit; quia sola ratio vituperii vel laudis est opus liberè factum: & similiter non obest, quin alter, ejus comparatione, ob malum opus à se patratum increpari valeat. Ut si quis Pater duos habeat filios æqualis prorsùs genii, quibus sufficienter subministret ea omnia, quæ ad ingenuam educationem eorum requiri videntur, ita tamen, ut specialiori dilectione uni magìs invigilet, quàm alteri; ex quo contingat, ut ille minùs desit officio suo, quàm iste, poterit hunc nihilominùs alterius comparatione increpare. Cæterùm verba Isaiæ ibidem adducta paulò accuratiùs ponderanda sunt; Nam non dixit Deus: *Quid potui*, sed *Quid debui facere &c.* enimverò, ut vinea, qua cor humanum adumbrari dicitur, in culpa sit, quòd à bonis fructibus deficiat, haud necesse est ei præstari quidquid possibile est, sed quidquid debetur ex parte agricolæ. Et profectò, si hæc responsio non sufficit, inquiunt Thomistæ, vix capi poterit, quin aliquis non possit se ipsum discernere, quod tamen vetat Apostolus 1. *Cor.* 4.

Nec refert, si dicatur, quòd Petrus v. g. consentiat, secùs verò Paulus, non provenire in Petro ex solis viribus naturalibus suæ voluntatis, sed simul ex gratuito Dei auxilio ac voluntate. Nam

Contrà est 1mo. Quia præter illud gratuitum Dei auxilium debet adhuc aliquid supponi, quod se teneat ex parte liberi arbitrii Petri, per quod conversio in eo potiùs fiat, quàm in Paulo; supponitur enim, circumstantias & auxilia indifferentia utrimque esse æqualia. Ergo saltem propter illud poterit Petrus se à Paulo discernere. 2do. Licèt consensus ille, quo Petrus conversus est, non procedat à sola libertate suæ voluntatis, sed à gratuito Dei auxilio, nihilominùs, si Deus ante decretum suum efficax prævideat talem consensum, oportet, ut etiam prævideat primam radicem hujus discretionis non oriri à prædicto auxilio, sed ab innata libertate arbitrii Petri. Atqui hoc repugnat doctrinæ S. Pauli, quandoquidem ipse, ut patet, intendit primam radicem discretionis unius ab alio esse divinam gratiam, quod & alibi sæpe indicat, præsertim quando ait: ***Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei.*** Sequela Majoris constat, atque sic potest probari: Voluntas Dei gratuita ex se non magìs inclinat Petrum in consensum,

ſum, quàm Paulum. Ergo converſio ac diſcretio Petri non poteſt in eam tanquam in primam radicem refundi, ſed certè in ſolum liberum Petri arbitrium.

Tandem contra Reſponſionem ad ultimam Inſt. facit, quòd indifferentia conjuncta cum dominio, quo voluntas humana ſubſequenter ſe ipſam determinat, non obſit, quin voluntas, pro priori ad ſuam operationem ac determinationem formalem, ſit tantum in potentia ad utrumque extremum ſuæ indifferentiæ. Atqui quod tantùm eſt in potentia ad utrumque extremum, nunquam exit in actum, niſi pro priori determinetur ab alio. Ergo indifferentia conjuncta cum dominio ſuorum actuum non obeſt, quin voluntas pro priori determinetur ab alio ad ſe formaliter determinandum. *Nihil, quod eſt ad utrumlibet*, ait S. Thomas 2. phyſ. lect. 8. *exit in actum, niſi per aliquid determinetur ad unum; quia id, quod eſt ad utrumlibet, eſt ſicut Ens in potentia, potentia autem non eſt principium agendi, ſed ſolùm actus. Undè ex eo, quod eſt ad utrumlibet nihil ſequitur, niſi per aliquid aliud, quod determinat ad unum.*

157

EXERCITATIO NONA.

De Prædeſtinatione.

Ad Cap. 8. part. I. Tractatûs I. de Deo Uno & Trino. *n. 266. &c. Tom. 2. Theolog.*

IN his, quæ ad prædeſtinationem vel etiam reprobationem ſpectant, ſeponenda eſt humanarum imbecillitas rationum, & ea libentiùs audienda, quæ per Scripturas ſacras ſcire nos, quaſi de arcano animi ſui, voluit Deus noſter. Præcipuum autem, quod in Scholis circa hoc inveſtigabile myſterium agitari ſolet, in eo conſiſtit, an ſcilicet Prædeſtinatio ad gloriam fiat ex prævisione meritorum nec ne? Ante cujus deciſionem quædam præmittenda veniunt.

§. I.

158 *Quædam prænotantur pro uberiori dicendorum notitia.*

NOt. 1mo. Certum eſſe, quòd Deus veram ac ſinceram, quantùm eſt ex ſe, voluntatem habeat ſalvandi omnes homines. *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*, inquit Apoſtolus 1. *Tim.* 2. Item, *Proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum*, ait idem Apoſtolus *Rom.* 8. Undè quòd multi homines ſalutem ſuam non conſequantur, ſed damnentur, non eſt ex defectu Dei, ſed ſolùm ex eorum provenit culpa.

Not. 2do. Quòd ſuppoſita hac voluntate (quæ vocari ſolet *Antecedens*) de ſalute omnium omninò hominum Deus ſpecialiter quaſdam creaturas intellectuales præ aliis efficaciter præelegit ab æterno ad vitam æternam, quæ præelectio ſeu præordinatio nihil aliud eſt, quàm ipſa prædeſtinatio, de qua hîc nobis eſt ſermo. Dari autem hujusmodi prædeſtinationem evidens eſt ex ſacris paginis: nam *Epheſ.* 1. dicit Apoſtolus: *Qui prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum.* Item *Rom.* 8. ait: *Quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit.*

Not. 3tio. Varios circa hanc prædestinationem enatos esse errores. 1mo. enim Priscillianistæ (*f*) ac Manichæi (*g*), cùm perperàm arbitrarentur liberum arbitrium per peccatum omninò deperditum esse, censuerunt indè evenire, quòd inter duos æquales unus assumatur, & alter relinquatur; quia nempè unus altero meliùs operaturus erat ex vario corporis temperamento, quo voluntas necessariò trahitur ad hoc, ut hos vel illos actus eliciat mediantibus constellationibus, quæ diversa naturæ temperamenta progignere solent. Hunc errorem refutavit S. Augustinus *lib. ad Simplicianum Mediolanensem Episcopum.* 2do. Origenes *lib.* 1. *periarchon. c.* 8. docuit alios prædestinari, alios verò reprobari propter ea opera, quæ exercuerant eorum animæ, priusquam corpora sua informarent. Existimabat enim animas ante mundum hunc visibilem creatas fuisse. Sed hic error proscriptus est in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. tùm in Concilio Viennensi. 3tio. Pelagiani (*h*) docebant opera ex viribus naturæ à Deo prævisa causam & motivum esse prædestinationis, saltem respectu adultorum; nam respectu infantum causam prædestinationis reponebant in iis bonis operibus, quæ præstitissent, si ad adultam ætatem pervenissent. Error iste in variis Conciliis, ut Milevitano, Africano, quæ Sæculò 5tò. celebrata fuère, & novissimè in Concilio Tridentino *Sess. 6. c.* 1. 2. & 3. damnatus est. In hac quoque prædestinationis materia errabant Semipelagiani (*i*); eorumque error affinis fuit errori Pelagianorum, de quo egimus sup. Exercit. 7. de Scientia media.

Not. 4to. Prædestinationem attendi posse vel secundùm *ordinem intentionis*, vel secundùm *ordinem executionis.* Circa *ordinem executionis* nullum est hîc dissidium; omnes enim unanimiter conveniunt, Deum non conferre gloriam, nisi propter merita. De solo igitur *ordine intentionis* movetur quæstio; an scilicet Deus priùs intenderit prædestinatis dare gloriam, quàm gratiam seu merita per gratiam; an verò priùs merita quàm ipsam gloriam præordinaverit.

Not. 5to. Quòd ista prioritas non se teneat ex parte actûs, seu ex parte Dei; nam ratio prioris ac posterioris in decretis divinis ad extrà petitur duntaxat ex posterioritate objectorum, quæ terminant divinam volitionem, ita ut actus divinæ voluntatis, dum ad talia objecta fertur, quorum unum est propter alterum, jam etiam dicatur velle unum priùs quàm alterum.

Not. 6to. Duplex circa hanc materiam exhiberi Systema. Primum est eorum, qui docent, Deum, postquam peccatô Adæ tota infecta est humana natura, certum quemdam electorum numerum ex perdita hac corruptionis massa misericorditer decrevisse, eosque effica-

(*f*) Priscillianistæ Hæretici à Priscilliano homine Hispano & eorum Sectæ auctore sic dicti, circa finem Sæculi Ecclesiæ 4ti. grassati sunt. &c.

(*g*) Manichæi Sæculi 3tii. Hæretici, à Manete, qui priùs *Cubricus* dicebatur, & origine Persa erat, sic dicti. &c.

(*h*) Pelagiani à Pelagio Monacho Britanico vel, ut quidam volunt, Scotico, Hæretici, qui initiò Sæculi 5ti. Ecclesiam vexaverunt. Vid. *Tom.* 2. *Tract.* 1. *p.* 1. *c.* 8. §. 3. *n.* 164.

(*i*) Semipelagiani, Pelagianorum surculi, Sæculò 5tò. orti, S. Augustini sententiam de prædestinatione rejiciebant, & libero arbitrio, licet non tantùm, quantùm Pelagiani, adhuc tamen nimis tribuebant. In Galliis visi sunt. &c. vid. *Tom.* 2. *Tract.* 1. *p.* 1. *c.* 8. §. 3. *n.* 264.

caciter ad gloriam præordinasse; necnon potentissima ad illam adipiscendam eis præparasse auxilia; cæteros verò in communi perditionis massa reliquisse, & sic, saltem negativè, reprobasse, eis tamen largiendo auxilia sufficientia, quibus dum abutuntur, ob eorum demerita etiam illos positivè reprobat.

Not. 7timo. Quòd ii, quibus hoc Systema placet, inter se circa quædam discrepent. Nam Jansenistæ existimant homini in statu innocentiæ sicut & Angelis collatam fuisse gratiam versatilem seu indifferentem à libero voluntatis arbitrio determinandam; atque adeò pro illo statu merita præivisse gloriæ etiam in ordine intentionis: quantùm verò ad præsentem naturæ corruptæ statum attinet, dicunt 1mo. Voluntatem Dei antecedentem de salute omnium omninò hominum esse impropriam, metaphoricam, ac duntaxat signi, non verò beneplaciti seu veram & propriam, originali peccato anteriorem non posteriorem. Item auxilia, quæ ratione illius voluntatis conferuntur, nomine tenus duntaxat dici sufficientia, non re ipsa, cùm satis virium non habeant, ut oppositam concupiscentiam vincere possint. Denique peccatum originale primum esse Deo motivum reprobationis, etiamsi per Baptismi gratiam remissum sit; ejus enim intuitu, inquiunt, Deus movetur, ut auxilia fortiora ac efficaciora deneget.

Thomistæ è contrà docent, non solùm in statu innocentiæ, verùm etiam in statu naturæ lapsæ necessariam fuisse gratiam ex se efficacem; gratiam verò sufficientem re vera tribuere sufficientes vires in ordine ad superandas tentationes, & sic non nomine tantùm, sed re ipsa sufficientem esse. Docent præterea efficaciam ac virtutem gratiæ non esse per gradus seu relativam, sed absolutam. Denique volunt etiam, antecedentem Dei voluntatem, qua Deus vult omnes homines salvos fieri, veram esse & sinceram, neutiquam metaphoricam.

Porrò alterum Systema est eorum, qui opinantur Deum neminem prædestinare ad gloriam nisi ex prævisis meritis. Isti enim docent, quòd, quamvis Deus quibusdam ex specialiori dilectione efficaciora largiatur auxilia (sive sint talia ratione doni seu beneficii duntaxat, in quantùm conferuntur in circumstantiis favorabilibus, sive in ratione auxilii, eò quod majori interna virtute polleant) attamen, quia voluntas cum hujusmodi auxiliis adhuc potest conjungere dissensum; hinc volunt, Deum neminem ad gloriam præordinare, nisi pro priori exploraverit, an gratiæ sit consensurus, nec ne. Cæterùm in hoc Systemate, prout dictum est sup. Exercit. 7. de Scientia media, potest adhuc defendi prædestinationem fieri ante prævisa merita, quemadmodùm Bellarminus, Suarez & alii Scientiæ mediæ patroni contendunt.

§. II.

Proponuntur ac solvuntur Argumenta, quibus probatur prædestinationem ad gloriam esse ante prævisa merita. 159

ARgumentum 1mum. petitur ab auctoritate S. Scripturæ, cujus testimonia sunt frequentissima. Pauca duntaxat, & quæ magis efficacia videntur producimus.

1mum. itaque testimonium petitur ex illo Ephes. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus.* Ubi non dicitur, nos electos fuisse, quia eramus aut futuri eramus sancti, sed ut essemus sancti, prout benè advertit S. Augustinus *lib. de prædest. SS. c.* 18. & 19. Ergo elegit nos, ut daret nobis me-

merita; non verò, quia merita nostra prævidit. Idem probari potest ex illo *Rom* 8. *Quos prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui.*

Resp. AA. Hæc loca intelligenda esse de electione ad gratiam, non verò ad gloriam, tùm quia non omnes, ad quos scribebat, prædestinatos existimabat; tùm quia, quæ addit Apostolus, ad omnes Fideles pertinent, non ad solos prædestinatos. Ergo & ista electio: *Omnibus sanctis, qui sunt Ephesi*, inquit, *& Fidelibus in Christo Jesu gratia vobis & pax.*

Secundum testimonium sumitur ex illo *Rom.* 9. ubi, *Cùm*, inquit Apostolus de Jacob & Esau, *nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali (ut secundùm electionem Dei propositum maneret) non ex operibus, sed ex vocante dictum est; quia major serviet minori, sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odiô habui.*

Resp. AA. 1mo. Ibi non esse sermonem de electione ad bona spiritualia, scilicet ad gratiam & gloriam, sed tantùm de electione ad paternam hæreditatem. Resp. alii 2do. hunc locum posse ac debere intelligi de electione ad gratiam, non verò ad gloriam. Denique 3tio. Resp. alii: dilectionem Jacob & Esau fuisse ante opera in re exhibita in tempore, non verò ante visionem eorumdem operum in æternitate, ut videtur colligi ex S. Paulo; nam dicit: *Antequam nati essent*, quod non potest verificari ante visionem nativitatis eorumdem, cùm electio, & reprobatio supponat decretum creationis & nativitatis.

160 Argumentum 2dum. sumitur ab auctoritate S. Augustini, quem Petavius ac Maldonatus fatentur admisisse, prædestinationem ad gloriam omninò esse gratuitam, & ante merita gratiæ prævisa; verùm hunc S. Doctorem hac in parte deserendum esse affirmant.

Itaque S. Augustinus pluribus in locis docere videtur gratuitam electionem ad gloriam, præcipuè tamen *lib. de corrept. & grat.* c. 7. ubi ait: *Electi sunt ad regnandum cum Christo, non quomodò electus est Judas ad opus, cui congruebat: cùm itaque audimus: Nonne duodecim vos elegi, & unus ex vobis diabolus est? illos debemus intelligere, electos per misericordiam, illum per judicium. Illos ergo elegit ad obtinendum regnum suum, illum ad effundendum sanguinem suum.* Ubi notatu digna sunt illa verba *Ad regnandum cum Christo.*

Nec dici potest S. Augustinum solùm excludere præscientiam meritorum ex viribus naturæ; eò quòd illic egerit contra Semipelagianos; non verò excludere præscientiam meritorum ex gratia. Nam

Contrà est, quòd ex contextu facilè constet S. Augustinum loqui de illa electione, quæ est causa vocationis & justificationis, & de electione omninò gratuita, quæ excludit omne meritum, de qua verificari non potest, quòd sit post merita gratiæ. Igitur

Resp. AA. S. Augustinum intelligendum esse de electione ad gratiam & perseverantiam finalem, non verò ad gloriam. Nec quidquam faciunt illa verba: *Ad regnandum cum Christo.* Nam gratia ac finalis perseverantia est semen gloriæ, ac proindè quicunque eliguntur ad eam, hoc ipso eliguntur ad regnandum cum Christo.

Prætereà idem S. Augustinus *de grat. & lib. arbit. c.* 9. exponens hæc Apostoli verba: *Gratia Dei vita æterna.* ponderat, quòd, *cùm posset dicere stipendium justitiæ vita æterna, maluit di-*

dicere, gratia autem Dei vita æterna; ut hinc intelligeremus, non pro meritis nostris Deum nos ad æternam vitam, sed pro sua miseratione, perducere

Denique *lib. Soliloq. animæ. c.* 28. in favorem gratuitæ prædestinationis sic loquitur: *Mundas autem de nobis filiis hominum eos, in quibus tibi complacuit habitare, quos ab inaccessibilibus profundis secretis judiciorum incomprehensibilium sapientiæ tuæ, semper justorum, licèt occultorum, sine eorum meritis prædestinasti ante mundum; vocasti de mundo, justificasti in mundo, & magnificas eos post mundum.*

Resp. AA. sicut priùs. Nempè hîc, & in similibus textibus loqui S. Augustinum de electione ad gloriam in semine, nimirùm de electione ad gratiam, quæ est semen gloriæ, de qua verum est dicere, quòd Deus, nullis nostris præcedentibus meritis, eam nobis misericorditer largiatur.

261 Argumentum 3tium. petitur ab auctoritate S. Thomæ. Itaque hic S. Doctor inprimis 1. *p. q.* 23. *a.* 4. *in* ☉ sic loquitur, scilicet *Prædestinationem aliquorum in salutem æternam præsupponere secundùm rationem, quòd Deus velit illorum salutem.* Ergo Deus priùs vult alicui salutem æternam tanquàm finem, quàm media, quibus illam assequitur. 2do Idem S. Doctor *q.* 9. *de ver. a.* 2. sic ait: *Quòd Deus velit alicui dare gratiam & gloriam, hoc ex mera liberalitate procedit.* Item in *c.* 9. *Epist. ad Rom. lect.* 3. *Non potest esse*, inquit, *quòd merita consequentia gratiam sint ratio miserendi aut prædestinandi, sed sola Dei voluntas, secundùm quam misericorditer aliquos liberat.* Et in *c.* 1. *Epist. ad Ephes.* exponens ista Apostoli verba: *In quo nos sorte vocati sumus.* sic loquitur: *Ponit* (Apostolus) *voluntariam Dei prædestinationem..... cujus quidem prædestinationis ratio non sunt merita nostra, sed mera Dei voluntas.*

Resp. AA. ad 1mum. S. Thomam loc. cit. loqui de voluntate salutis aliquorum completa & adæquata, id est, quæ ad gloriam & gratiam simul feratur; quæ certè voluntas in Deo antecedit actualem gratiæ & gloriæ collationem: Nos verò, inquiunt, in præsentia rerum loquimur de voluntate salvandi aliquos, seu de prædestinatione partiali & inadæquata, quæ sit duntaxat ad gloriam.

Ad 2dum. Resp. His locis S. Thomam loqui de prædestinatione ad gratiam, quæ profectò merè gratuita est. Hîc verò Nos, ajunt, loquimur duntaxat de prædestinatione ad gloriam: utramque autem apprimè distinguit Doctor Angelicus locô in probatione citatô ex *Commentario in Ep. ad Rom. c.* 8. *lect.* 6.

Inst. 1mo. Laudatus S. Doctor 1. *p. q.* 23. *a.* 4. *ad* 2. dicit, *quòd, quandò voluntas eligentis provocatur ad eligendum à bono in re præexistente, tunc oportet, quòd electio fit eorum, quæ sunt,* id est, ob merita, *sicut accidit in electione nostra: sed in Deo est aliter, ut dictum est. Et ideò, ut dicit Augustinus, eliguntur à Deo qui non sunt, neque tamen errat, qui eligit.* Profectò S. Thomas hîc non videtur loqui de electione ad gratiam, sed potiùs de electione ad gloriam. Ergo in ejus mente prædestinatio ad gloriam non supponit merita.

Resp. S. Thomam ibi loqui de prædestinatione adæquata ad gratiam simul & gloriam, non autem ad solam gloriam, circa quam tamen hîc totus difficultatis cardo vertitur. Et hoc patet ex responsione ad. 1. cit. art. Loquens enim de electione illa seu communicatione divinæ bonitatis, quæ est in prædestinatione, includit in illa collationem gratiæ & gloriæ. Certè, ut legenti manifestum fiet, hic

hic S. Doctor toto articulo, imò totâ illâ cit. q. 23. de prædestinatione adæquata agit.

Inst. 2do. *Eâdem q. art. 5. ad* 4. expressè loquitur de prædestinatione inadæquata. Sic enim ait: *Quare hos elegit NB. ad gloriam, & illos reprobavit, non habet rationem nisi divinam voluntatē.*

Resp. S. Doctorem intelligendum hîc esse de prædestinatione comparativa, non verò absoluta. Quæstio autem hîc movetur de prædestinatione absoluta. Loqui verò S. Thomam de prædestinatione comparativa patet facilè tùm ex textu, tùm ex his verbis, quæ ex S. Augustino refert: *Quare hunc trahat, & illum non trahat, noli velle dijudicare, si non vis errare.*

162 Argumentum 4tum. sumitur ab hac sequenti ratione. Si prædestinatio ad gloriam non esset ante prævisa merita, tunc merita non essent effectus prædestinationis. Falsum consequens. Ergo & antecedens. *Maj.* patet; quia effectus non præit causæ suæ. *Min. prob.* Merita sunt media ad gloriam tanquam ad finem *propter quem.* Atqui quod est medium ad gloriam tanquàm ad finem *propter quem*, illud est effectus causæ finalis, hoc ipso, quia est ad finem ut *propter quem.* Ergo merita sunt effectus ipsius prædestinationis ad gloriam.

Confirm. 1mo. Nemo ante volitionem finis efficaciter cum prudentia vult media ad illum acquirendum. Atqui in ordine ad prædestinationem electorum finis est gloria æterna, media verò sunt merita. Ergo Deus ante volitionem gloriæ efficaciter cum prudentia non vult merita ad illam acquirendam.

Confirm. 2do. Qui ordinatè vult, priùs vult finem quàm media ad illum. *Subs.* Atqui gloria est finis & merita sunt media ad illam. Ergo priùs vult gloriam quàm merita; ac proindè prædestinatio est ante prævisa merita.

Resp. ad arg. Id verum esse, ubi finis se habet per modum doni gratuiti; non autem, ubi se habet per modum mercedis, coronæ, ac præmii. At, inquiunt, gloria se habet per modum mercedis, coronæ, ac præmii. Ergo &c.

Ad Confirm. 1. Resp. Quòd ad electionem efficacem mediorum sufficiat inefficax volitio ac intentio gloriæ ut finis, quæ intentio habetur per illam generalem voluntatem salvandi omnes homines. Sicut enim, inquiunt, Pater v. g. ex inefficaci voluntate, qua filium suum Doctorem fieri vult, movetur, ut ei præbeat studiorum subsidia; ita etiam Deus ex illa voluntate inefficaci, qua vult omnes salvos fieri, movetur ad electionem mediorum ad gloriam efficaciter conducentium.

Ad Confirm. 2. Resp. Quòd priùs velle finem quàm media ibi duntaxat locum habeat, ubi quis intendit finem sibi consequendum; non autem quando intendit finem alteri consequendum.

Argumentum. 5tum. petitur ex hac altera ratione. Si prædestinatio electorum non fieret nisi post prævisa merita, tunc non posset dici, per quid ergo primò discernantur prædestinati à non prædestinatis: non per primam gratiam, quia hæc est communis tam reprobis quàm prædestinatis; nec per gratiam finalem seu per donum perseverantiæ, quia hæc non appetitur nisi propter ipsam gloriam. Ergo &c. 163

Resp. Prædestinatos specialiter in hoc discerni à reprobis, quòd illis Deus majora gratiæ auxilia conferat, quàm istis.

§. III.

§. III.

164 *Proponuntur & solvuntur Argumenta negantium gloriam omninò gratuitam esse.*

Argumentum 1mum. sumitur ex S. Scriptura. 1mo. Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi; esurivi enim & dedistis mihi manducare*, &c. E contrà verò reprobis dicitur: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis ejus; esurivi enim, & non dedistis mihi manducare*, &c. Hoc in loco non tantùm agitur de actuali retributione gloriæ pro electis, & supplicii pro reprobis, ob bona vel mala eorum opera; sed etiam de præparatione seu destinatione æterna in mente Dei: *Possidete paratum vobis regnum.* Quid est autem *paratum*, nisi ab æterno destinatum? quare verò destinatum, nisi propter prævisa, quæ futura erant eorum opera misericordiæ; id enim importare videtur hæc causalis: *esurivi enim.* Et verò eodem modo paratum dicitur regnum electis propter bona, quo paratum est reprobis supplicium propter mala eorum opera. At quis, inquiunt, dixerit præparatum in mente Dei seu destinatum reprobis supplicium ante prævisa eorum mala opera. Ergo &c.

Resp. AA. Opera hôc locô non assignari ut causam præparationis gloriæ aut gehennæ, sed ut causam ipsius perceptionis. Id constat ex posteriori loco; non enim ignis paratus est diabolo & Angelis ejus propter prævisa hominum peccata. Unde in illo posteriori loco *Ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus; esurivi enim, & non dedistis mihi manducare*; particula causalis *enim* non refertur ad *paratus est Diabolo & Angelis ejus*, sed ad *ite in ignem æternum.* Sic in illo priori refertur ad *venite & possidete.* Itaque hic planus est sermonis illius sensus, scilicet: *Vos benedicti, qui me esurientem pavistis, possidete regnum vobis paratum. Vos autem impii, qui me esurientem despexistis, ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis ejus.* Quæ verba gratuitæ prædestinationi profectò neutiquàm obsunt.

2do. *Rom.* 8. dicitur: *Quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui.* En præscientiam prædestinationi præviam; *Quos præscivit, prædestinavit*, id est, quos præscivit beneficiô gratiæ Filio suo conformes futuros, hos & prædestinavit.

Resp. Verborum illorum sensum non esse, Deum illos prædestinasse, quos præscivit conformes futuros imaginis Filii sui, adeò ut præscientia futuræ conformitatis cum Christo fuerit causa prædestinationis; sed sensum eorum esse, Deum, illos prædestinando, ipsorum merita in sua prædestinatione præscivisse. Undè ista cum Christo conformitas non est prædestinationis ratio seu causa, sed terminus illius vel effectus; quemadmodùm ex adducto Apostoli loco rectè colligit S. Thomas *ib. lect. 6.* verbô autem *præscivit*, hîc ut & alibi, vel approbationis Scientia, vel Dei prædestinantis decretum intelligitur, ut *Rom.* 11. *Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit*, id est, *prædestinavit*, quemadmodùm docet S. Augustinus *lib. de don. persev. c.* 18. his verbis: *Quando apud aliquos Verbi Dei Tractatores legimus præscientiam Dei, & agitur de vocatione electorum, eandem prædestinationem intelligere oportet.*

3tio. 1. *Cor.* 2. sic ait Apostolus: *Oculus non vidit, nec auris audivit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum.* In hoc loco certè verbum *præparavit*, idem prorsus est ac *destinavit.* Quibus autem Deus immensa illa & ineffabilia bona præparat, seu destinat? nempè iis, qui diligunt illum.

Resp. Quòd ſicut Deus iis, quos ex ſe malos prævidit, pœnam infligendam propter mala eorum opera præparavit, ita pariter iis, quos non ex ſe, ſed ſuô donô bonos futuros ac plenos dilectione Dei in ſua prædeſtinatione præſcivit, regnum propter eorum dilectionem aliave bona opera conferendum præparavit.

4to. 2. *Tim.* 2. ait iterùm Apoſtolus: *In magna domo non ſolùm ſunt vaſa aurea, & argentea, ſed & lignea & fictilia: & quædam quidem in honorem, quædam verò in contumeliam. Si quis ergo emundaverit ſe ab iſtis, erit vas in honorem ſanctificatum & utile Domino*, id eſt, *ob id aptum, ut eligatur à Deo.* Itaque Deus non eligit niſi quos propriô arbitriô benè utendo gratiâ dignos prævidit. Undè 2. Petri c. 1. dicitur: *Satagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem faciatis.*

Confirm. Quia non aliter Deus ab æterno gloriam electis ſuis prædeſtinavit, quàm re ipſa illam confert in tempore. Atqui nulli adulto confert Deus gloriam niſi propter merita. Ergo nec ab æterno ſtatuit ſe ei illam daturum niſi propter eadem ipſa merita.

Reſp. His teſtimoniis palàm evinci, prædeſtinationem non in ordine intentionis, ſed ſolùm in ordine executionis perfici, imò & certam effici per bona opera ac emundationem ab inquinamentis noſtris. Undè etiam electi rectè admonentur, ut benè agant ac piè vivant; niſi enim id præſtarent, prædeſtinati non eſſent.

Ad Confirm. *Diſt. maj.* Non aliter Deus ab æterno gloriam electis ſuis deſtinavit in ordine executionis, quàm re ipſa confert in tempore, *conc.* In ordine intentionis, *neg. maj.* & *conc. min. diſt. conſ.* Ergo Deus nulli adulto confert gloriam niſi ob merita in ordine executionis, *conc.* In ordine intentionis, *neg. conſ.* Sciendum itaque Deum in prædeſtinando duplex habere decretum, unum intentionis, & alterum executionis: decretô intentionis (quod ſolùm hìc ſpectatur) Deus vult ex mera liberalitate gloriam ſine reſpectu ad merita noſtra conferre; decretô autem executionis Deus vult gloriam propter merita in rerum natura poſita actualiter in tempore conferre. Seu, & fortè meliùs adhuc, decretô intentionis Deus vult ex mera liberalitate gloriam per merita tanquam per media obtinendam conferre; decretô autem executionis vult eam propter merita actu poſita in tempore conferre. In decreto igitur intentionis gloria eſt cauſa meritorum ut mediorum propter ipſam: in decreto autem executionis merita ſunt cauſa gloriæ. Undè ſecundùm decretum intentionis ſit prædeſtinatio ante præviſa merita; ſecundùm verò decretum executionis poſt præviſa merita.

Dices. Vel illud decretum intentionis eſt efficax & abſolutum ſine meritis, vel non? ſi ſecundum, tunc habetur intentum. Si primum, ergo etiam in tempore dabitur ſine meritis; cùm voluntas efficax certiſſimè habeat effectum ſuum.

Reſp. Illud decretum intentionis non eſſe efficax ſine meritis (ſiquidem ea importat, ſaltem in obliquo) non tamen præſuppoſitivè ac formaliter, ſed tantùm conſecutivè ac cauſaliter, quia nempè ſunt effectus illius decreti; ſeu, quod in idem redit, non tanquam motiva gloriæ intentæ, ſed ſolùm ut media ad eam obtinendam.

Inſt. Hujuſmodi decreta ſe ſe mutuò deſtruunt; quia decretum intentionis dicit: *Volo dare gloriam gratis*, & alterum dicit: *Volo dare gloriam ex meritis.* Atqui hoc eſt ſe ſe mutuò deſtruere ob oppoſitionem. Ergo &c.

Reſp.

Resp. *neg. maj.* Quia primum decretum excludit merita tanquam motivum gloriæ; secundum verò ea includit non tanquàm motivum, sed tanquam media duntaxat ad eam obtinendam. Undè non secundùm idem sibi opponuntur, sed secundùm diversa, ac proindè possunt simul subsistere.

5to. *Jac.* 2. dicitur: *Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se.* Ergo regnum Dei est propter dilectionem.

Resp. sicut ad 3tium. Quæ responsio fundamentum habere videtur in doctrina S. Augustini. Nam *lib. de prædest. SS. c.* 17. docet, à Deo eligi homines, ut sint fideles, non quia erant: *eligendo*, inquit, *facit divites in fide, sicut hæredes regni.* Igitur oportet intelligere vocationem, qua fiunt electi; non enim eliguntur, quia crediderunt; sed eliguntur, ut credant. Undè electio in nobis dilectionem antevertit. Locus iste etiam de prædestinatione in decreto executionis potest exponi.

6to. *Eccli.* 15. dicitur: *Reliquit Deus hominem in manu consilii sui .... ante illum vita & mors, quod placuerit, dabitur illi.* At si Deus ante prævisa merita de hominis salute decerneret, jam tunc vita & mors ante hominem posita non essent, sed aliquibus vita, & aliis mors, antequàm quidquam eligerent, determinata esset.

Resp. Id intelligendum esse de salute hominis quoad executionem; nempè quia non datur vita æterna nisi volentibus; Deus enim homines sic ad gloriam præordinat, ut ad eam neminem invitum compellat, aut volentem ab ea excludat. Undè etiam sub prædestinatione vita æterna omnibus proponitur, ut eam eligant vel repellant, prout ipsis placuerit. Nihilominùs tamen, quòd quis vitam potiùs, quàm mortem eligat, hoc ipsum & in tempore datur per gratiam.

Dices. Prædestinatus non potest damnari. Ergo ante illum non est mors sicut vita; sed potiùs sola vita, minimè autem mors.

Resp. *Dist. ant.* Non potest damnari potentia consequente, *conc.* potentia antecedente, *neg. ant.* Potentia antecedens est potentia secundùm se seu sufficienter instructa ad operandum: potentia consequens est potentia conjuncta cum actu, seu ad operandum; hæc quidem hîc implicat, quia conjungi nequit actualis damnatio cum prædestinatione, non tamen illa. Nec enim ista sunt incompossibilia, ait S. Thomas *q.* 23. *de verit. a.* 5. *ad* 3. Deus vult istum salvari, & iste potest damnari; sed ista sunt incompossibilia, Deus vult efficaciter istum salvari, & iste damnabitur.

7mo. Denique 1. *ad Tim.* 2. ait Apostolus: *Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Ex quo intelligitur, Deum, quantùm ex se est, omnibus æqualiter gloriam velle. Undè *Sap.* 2. dicitur: *Pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter est ei cura de omnibus.* Alioquin Deus esset acceptor personarum. Atqui hæc testimonia aliter verificari nequeunt, nisi dicatur, Deum omnibus parasse media, quibus quisque pro sua libertate salvari possit; deinde eum prævidisse, qui eis benè usuri essent, quinam abusuri, hacque præscientia illis præmia, istis verò supplicia destinasse.

Resp. His testimoniis evinci quidem, Deum habere erga omnes æqualem *communem* providentiam, non tamen *specialem*; alioquin electi non essent *vasa misericordiæ*, &, quòd præ aliis salvi fierent, in se ipsis, & non in Domino gloriari possent. Non tamen ob id Deus est acce-

ptor personarum, tùm quia in collatione præmiorum, & inflictione suppliciorum non respicit ad personas, ita ut malis ignoscat, quia sunt Reges & filii Abrahæ; bonis præmia deneget, quia sunt pauperes aut non ex stirpe Abrahæ, sed gentilibus orti parentibus: tùm quia personarum acceptio solummodò locum habet in iis, quæ ex justitia redduntur ut debita, sicque uni magis favetur quàm alteri; non verò in iis, quæ ex mera liberalitate conceduntur.

165 Argumentum 2dum. petitur ab auctoritate SS. Patrum Augustinô antiquiorum.

1mo. S. Irenæus *lib. 4. adv. hæref. c.* 38. ex futurorum præscientia existimat dictum esse: *Jacob dilexi, Esau atem odio habui.* & *c.* 48. Deum ex operum prævisione infidelitati tradere eos, quos scivit non esse credituros. 2do. Origenes *in Ep. ad Rom.* dicit, de futuris hominum operibus inspectis de sortibus nostris Deum decernere. 3tio. S. Hilarius in illud Psal. 64. *Beatus, quem elegisti*, scribit electionem non esse rem indiscreti judicii, sed ex meriti delectu factam discretionem. 4to. S. Ambrosius *lib. 3. de fide ad Gratian. Imperat. c.* 2. docet, Deum non priùs prædestinasse, quàm præsciret, sed eorum præmia prædestinasse, quorum merita præsciverat. 5to. S. Chrysostomus *Hom.* 8. *in Matth.* asserit hæc verba: *Percipite regnum, quod vobis paratum est*, idem significare, ac si diceretur: *antequam nati sitis; quia sciebam vos hujusmodi futuros, hæc vobis à me præparata fuere.* Item *Hom.* 31. *in Matth.* affirmat à Christo tunc fuisse vocatum Matthæum, cùm affectus sic erat, ut vocanti morem esset gesturus. 6to. S. Hieronymus in *Ep. ad Hebidiam q.* 10. ait, Deum non salvare sine ratione, & absque judicii veritate, sed causis præcedentibus; nec gentes eligi, sed hominum voluntates. Et in *c.* 1. *Malach.* scribit, nasci ex futurorum præscientia Dei dilectionem.

Resp. AA. cum S. Augustino *lib. de prædest. SS. c.* 14. *Opus non esse, ut saltem eorum scrutemur opuscula, qui priusquàm ista oriretur hæresis* (Pelagiana scilicet) *non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quæstione versari. Quod procul dubio fecissent, si de talibus quæstionibus respondendi necessitas ulli incubuisset.*

Itaque SS. Patres ante exortam hæresim Pelagianam circa alios errores occupati, quæstionem de prædestinatione non ex professo elucidârunt, quia id haud necesse erat; sed solùm obiter, & velut per transennam eam attigisse videntur. Undè factum, ut circa mysterium istud quædam expressiones illis exciderint, quæ minùs accuratæ videri possunt. Jam singillatim ad ea, quæ ex iis ab Adversariis adducuntur, respondent, & quidem

Ad 1mum. S. Irenæus in hoc totus incumbit, ut demonstret, Deum habere omnium præscientiam; quod prædestinationi nihil officit.

Ad. 2dum. Origenis auctoritas hîc nullius est momenti; turpiter enim circa hoc prædestinationis mysterium erravit, prout, sup. retulimus. Undè appositè S. Hieronymus *Ep. ad Ctesiph.* dixit, *Pelagii doctrinam Origenis ramusculum esse.*

Ad 3tium. S. Hilarius de prædestinatione electorum in ordine executionis, non intentionis, est intelligendus.

Ad 4tum. S. Ambrosius similiter de eodem ordine executionis loquitur; nomine autem præscientiæ Dei prædestinantis decretum intelligit, juxta regulam illam S. Augustini *lib. de dono persev. c.* 18. jam sup. memoratam, scilicet: *Quando apud aliquos Verbi Dei Tractatores legimus Dei præscientiam .... intelligere prædestinationem oportet.* Si quid au-

autem opponatur ex Commentario in B. Paulum, nulla dictis fides est adhibenda; Opus enim illud non est S. Ambrosii; tùm quia Pelagius S. Augustino ex his Commentariis nihil opposuit, licèt in ipsis permulta sint, quæ Pelagianum errorem redolent; tùm quia multa ibi continentur, quæ directè adversantur iis, quæ hic S. Doctor in aliis opusculis suis docuit.

Ad ſtum. S. Chrysostomus docuit gratuitam ad salutem prædestinationem. Nam *Hom.* 1. *in Ep. ad Coloss.* in hæc Apostoli verba: *In partem sortis Sanctorum*, ait, S. Paulum ostendisse, neminem propriis operibus bonis cœleste regnum assequi, sed hoc totum Dei beneficio esse tribuendum. Undè dicunt, eum *Hom.* 8. *in Matth.* non aliud velle, nisi quòd Deus electis gratiam præparaverit, ut gloriam ipsis prædestinatam mereantur; non verò Deum electis ob merita gloriam decrevisse. *Hom.* autem 31. loquitur similiter de decreto prædestinationis in ordine executionis, non autem in ordine intentionis.

Ad 6tum. Denique. S. Hieronymus priori locò, ad salutem eligi homines, tradit, ratione bonarum suarum voluntatum; sed quas Deus prædestinatione sua in illis operetur, ut gloriam suis consequantur meritis. In *c.* 1. *Malach.* verò loquitur de approbationis præscientia, qua scilicet Deus in suo proposito, ut in fonte omnis nostræ bonæ voluntatis præscivit, qui ejus donò merita ac perseverantiam essent habituri, quæ quidem præscientia in prædestinatione includitur, imò ordine executionis prædestinationem ad gloriam antecedit, licèt eam secundùm ordinem intentionis subsequatur. Et sic ad alios aliorum SS. Patrum textus communiter respondere solent.

166 Argumentum. 3tium. petitur ex doctrina S. Augustini multis in locis. 1mo. *Lib. de prædestinat. Dei c.* 5. docet hos Deum ad gloriam prædestinasse, quos ipse suos fide & opere pranovit esse futuros. 2do. *Lib.* 83. *quæst. quæst.* 68. ita loquitur: *Cujus vult miseretur, & quem vult indurat; sed hæc voluntas injusta esse non potest; venit enim de occultissimis meritis.* 3tio. *Lib. de Spirit. & litt. c.* 5. ait: Deum præscivisse, ut prædestinaret. 4to. *Tract.* 76. *in Joan.* dicit, Deum propter dilectionem aliquos elegisse. 5to. *Serm.* 7. *de verb. Dom. secundùm Matth.* scribit, Deum quosdam secundùm suam gratiam & secundùm illorum justitiam elegisse. 6to. Denique *lib.* 1. *ad Simplician. q.* 2. hæc habet: *Quia manet Dei propositum, ut justificet credentes, ideò invenit opera, quæ jam eligat ad regnum cælorum: nam nisi esset electio, non essent electi, nec rectè diceretur, quis accusabit adversùs electa Dei? non enim electio præcedit justificationem, sed electionem justificatio; nemo enim eligitur nisi jam distans ab eo, qui rejicitur. Undè quod dictum est, quia elegit nos Deus ante mundi constitutionem; non videò, quomodò sit dictum, nisi per præscientiam.*

Resp. AA. Ad 1mum. Librum de prædestinatione Dei (sicut etiam de prædestinatione & gratia) non esse S. Augustini; quia à nullo veteri Auctore laudatum, nec stylum S. Augustini sapit.

Ad 2dum. S. Augustinus eo loci de reprobatione vel de subtractione gratiæ potiùs loqui videtur, quàm de prædestinatione: sed nemo non fatetur, reprobationem, saltem positivam, ac subtractionem gratiæ non fieri nisi ex demeritis.

Ad 3tium. Præscientiæ nomine approbationis scientiam, quemadmodùm & in aliis locis, hîc intelligit S. Augustinus.

Ad 4tum. De prædestinatione in ordine executionis, non in ordine intentionis loquitur. Ad 5tum. eadem est responsio.

Ad

Ad 6tum. Resp. 1mo. S. Augustinum quæstiones has ad Simplicianum scripsisse antequam hæresis Pelagiana orta fuisset, & primô sui Episcopatus annô, cùm nempè hujus quæstionis altitudinem nondùm discussisset. *Nondum*, inquit *lib.* 2. *re tract. diligentiùs quæsieram, nec adbuc inveneram, qualis sit electio gratiæ, de qua idem dicit Apostolus, Reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt, quæ utique non est gratia, si merita ulla præcedant, &c.* Hæc S. Augustinus. Undè mirum non est, si in hoc quæstionum Opere quædam expressiones inveniantur minùs exactæ circà electionem prædestinatorum.

Dices. S. Augustinus *lib.* 2. *retract.* ubi etiam minima alibi à se minùs accuratè dicta corrigit, equidem illius quæstionis meminit, at nihil in ea dictum retractat; quin imò, quidquid ibi de gratia disserit, illud ita probat in *Lib. de prædest. SS.* ut illuc remittat Lectorem suum, si veram de gratia sententiam suam assequi velit.

Resp. Equidem fatendum esse, S. Augustinum ea, quæ scripserat in memorata quæstione in particulari non reprehendere: innuit tamen in genere aliquid in eo Opere minùs exactum esse posse, cùm ait: *In illo laboratum est quidem pro libero arbitrio humanæ voluntatis, sed vicit Dei gratia, nec nisi ad illud potuit perveniri, ut liquidissima veritate dixisse intelligatur Apostolus: Quis enim te discernit? quid autem habes, quod non accepisti? id est, totum dandum esse gratiæ.* Quibus verbis laudat quidem disputationis conclusionem, innuit tamen in decursu quædam fuisse dicta libero arbitrio faventiora. Undè *Lib. de prædest. SS.* Lectorem, seu potius Massilienses Presbyteros ad eam quæstionem remittit non propter singulas expressiones, in ea contentas, sed propter conclusionem, qua hæresim Semipelagianam etiam nondùm sibi cognitam confutavit. Ibi enim clarè demonstratur salutis initium seu credendi voluntatem à Dei gratia proficisci.

Resp. 2do. Quòd, quando S. Augustinus loc. cit. dicit, quòd electionem præcedat justificatio, & quòd, quando Apostolus dicit: *Elegit nos Deus ante mundi constitutionem*, hoc non fit dictum nisi per præscientiam, loquatur de electione ad gloriam in ordine executionis, non in ordine intentionis. Vel nomine præscientiæ intelligit scientiam fundatam in decreto, prout ipsemet *lib. de bon. persev. c.* 18. se ipsum & alios SS. Patres exponit.

Argumentum 4tum. petitur ex diversis rationibus. Igitur Arguitur 1mo. 167
Qui ordinatè vult, priùs intendit merita, quàm mercedem. Atqui Deus prædestinando ad gloriam intendit illam ut mercedem & præmium. Ergo prædestinando ad gloriam priùs intendit merita, ac proindè prædestinatio supponit prævisa merita. *Min.* patet. *Maj.* etiam constat; quia merita sunt causa moralis mercedis. Ergo etiam priora mercede ipsa.

Resp. AA. *Dist. maj.* Qui ordinatè vult, priùs intendit merita quàm mercedem in ordine executionis, *conc.* In ordine intentionis, *neg. maj.* & *conc. min. Dist. conf.* Ergo prædestinando ad gloriam priùs intendit merita quàm mercedem, in ordine executionis, *conc.* in ordine intentionis, *neg. conf.* Itaque quando tùm merita tùm ipsa merces quoad ipsorum esse sunt in alicujus potestate, tunc qui ordinatè vult, priùs in ordine intentionis vult mercedem quàm ipsa merita, cùm ordinatè procedendo non possit velle efficaciter merita ipsa, nisi ex supposito, quòd voluerit absolutè ipsam mercedem; quia alioquin hujusmodi volitio circa merita esset inutilis;

ac

at tùm ipsa merita, tùm eorum in manu Dei sunt. Ergo certè in ordine intentionis priùs vult gloriam tanquam mercedem, quàm ipsa merita; sicque apud Deum merces non est effectus meritorum (saltem in ordine intentionis) sed potiùs est causa finalis & ratio, cur hujusmodi merita intendantur. Res tamen se aliter habet apud Ducem, is enim, quia militis sui merita in sua potestate haud sunt, sed solùm in militis voluntate; hinc mercedem absolutè velle nequit, nisi priùs visis meritis.

Inst. 1mo. Ideo etiam in ordine intentionis priùs merita, quàm merces, intenduntur; quia ante prævisa merita non datur merces. Atqui, ut palam est, ante prævisa merita non datur merces; quia sic potiùs esset donum gratuitum. Ergo &c.

Resp. *neg. maj.* utpotè falsam; quia à decreto executionis arguitur ad decretum intentionis. In forma tamen sic *dist.* Ideò priùs merita, quàm merces, intenduntur, quando ante merita prævisa non datur merces tanquàm propter merita, *conc.* tanquàm per merita obtinenda, *neg. maj.* & *dist. min.* Sed ante prævisa merita non datur merces tanquàm propter merita, *conc.* tanquàm per merita obtinenda, *neg. min. & consʃ.* Bifariam igitur potest aliquid intendi per modum præmii, scilicet *propter merita*, vel *per merita.* 1mô modô merita rationem habent causæ moralis respectu præmii: 2dô modô merita rationem habent effectûs. Itaque ex hoc argumento solùm sequitur quòd merita debeant attingi à decreto intentivo præmii, ut ejus effectus, non autem ut illius motiva.

Inst. 2do. Quod datur ante prævisa merita, illud non debetur ex justitia. Atqui quod datur tanquàm merces, illud debetur ex justitia. Ergo &c.

Resp. *Dist. maj.* Quod datur ante merita prævisa, ut per merita tamen obtinendum, illud non debetur ex justitia, si nempe nulla ponantur merita, *conc.* Secùs, *neg. maj.* &c.

Inst. 3tio. Cujus est proportionare mercedem juxta merita, ille ante prævisa merita mercedem non intendit, nisi imprudenter agendo. Atqui Dei est proportionare mercedem juxta merita. Ergo &c.

Resp. Id verum esse in eo, qui merita alterius in sua non habet potestate; falsum verò in eo, qui hujusmodi habet. Prætereà quia Deus vult talia merita, qualem vult dare mercedem, jam merces à Deo in ordine intentionis non proportionatur juxta merita, sed potiùs merita juxta mercedem; & sic priùs intenditur ab eo merces, quàm merita, non tamen in sensu præcisivo, sed tantùm causali; quia non præscindit à meritis qui intendit gloriam ut causam meritorum.

Inst. 4to. Quia pœna ut pœna est effectus demeritorum, sic fieri nequit, ut efficaciter à Deo præordinetur ac intendatur absque prævisis demeritis ut motivis. Ergo etiam fieri nequit, ut merces qua merces est, efficaciter intendatur absque prævisis meritis ut motivis illius; quia merces quà talis non minùs est effectus meritorum, quàm pœna demeritorum.

Resp. *Dist. causalem ant.* Præcisè quia est effectus demeritorum, *neg.* Quia aliàs pœna ut pœna non est de primaria intentione Dei, sed bonum occasionatum, *conc. ant.* & *neg. consʃ.* Quia merces quà talis, non est bonum occasionatum, sicut pœna, sed per se amabile, & ideò potest ratione sui in ordine intentionis amari absque occasione ac prævi-

ſione meritorum, ſaltem tanquàm illius motivorum. Undè ad rationem adjectam dicunt, eam veram eſſe in ordine executionis, non tamen in ordine ac decreto intentionis.

Arguitur 2do. Si prædeſtinatio ad gloriam fieret ante prævisa merita, tunc etiam reprobatio fieret ante prævisa demerita ad æternam damnationem. Sed falſum hoc conſequens. Ergo & antecedens.

Confirm. Quia in reprobatione non datur ordo intentionis, in quo Deus velit efficaciter æternam damnationem, priusquàm demerita præſciantur. Ergo nec in prædeſtinatione ad gloriam.

Reſp. Ad Argum. *neg. maj.* cujus ratio ex ſolutione ad prius argumentum data facilè eruitur: tùm etiam, quia deputando ad præmium ſine prævisis meritis nemini fit injuria, at bene ſine demeritis deputando ad pœnam.

Ad Confirm. *conc. ant. neg. conſ.* ex ratione in priori reſponſione allata.

Arguitur 3tio. Deus habet voluntatem antecedentem & conditionatam ſalvandi omnes homines, ſi nempe in bono perſeveraverint. Ergo electio ad gloriam fieri non poteſt ante abſolutè prævisa merita. *Prob. conſ.* Volitio conditionata non tranſit in abſolutam niſi impleta conditione. Atqui voluntas antecedens ſalvandi omnes homines eſt conditionata, ſi nempè in bono perſeveraverint. Ergo non tranſit in abſolutam niſi poſitâ hujusmodi perſeverantiâ. *Subſ.* Sed per electionem efficacem ante prævisa merita non intelligitur conditio formaliter adimpleta; alioquin hoc ipſo intelligeretur formaliter poſita perſeverantia finalis, & conſequenter electio non eſſet facta ante prævisa merita, ſed ſimul cum prævisis meritis. Ergo poſita electione efficaci ad gloriam ante prævisa merita intelligitur adhuc eſſe ſuſpenſa & conditionata, atque Deus intelligitur adhuc velle conditionatè dare gloriam.

Reſp. 1mo. *trans. arg. neg. ſubſ.* vel *diſt.* Per electionem efficacem ante prævisa merita non intelligitur conditio adimpleta tanquàm motivum ipſius gloriæ intentæ, *conc.* tanquàm medium ad eam obtinendam, *neg. ſubſ.* Itaque dici poteſt, quòd electio efficax non ſine meritis fiat, non quidem in recto importatis, ſed tantùm in obliquo. Undè ſicut intelligi non poteſt cauſa, quin etiam ejus prævideatur effectus, ſic etiam nequit intelligi electio efficax, quin etiam merita tanquam effectus illius prævideantur.

Reſp. 2do. & quidem meliùs. Totam hujus argumenti efficaciam laborare falsô ſuppoſitô. Supponit enim voluntatem antecedentem, qua Deus vult omnem hominem ſalvum fieri, eſſe conditionatam, ſcilicet ſub hac conditione: *ſi homo benè vixerit, & in bono finaliter perſeveraverit.* Hoc autem falſum eſſe indè evincitur, 1mo. Quia S. Auguſtinus in *Enchirid. c. 25. & 27.* ſic ait: *Multi ſalvi non fiunt, non quia ipſi nolint; ſed quia Deus non vult: quod absque ulla controverſia manifeſtatur in parvulis.* At, inquiunt, juxta hunc, quem impugnamus, dicendi modum, multi ſalvi non fierent, quia ipſi nolunt; eò quòd nolint purificare conditionem, ut nimirùm benè operentur, & finaliter perſeverent. Ergo &c. 2do. Si vera hæc eſſet doctrina, tunc ſequeretur, quòd totum prædeſtinationis negotium conſiſteret in eo, quòd purificetur conditio; ac proinde per hoc tantùm, quòd homo per liberum voluntatis conſenſum intelligeretur determinare voluntatem illam antecedentem, hoc ipſo intelligeretur eſſe prædeſtinatus, & à reprobis diſcretus. Atqui hoc admitti nequit; quia repugnat S. Scripturæ:

Quis

Quis te discernit? *&c.* 3tio. Voluntas antecedens salvandi omnes homines non tantùm complectitur adultos, sed etiam parvulos ante susceptum Baptismum decedentes: sed, prout se extendit ad hujusmodi parvulos, non potest esse conditionata, sub conditione nimirùm, si benè vixerint, ut constat. Ergo. &c.

In forma autem respondent *neg. ant.* quoad secundum ejus membrum, scilicet voluntatem illam esse conditionatam, saltem sub memorata conditione; voluntas quippè antecedens de omnium hominum salute est simplex quædam complacentia ab omnibus abstrahens circumstantiis, quæ licèt in Deo propriè fuerit, attamen ob alios fines, ac præcipuè attributorum suorum manifestationem, voluit Deus ante omnem meritorum ac demeritorum præscientiam, ut quidam beatitudinem adipiscerentur, alii verò ab eadem excluderentur.

Inst. v. g. Petrus non potest habere has duas voluntates, quarum una dicat: *dono tibi hunc librum si saltaveris*; altera verò dicat: *dono tibi hunc librum absolutè & independenter ab omni conditione*; quia per secundam voluntatem corrigeret primam. Ergo à pari de prædestinatione dicendum est.

Resp. Hanc Instantiam eodem falso laborare supposito. Undè non est ad propositum.

At inquies. Implicat voluntatem in idem objectum ferri efficaciter simul & inefficaciter. Atqui si fieret electio efficax ante prævisa merita, tunc voluntas Dei ferretur efficaciter simul & inefficaciter ad salutem hominum; inefficaciter quidem vi voluntatis antecedentis; efficaciter verò vi electionis efficacis ad gloriam. Ergo &c.

Resp. *dist. maj.* Implicat voluntatem in idem objectum ferri efficaciter simul & inefficaciter sub eadem prorsùs ratione, *conc.* sub diversâ ratione, *neg. maj.* Porrò Deus voluntate antecedente vult salutem hominum ex motivo ostendendi magnitudinem suæ bonitatis, in quantum immerentibus præparat media sufficientia ad sibi comparandam beatitudinem æternam. At verò voluntate consequente vult salutem nonnullorum ex motivo ostendendi multitudinem misericordiæ suæ, ac independentissimam potestatem suam iisdem efficacia media & ad salutem consequendam aptissima præparando. Ubi vides, diversa hìc intervenire motiva, quibus tollitur omnis implicantia.

Arguitur 4to. Secundùm S. Scripturam numerus electorum comparatè ad numerum reproborum est valdè exiguus. Atqui non videtur divinæ bonitati consentaneum hanc electorum paucitatem referre in solum beneplacitum divinæ voluntatis; superexaltat enim misericordiam judicio, & pronior est ad parcendum, quàm puniendum; undè & misericordiâ ejus plena est terra. Ergo illa referri debet in iniquam hominis voluntatem, quæ non consentit gratiæ prædestinationis.

Resp. 1mo. Hanc exiguitatem numeri salvandorum in peccatum originale velut in causam refundendam esse juxta doctrinam S. Augustini, in *Enchirid. c. 99.*

Resp. 2do. Hujusmodi exiguitate Deum eminentiam ac celsitudinem divinæ electionis demonstrare voluisse; videmus enim, quòd, quantò aliqua sunt excellentiora, tantò sint rariora, ut patet in auro, gemmis, &c. Adde, quòd intentio Dei fuerit speciali titulò sibi devincire electos, quapropter raram oportuit esse electionem; nam, ut ait Seneca, *quod voles gratum esse, rarum effice.* Verùm, nostrò equidem judiciò, præcipua exigui, si tamen exiguus est, hujus electorum numeri ratio est Dei ipsius voluntas, hicque cum S. Augustino dicendum, *Tota ratio facti est voluntas agentis Dei.* Undè, missis omnibus aliis ra-

rationibus, cum Apostolo potiùs exclamandum: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei: quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus: & investigabiles viæ ejus! Rom.* 11.

168 Argumentum 5tum. petitur ex variis absurdis, quæ ex illa sententia sequuntur.

1mo. Quòd frustraneæ ac illusoriæ essent omnes promissiones factæ in S. Scriptura; quales sunt v. g. *Qui perseveraverit usque in finem, &c.* 2do. Quòd per hanc gratuitam prædestinationem minueretur in homine zelus salutis suæ; quia quilibet diceret, vel sum prædestinatus, vel non sum? si primum, ergo quidquid egero, salvabor; si secundum, ergo iterùm quidquid egero, damnabor. 3tio. Quòd dæmon pro seductione hominum non adeò laboraret præsertim in articulo mortis, cùm sciat omnem suum laborem quoad prædestinatos esse frustraneum; ex reprobis verò illi nullum effugere posse. 4to. Quòd Deus sincerum affectum non haberet omnes salvandi. 5to. Quòd Deus frustrà quereretur, se tot laboribus suis nihil efficere. 6to. Quòd tolleretur omnis correptionis, exhortationis, & prædicationis necessitas. 7timo. Quòd hæc sententia inducat desperationem; quia decreta Dei sunt immutabilia. 8tavo. Quòd non prædestinati ad vitam æternam tamdiu reserventur in hac vita, donec ruant, & ita in æternum pereant, quod superat divinam bonitatem & misericordiam. 9no. Quòd introduceretur fatalis necessitas, nec gloria merces ampliùs esset. Atqui hæc omnia sunt maxima absurda. Ergo. &c.

Resp. AA. 1. Hæc omnia aut similia S. Augustino objecisse Semi-Pelagianos, Ea tamen hunc S. Doctorem nihil moverunt, quominùs sententiam suam de gratuita prædestinatione constanter tueretur.

Resp. 2do. ad singula. Et quidem Ad 1mum. *neg.* quòd hujusmodi promissiones forent frustraneæ vel illusoriæ; nam licèt apud Deum salutis exitus incertus haud sit, apud nos tamen ac in executione futurus est incertus, necnon à conditione finalis perseverantiæ pendens. Imò his stimulis egemus, inquiunt, ut ad salùtem operandam excitemur; quia prædestinatio nostrum agendi modum omninò illæsum servat. Nec verò Deus reprobis illudit, cùm salutem promittit, si in bono perseveraverint; quia re vera ita est; habent enim sufficientia media, ut perseverare valeant in bono, si quodpiam agant aut agere velint.

At dices. Novit Deus eos nolituros. Fatemur, inquiunt, id Deo haud esse incognitum; sed hoc propriâ eorum accidit culpâ, ut qui Deo vocanti cordis sui aures obturent. At dura eorum corda per gratiam suam efficacem emollire posset: & quis dubitat? Sed quòd non faciat; id ad inscrutabilia ipsius judicia referendum. Et certè in Adversariorum sententia non desunt gratiæ, quibus Deus posset contumaciam illam emollire, si vellet, & tamen non facit.

Ad 2dum. Resp. *neg. sequel. cum sua prob.* Nam Deus ita prædestinat ad gloriam, ut electus nonnisi bonis operibus eam consequatur.

Ad 3tium. Resp. *Dist.* Dæmon pro seductione hominum non tantùm laboraret in articulo mortis, si sciret, quinam essent prædestinati, *conc.* secus, *neg.* Scit enim Diabolus, quòd Deus neminem positivè reprobet, nisi à concupiscentia sua illectus superetur, & ideò fortiter tentat, ut vincat.

Ad 4tum. *Neg. seq.* Quia si Deus sinceram non haberet voluntatem circa omnium salutem, sed tantùm simulatum gereret affectum, non omnibus præpararet auxilia sufficientia perveniendi ad æternam gloriam. Undè

Ad 5tum. Patet, inquiunt, Deum justissimam conquerendi materiam habere,

rè, cùm omnibus det auxilia sufficientia, daturus efficaciora, nisi impedimenta iis apponerent reprobi.

Ad 6tum. Resp. *dist.* Tolleretur omnis correptionis, &c. necessitas, si hæc non essent ipsissima media à Deo ordinata ad omnes homines excitandos ad bene operandum, & quorum adminiculô Deus statuit dare uberiora auxilia, *conc.* secùs, *neg.*

Ad 7timum. Resp. *neg. seq.* Nam quod auget humilitatem, etiam majorem excitat in Deum fiduciam, quæ vincit omnem desperationem. Undè falluntur ii, qui existimant hanc sententiam consolationi ac ædificationi Fidelium minùs aptam esse, & à pulpitis eliminandam: nam humiles potenter erigit & consolatur spe divinæ misericordiæ, dùm audiunt humanæ infirmitati potentissimum auxilium esse repositum apud Deum, qui misericorditer decrevit aliquibus ita succurrere, ut sufficientibus ac communibus auxiliis ipsi non deficiant; superbos verò utiliter conturbat, ne de se præsumant, dum audiunt salutem esse à Domino, perditionem autem ex nobis; quô fit, ut, de suis viribus diffisi, majorem habere ad Deum spem & fiduciam discant. Cùm è contrà prædestinatio juxta mentem adversariorum, ut ut superbos & de se præsumentes stultâ lætitiâ & vana consolatione afficiat, humiles tamen vehementiùs conturbabit, ac mœrore afficiet.

Ad 8vum. Resp. Potiùs contrarium indè inferri debere; quia Deus illos expectat, ut convertantur; id enim fieri potest potentia antecedente (ut sup. dictum est) non verò ut malè operentur; cùm prava opera illi placere nequeant. Prætereà id oritur ex rationibus divinæ providentiæ suæ, quibus cuilibet rei constituit terminos, qui præteriri non poterunt.

Ad 9num. Denique jam suprà responsum est. Ibi enim non imponitur necessitas, ubi non tollitur libertas. Atqui gratuita prædestinatione non tollitur libertas; quia Deus prædestinando relinquit potentiam ad oppositum, & sic per actus contingentes & liberos ad gloriam electos suos perducit.

§. IV.

Declaratio Auctoris circa utramque hanc sententiam. 69

AUctori nostro probabilius esse videtur, electionem prædestinatorum ad gloriam non fieri ex prævisis meritis, nec illa respicere ut motiva, quibus Deus inducatur ad illos eligendos, sed ut effectus ab ipsa derivatos; nam pro hujusmodi conclusione eidem videntur validiora esse testimonia tùm S. Scripturæ, tùm S. Augustini, quàm pro ejus opposita. Prætereà, an non, inquit, prædestinatio parvulorum palàm incipit ab efficaci intentione gloriæ? Nam quo motivo induci potuit Deus, ut uni parvulo præ alio Baptismum ante mortem provideret, vel mortem statim post Baptismum? nisi quia illum præ alio gratis voluit salvare, eaque intentione Baptismum & mortem disposuit eo modo, quo expediebat, ut re ipsa salvaretur. Cur non & idem de adultis dicemus?

Ad Adversariorum responsa sup. §. 2. data autem sic ipse respondet, eaque confutat.

Contra Responsionem ad 1mum. testimonium est 1mo. quia S. Augustinus *de prædest. SS. c.* 17. claré exponit illum textum de illa electione, qua Deus electos vocavit, justificavit, ac glorificavit: hæc autem est electio non tantùm ad gratiam, qua justificamur, sed etiam ad gloriam, per quam glorificamur. Contrà est 2do. quia idem S. Doctor *lib.*

de corrept. & grat. c. 7. loquitur de illa electione, per quam electi discernuntur à vocatis. Sed per electionem ad gratiam electi non discernuntur à vocatis; in hac enim electione conveniunt. Ergo &c. Contrà est 3tio. quia hunc locum S. Thomas exponit de electione ad gloriam; nam *lect.* 1. illud interpretaturus ait: *Ut essemus sancti in æterna beatitudine.* Contrà est 4to. Quia Apostolus loquitur de illa electione, per quam prædestinati distinguuntur à non prædestinatis. Ergo &c. *Prob. ant.* De illa electione loquitur, per quam illi eliguntur, quos benedixit Deus in omni benedictione spirituali. Atqui hujusmodi electio solis prædestinatis est propria; omnis enim benedictio necessariò etiam involvit donum perseverantiæ, & consecutionem gloriæ, quæ reprobis utique non sunt communia. Nec ea, quibus prædicta responsio innititur, sunt momenti alicujus. Non 1mum. quia Apostolus saltem id sperare potuit. Præterea ibi loquitur in genere. At palàm est, quòd locutio generalis sensum habeat accommodum, eosque solummodò afficiat ac tangat, qui re ipsa tales sunt, quos exprimit locutio. Et hæc eadem responsio valet ad 2dam. responsionem.

Contra 1mam. Responsionem ad 2dum. testimonium obstat auctoritas S. Thomæ. Nam ad illum textum *lect.* 2. sic loquitur: *Sicut dilectio de qua hic loquitur* (Apostolus) *pertinet ad æternam Dei prædestinationem, ita odium, de quo hic loquitur, pertinet ad reprobationem, qua Deus reprobat peccatores; nec est dicendum, quòd ista reprobatio sit temporalis.* Præterea id sufficienter innuitur ex verbis, quæ ibidem adjecit Apostolus, dùm eodem cap. v. 16. ita concludit: *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Et *v.* 20. vanam & superbam nonnullorum querimoniam reprimit his verbis: *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit, quid me fecisti sic? an non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Ubi planè non de bonis temporalibus, sed de cœlestibus fit mentio.

Contra 2dam. Responsionem est, quia S. Augustinus *lib. de corrept. & grat. c.* 7. textum citatum intelligit de illis, *quorum nemo perit.* Sed illi, quorum nemo perit, sunt electi ad gloriam. Ergo.

Responsio autem 3tia. subsistere nequit; nam expositionem ibi adductam refutant S. Pauli admiratio, & verba, quæ subdit: *Miserebor cujus misereor. Igitur non volentis, neque currentis sed miserentis Dei.* Dicere enim posset, Jacob non fuisse electum ex Dei misericordia, sed ex suis operibus prævisis, atque ita suam electionem non Deo miserenti, sed sibi benè operanti tribuendam esse.

Contra Responsionem ad Argumentum 2dum. ab auctoritate S. Augustini desumtum est 1mo. quia S. Augustinus in primo testimonio loquitur de electione discernente cæteros Apostolos à Juda & reprobis. At electio ad gloriam in semine non sic discernit, cùm Judas ad idem semen fuerit electus. 2do. Electio ad gratiam finaliter perseverantem independens à meritis eamdem patitur difficultatem, quam electio ad gloriam à meritis independens. Ergo si illa à meritis prævisis non dependet, etiam hæc à meritis non dependebit. 3tio. S. Augustinus ait: *Apostolos electos esse ad regnandum cum Christo, non quomodò electus est Judas.* Si autem de sola electione ad gratiam ageret, non solùm non diceret *ad regnandum cum Christo*, sed neque excluderet Judam, cùm ille ad gratiam, non secùs ac alii Apostoli, electus fuerit. 4to S. Augustinus in 2do. testimonio manifestè videtur demonstrare prædestinationem ad gloriam gratuitam, & non ad gratiam; nam

nam ibi mentionem facit de vita æterna quà futura, seu quæ nobis redditur in futuro: At gratia in futuro nobis non reservatur, sed hîc in via nobis subministratur. Præterea dicit, quòd hæc vita æterna potuisset appellari stipendium justitiæ, sed gratia neutiquam appellari potest stipendium justitiæ; quia alioquin gratia non esset gratia. Ergo S. Augustinus loc. cit. intelligi nequit de prædestinatione ad gratiam, sed ad solam gloriam. 5to. Denique, S. Augustinus in 3tio. testimonio loquitur de illis, quos Deus magnificat post hunc mundum. At certè qui eliguntur ad gratiam, non semper magnificantur post hunc mundum, ut de Juda jam dictum. Ergo S. Augustinus ibidem non loquitur de electione ad gratiam, sed ad gloriam.

Porrò Responsa ad auctoritatem S. Thomæ variis testimoniis suffultam & stantem pro gratuita electione ad gloriam non convincunt; nam, licèt in cit. quæst. illâ de prædestinatione tàm ad gratiam quàm ad gloriam tractet, attamen sufficienter innuit, quòd Deus priùs intenderit gloriam quàm gratiam eo ipso, quòd dicat Deum priùs voluisse gloriam, quàm merita, ergo etiam priùs, quàm gratiam; nam gratia & merita concomitanter se habent; sicut enim merita absque gratia dari nequeunt, sic & gratia saltem efficax sine meritis esse nequit. Hocque corroboratur verbis ipsiusmet S. Thomæ *cit. q. a.* 5. ubi, *Deus*, inquit, *præordinavit se daturum alicui gloriam ex meritis, id est, per viam meriti, & præordinavit se daturum alicui gratiam, ut mereatur gloriam.* Ubi vides, Deum incipere ab intentione gloriæ, deindè verò ex ea intentione ordinare gratiam electis, ut re ipsa mereantur gloriam. Undè *ibid. ad.* 3. dicit: *Quare hos elegit in gloriam, & illos reprobavit, non habet rationem nisi divinam voluntatem.*

Nec valet suprà data responsio S. Thomam videlicet his verbis intelligi debere de prædestinatione comparativa; nam licèt ibi comparatio videatur facta respectu reproborum, attamen per hoc non tollitur, quòd electio in gloriam nullam habeat rationem nisi divinam voluntatem; sed manet intacta S. Thomæ sententia, nempè, *Quare hos elegit in gloriam .... non habet rationem nisi divinam voluntatem.* Præterea hic S. Doctor ibi potiùs per similitudinem, quàm per comparationem loquitur; hunc enim sensum faciunt ejus verba: *Quare hos elegit in gloriam non habet rationem nisi divinam voluntatem*, sicuti, quòd & hos reprobaverit aliam rationem non habet. Et certè quòd respectu saltem electionis absolutè loquatur, facilè constat ex Corpore illius Articuli; nam cùm responsio *ad* 3. sit confirmatio ac corroboratio Thesis & veritatis in Corpore Articuli defensæ, liquet, quòd si in Corpore Articuli fuerit facta mentio de sola prædestinatione absoluta, responsio *ad* 3. etiam de eadem loqui debeat. Porrò S. Thomam in Corpore Articuli de prædestinatione absoluta sermonē habuisse, facilè patet ex sequentibus verbis ibidem adjunctis: *Manifestum est autem, quòd id, quod est gratiæ est prædestinationis effectus, & hoc non potest poni ut ratio prædestinationis, cùm hoc sub prædestinatione concludatur.* Quæ verba, si benè ponderentur apertè corroborant sententiam nostram.

Contra 1mam. Responsionem Argumenti 4ti. est; quia ratio ibi adducta non solùm subsistit ubi finis se habet per modum doni gratuiti, sed etiam ubi se habet per modum mercedis, posito saltem, quòd merita sint in potestate Remuneratoris; nam tunc certè non intenduntur merita, nisi merces pro priori fuerit constituta.

Con-

Confirm 1mo. Quia Deus non vult merita nisi propter gloriam ut se habentem per modum mercedis. Atqui non volendo ipsa merita nisi propter gloriam ut se habentem per modum mercedis, jam hoc ipso vult gloriam ut mercedem ante merita, cùm aliàs illa non vellet propter ipsam. Ergo &c.

Confirm. 2do. Quia quamvis finis intendatur ut merces & præmium, ex eo tamen non deperdit rationem causæ finalis. Atqui causæ finali essentialiter convenit esse rationem à priori electionis mediorum. Ergo licèt finis intendatur ut merces, nihilominùs prior erit electione mediorum; atque adeò gloria etiam intenta ut merces, in intentione tamen prior erit meritis.

Contra Responsionem 2dam. est; quia ex causa æqualiter se habente ad plures æquales, inæqualis effectus oriri nequit. Atqui intentio illa antecedens æqualiter se habet ad omnes homines pro tunc adhuc æquales; quia necdum habent merita, quibus se distinguant. Ergo ex illa generali voluntate oriri nequit, ut Deus aliquibus præ aliis specialiora præparet auxilia. Ad exemplum ibi adductum neg. quòd talis Pater non efficaciter intendat Doctoratum Filii sui; quia, si in potestate Patris esset, inclinaret voluntatem Filii sui ad cooperandum mediis ab ipso subministratis, nec quidquam omitteret, ut Filius suus non consequeretur Doctoratum.

Neque Responsio 3tia. est majoris efficaciæ; nam quòd finis sibi aut alteri intendatur, parùm refert, dummodò sit ratio volendi media ad ejus consecutionem necessaria. Atqui gloria prædestinatis volita, cùm rationem habeat finis, sic est ratio volendi gratiam & merita ad ejus consecutionem necessaria. Ergo illa priùs debet esse intenta & volita, quàm gratia & merita.

Contra Responsionem ad 5tum. & ultimum Argumentum est 1mo. quòd aliqui per totam vitam piè vixerint, undè magna ac copiosa habuêre gratiæ auxilia, & tamen in fine vitæ à Deo recesserint. Et è contrà quidam sceleribus contaminatam totam traduxerint vitam; at in fine vitæ pœnitentiam egerint; & hi utique pauciora habuêre gratiæ adjumenta, & tamen fuerunt prædestinati.

Contrà est 2do. quia hæc major gratia vel est donum perseverantiæ, vel non. Si secundum, tunc manet Argumentum. Si primum, ergo cùm Deus donum perseverantiæ finalis non velit, nec velle possit, nisi propter aliud, quod est ipsa gloria, liquet, quòd hæc potiùs erit prima ratio discretionis prædestinatorum à non prædestinatis, & non ipsa finalis perseverantia; nam *propter quod unumquodque tale, & illud magis tale.*

170 EXERCITATIO DECIMA.

De necessitate Gratiæ actualis circa operationem boni honesti.

Ad Cap. 5. Sect. 1. §. 2. n. 153. Tract. 4. Tom. II. Theol.

QUæstio hîc principaliter movetur, an homo lapsus aliquod bonum opus morale naturalis ordinis facere queat absque speciali auxilio gratiæ, quando nulla,

nulla, saltem gravis, urget tentatio? Quod priusquam expendamus, quædam veniunt præmittenda.

§. I.

171 *Quædam scitu necessaria præmittuntur, ac præsupponuntur.*

SUpponitur itaque 1mo. Hominem absque speciali Dei auxilio non posse aliquod bonum opus, quod ad salutem pertineat, perficere. Ita jam olim in variis Conciliis definitum est contra Pelagianos & Semipelagianos, ac novissime in Concilio Tridentino *Sess. 6. Can.* 3. his verbis: *Si quis dixerit, hominem sine præveniente Spiritûs S. inspiratione, atque ejus adjutorio, credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, &c. Anathema sit.* Neque obstat, quòd, *hominis sit præparare animam*, Prov. 6. nam istud S. Scripturæ testimonium, sicut & quædam alia huic similia commendant quidem liberam nostræ voluntatis cum gratia cooperationem, neutiquam autem gratiæ prævenientis necessitatem excludunt. Id confirmat alio S. Scripturæ testimonio laudatum Conc. Trid. cit. Sess. c. 5. ubi, *Cùm dicitur*, inquit, *convertimini ad me, & ego convertar ad vos; libertatis nostræ admonemur. Cùm respondemus: Converte nos Domine ad te, & convertemur; Dei gratiâ nos præveniri confitemur.*

Suppon. 2do. Contra Jansenium: Quòd homo lapsus, seu in statu naturæ lapsæ constitutus absque fide exercere possit aliqua opera moraliter bona, nec proindè omnes infidelium actiones esse vitia & peccata. Ratio potissimùm desumitur ex S. Scriptura, quæ variis in locis refert aliqua infidelium opera fuisse remunerata à Deo: nam *Exod.* 1. habetur Deum remunerasse obstetrices Ægyptiacas ob beneficium Israëlitico populo ab eis præstitum. Item *Josue* 2. & 6. Rahab servata est, eò quòd gratiam exhibuisset exploratoribus Israëlitarum. Atqui Deus non solet remunerare peccata, sed solùm opera bona. Ergo &c. Præterea Daniel *c.* 4. Nabuchodonosori consulit ut *peccata sua eleemosynis redimeret.* Porrò si eleemosynæ hominis infidelis avertere poterant pœnam temporalem, hæ vera non erant peccata; peccata enim iram Dei provocant potiùs, quàm mitigent. Cæterùm quando S. Augustinus dicit, omnia infidelium opera esse peccata, non virtutes; hoc ideò asserit, quia ordinariè recto fine carent: nomine autem *virtutis* non intelligit opera ex objecto duntaxat bona, sed solùm quæ talia sint ex fine supernaturali; seu intelligit virtutes, quæ hominis salutem promoveant.

Suppon. 3tio. Contra Michaëlem Bajum: Hominem absque habituali seu sanctificante gratia bonum aliquod opus morale ordinis non tantùm naturalis, sed etiam supernaturalis, per gratiam actualem perficere posse. Id clarè evincitur ex eo, quòd opera misericordiæ, justitiæ, temperantiæ, &c. etiam peccatoribus præceptô naturali ac divinô præcipiantur. Ergo debent posse fieri absque peccato; alioquin Lex divina præciperet peccata. Præterea fieri non posset, ut peccator se unquam ad justificationem præparare valeret, cùm actio mala non sit præparatio ad justificationis beneficium. Et profectò clarè id videtur improbasse Conc. Trid. *Sess. 6. Can.* 7. ubi anathema ei dicit, qui asserueris *omnia opera, quæ ante justificationem fiunt, vera esse peccata.*

Neque dicas ex Matth. 7. *non posse arborem malam bonos fructus facere.* Nam equidem hoc verum est de arbore mala quà mala est, non verò de arbore quæ duntaxat mala est; id est, peccator, qui est arbor mala, non potest quidem aliquid boni præstare, quatenùs est peccator & agit ex malitia; potest tamen quatenùs

tenùs lumine rationis & recti naturalis amore perstrictus nonnihil boni moralis operari.

Suppon. 4to. Hominem in statu naturæ innocentis & integræ potuisse quodlibet bonum ordinis naturalis, absque speciali auxilio gratiæ, operari. Ratio est; quia facultas libera & non impedita ferri potest in quodlibet objectum sibi proprium & proportionatum. Atqui in statu naturæ innocentis facultas hominis seu virtus operativa liberrima erat, & nullatenùs impedita. Ergo &c.

Neque dicas ex Concilio Arausicano II (k) *Can.* 19. quòd *natura humana etiamsi in illa integritate, in qua condita est, permaneret, nullo modo se ipsum, Creatore suo non adjuvante, servaret.* Nam ibi Concilium loquitur de bono supernaturalis ordinis, non verò naturalis; de quo tamen duntaxat hîc sermo est.

His ita præmissis jam disquirendum est, utrum ad quodlibet opus moraliter bonum naturalis etiamnum duntaxat ordinis necessaria sit gratia Dei, ita ut infidelis nullum hujuscemodi opus perficere possit, nisi divinitùs adjuvetur; ac necesse sit eum peccare, si gratia fuerit destitutus. Affirmant inter Catholicos Doctores aliqui, negant alii communiter.

§. II.

172 ***Proponuntur ac solvuntur Argumenta eorum, qui negant necessitatem gratiæ ad quodlibet bonum opus morale, seu qui volunt hominem lapsum aliquod bonum opus morale naturalis ordinis facere posse absque speciali auxilio gratiæ Dei.***

Argumentum 1mum. petitur ex S. Scriptura. Dicit enim Apostolus *Rom.* 2. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt.* Atqui facere naturaliter ea, quæ legis sunt, est sine gratia speciali facere ea, quæ sunt conformia rectæ rationi, & consequenter moraliter bona. Ergo &c.

Resp. AA. Locum illum Apostoli intelligendum esse de Gentibus ad fidem conversis, & per naturam gratiâ reformatam operantibus, prout censuit S. Augustinus, cujus mentem S. Thomas pluribus locis, nominatim verò in Commentario ad hunc Apostoli locum approbavit. Dicuntur autem Gentes illæ, tametsi conversæ, legem non habere, vel quia nondum scripta erat Lex Christi, vel quia eadem Christi Lex potissimùm in spiritu sita est, non in littera, quemadmodum Lex Moysis. Præterea si locus iste intelligendus est de infidelibus, tunc vox *naturaliter* non debet opponi gratiæ, sed Legi Judaicæ, ut sit sensus, Gentes etiam absque Lege positiva Mosaica opera tamen hujuscemodi legis perficere, non tamen absque gratia; ne in Pelagianismum recidamus.

Argumentum 2dum. sumitur ex Concilio Trid. *Sess.* 6. *Can.* 1. ubi sic definit: 173
Si quis dixerit, hominem suis operibus, quæ vel per humanæ naturæ vires, vel per legis doctrinam fiunt, absque divina per Jesum Christum gratia, posse justificari coram Deo, anathema sit. Ubi non obscurè supponit Concilium, posse fieri aliqua opera bona per vires humanæ naturæ.

Resp. AA. Ex hoc testimonio contra suam sententiam nihil evinci posse; siquidem ibi tantùm definitur, quòd opera quævis nihil ad justificationem valeant,

(k) Celebratum fuit an. 529. sub Felice Papa IV. contra Semi-Pelagianos, quorum erant coryphæi Faustus Rejensis Episcopus, Gennadius Presbyter Massiliensis, Cassianus, Vincentius, dicentes hominem propriæ infirmitati relictum posse propriis viribus gratiam Dei ad se evocare.

leant, verùm bona opera per solas naturæ vires, vel per Legis doctrinam fieri, sancta Synodus nunquam dixit; cum & ipsum sacrum timorem, qui est salutis initium, quippe ante justificationem haberi potest, donum Spiritûs sancti, nondum quidem inhabitantis, sed moventis esse disertissimè definiat.

174 Argumentum 3tium. nititur auctoritate Bullæ Pii V. in qua damnantur sequentes propositiones Michaëlis Baji, nimirùm 27ma. *Liberum arbitrium sine gratia Dei adjutorio nonnisi ad peccandum valet.* 36ta. *Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex solis naturæ viribus ortum ducit, agnoscit.* 62da. *Nonnisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii bonus, sive non malus, & gratiæ Christi injuriam facit, qui ista sentit & docet.* Ergo eadē damnatione comprehenditur sententia Adversariorum; ut qui doceant, liberum arbitrium sine gratia per Christum non posse aliquod bonum virtutis acquisitæ opus elicere; siquidem cum illis propositionibus coincidit.

Resp. AA. 1mo. Hujusmodi propositiones damnatas fuisse, non ratione doctrinæ, quam continent, sed ratione censuræ nimiæque verborum acerbitatis, qua aliorum opiniones etiam hæresis insimulare non dubitat Bajus.

Resp. 2do. Sensum Baji fuisse, liberum arbitrium indigere gratia sanctificante, & charitate, ut benè agat; quod evidenter colligitur ex aliis ejus propositionibus in laudata Bulla recensitis, scilicet *Omne, quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est.* Censet ergo Bajus, ad hoc, ut opus aliquod non fit peccatum, quòd operans non sit peccator, seu quòd habeat gratiam sanctificantem. Item, *Distinctio duplicis justitiæ; alterius, quæ fit per Spiritum charitatis inhabitantem; alterius, quæ fit ex inspiratione Spiritûs sancti, similiter rejicitur.* Vides, inquiunt, Bajum voluisse nullum dari opus bonum, nisi à gratia sanctificante profectum; siquidem justitiam ab inspiratione Spiritûs sancti excitatam, ab inhabitante distinctam rejecit.

Argumentum 4tum. petitur ab auctoritate S. Augustini. 1mo. quidem *Lib. de spir. & litt. c.* 28. sic loquitur: *Sicut non impediunt à vita æterna justum quædam peccata venialia, sine quibus vita hæc non ducitur, sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus vita cujuslibet pessimi difficillimè invenitur.* 2do. Paulò inferiùs subdit: *Ipsi homines erant, & vis illa naturæ inerat eis, quæ legitimum aliquid anima rationalis & sentit, & facit, etsi non esset illa pietas, quæ transfert in vitam æternam.* 3tio. lib. Hypognosticon sic habetur: *Esse fatemur liberum arbitrium omnibus hominibus, habens quidem judicium rationis, non per quod sit idoneum, quæ ad Deum pertinent, id est, quæ faciunt ad salutem, sine Deo inchoare, aut certè peragere; sed tantùm in operibus vitæ præsentis tam bonis, quàm etiam malis; bonis dico, quæ de NB. bonis natura oriuntur, &c.* 175

Quòd si quis contendat hunc librum non esse S Augustini, saltem concedere debebit illum esse insignis cujusdam illius discipuli juxta mentem & ex ipsiusmet S. Augustini sententiis confectum. Undè à S. Thoma & communiùs ab aliis Theologis tanquàm Augustini partus admittitur.

Resp. AA. S. Augustinum non negasse opera ex officio bona, sed pravarum circumstantiarum maculis sordidata ab infidelibus fieri posse. Opus autem ex integra causa bonum ab illis, & sine auxilio gratiæ effici posse, nunquam dixit Augustinus; nec ex adductis locis sufficienter probatur.

176 Argumentum 5tum. sumitur ab auctoritate S. Thomæ, 1. 2. *q.* 109. *a.* 2. *in* ⊙. ubi sic ait: *Quia tamen natura humana per peccatum non est totaliter corrupta, ut scilicet toto bono naturæ privetur, potest quidem etiam in statu naturæ corruptæ per virtutem suæ naturæ aliquod bonum particulare agere ..... non tamen totum bonum sibi connaturale; ita quòd in nullo deficiat: sicut homo infirmus potest per se ipsum aliquem motum habere, non tamen perfectè potest moveri motu hominis sani, nisi sanetur auxiliô medicinæ.*

Resp AA. S. Thomam hîc loqui de operibus ex officio, seu ex objecto civiliter ac physicè bonis, quod patet ex eo, quòd pro exemplo afferat operationes artium, ut ædificare domos, plantare vineas, &c. quæ sine speciali gratiæ adjutorio effici posse, nemo inficias ire poterit. At præsens controversia versatur circa actiones moraliter bonas, quas sine gratiæ auxilio fieri posse nunquam docuit S. Thomas; quin potiùs cit. loc. expressè asserit, hominem in quolibet statu *indigere auxiliô divinô ad faciendum vel volendum quodcunque bonum.*

177 Argumentum 6tum. à ratione petitur. Quælibet creatura per facultatem suæ naturæ potest cum auxilio generali aliquem actum suæ naturæ consentaneum elicere, v. g. Sol illuminare, ignis calefacere, &c. Ergo & homo per facultatem naturæ suæ, mediante concursu generali Dei, aliquem actum honestum & rationi consonum elicere poterit. Conf. patet; quia alioquin homo deterioris esset conditionis cæteris creaturis.

Resp. 1mo. Hôc argumentô probatum iri posse etiam voluntatem absque Dei adjuvantis auxilio totam legem servare, cùm hoc sit valdè consentaneum naturæ rationali. Atqui hoc nimium probat. Ergo nihil probat.

Resp. 2do. Quòd licet creatura rationalis pura & sana possit bona opera cum solo generali concursu operari & efficere, id tamen non possit debilis & infirma.

§. III.

Proponuntur & solvuntur Argumenta contrariæ opinionis. 178

ARgumentum 1mum. petitur ex Sa. Scriptura. *Joan.* 15. dicit Christus: *Sine me nihil potestis facere.* 1. *Cor.* 4. sic loquitur Apostolus: *Quid habes, quod non accepisti?* 2. *Cor.* 3. idem Apostolus, *Non*, inquit, *quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est &c.*

Resp. AA. Hæc testimonia debere intelligi de opere bono ad salutem animæ conducente.

Argumentum 2dum. petitur ex Conciliis & SS. Patribus. Inprimis in Concilio Diospolitano (*l*) cogitur Pelagius, ut fateatur, *gratiam Dei atque adjutorium etiam ad singulos actus dari.* Arausicanum II. *c.* 9. dicit, *Divini muneris esse, cùm rectè cogitamus, &c.* 179

Innocentius I. Ep. 26. ad Concilium Milevitanum, quæ est 93. apud Augustinum ait: *Voluntatem nihil posse cælestibus auxiliis destitutam.* Cœlestinus Papa Ep. 1. ad Episcopos Galliæ c. 9. *Ita Deus*, inquit, *in cordibus atque in ipso libero operatur arbitrio, ut sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus bonæ voluntatis ex Deo sit.*

S. Am-

(*l*) Celebratum an. 415. Diospolis urbs Palestinæ. Illius Episcopus est subjectus Patriarchæ Jerosolymitano.

S. Ambrosius *lib.* 1. *de vocat. Gent. c.* 3. sic docet: *Si Deus non operatur in nobis, nullius possimus participes esse virtutis.* S. Augustinus *Serm.* 13. ait: *Prorsùs si defuerit* (gratia) *nihil boni agere poteris; ages quidem illo non adjuvante libera voluntate, sed malè.*

Resp. AA. ad Hæc & similia aliorum Conciliorum & Patrum testimonia, sicut priùs ad Argumentum primum responderunt: nempè ea intelligi debere de operibus bonis ad vitam æternam conducentibus. Aut, si contendas ea etiam subinde intelligenda esse de operibus bonis ordinis duntaxat naturalis, tunc respondent nomine *Gratiæ* significari auxilium seu concursum Dei generalem ad agendum necessarium. Ex quo facilè intelligitur, quòd, quando Concilium Arausicanum Can. 22. ait: *Nemo habet de suo nisi mendacium & peccatum*, vel hæc verba *de suo* intelligi debeant per exclusionem concursûs generalis; vel *mendacium & peccatum* impropriè usurpetur pro quocunque actu defectuoso ac insufficiente ad vitam æternam.

180 Argumentum 3tium. desumitur specialiter ab auctoritate S. Thomæ. Hic S. Doctor *q.* 24. *de verit. a.* 14. quærens, *num liberum arbitrium possit in bonum ferri sine gratia*, sic concludit: *Si gratiam Dei velimus dicere non aliquod habituale donum, sed ipsam misericordiam Dei, per quam interiùs motum mentis operatur ..... sic nec ullum bonum homo potest facere sine gratia Dei: sed communiter loquentes utuntur nomine gratiæ pro aliquo dono habituali justificante.*

Item 2. 2. *q.* 136. *a.* 3. *ad* 2. sic ait: *Bonum politicæ virtutis commensuratum est naturæ humanæ, & ideo absque auxilio gratiæ gratum facientis, potest voluntas humana in illud tendere, licèt non absque auxilio gratiæ Dei.*

Resp. AA. ad utrumque textum. S. Thomam ibi per auxilium gratiæ Dei non intellexisse specialem gratiam non reducendam ad donum creationis, sed ipsum concursum Dei generalem, qui est gratia communiter dicta ad donum tamen creationis spectans; quia licèt ad exigentiam causæ secundæ conferatur, gratis tamen ac sine meritis datur; S. Thomas enim interdum hoc sensu concursum generalem vocat gratiam Dei, ut in 2. *dist.* 28. *q.* 1. *a.* 1. ubi ait: *Nihil boni potest homo facere sine gratia Dei, secundùm quod intelligitur gratia ipse Deus gratis dans, eò quòd ipse est principium omnis boni.*

Dices. Nequit concursus Dei generalis misericordia nuncupari, cùm per misericordiam Dei intelligi soleat favor specialis. Ergo cùm S. Thomas gratiam, quam ad omnem actum moraliter bonum necessariam exigit, misericordiam Dei appellet, palàm fit per eam non concursum generalem, sed gratiam specialem intelligi debere.

Resp. *neg. ant.* Nam nomine misericordiæ intelligi solent omnia omninò bona sive communia sive specialia, quæ à gratuita manu Dei accipimus juxta illud Psal. 24. *Universæ viæ Domini misericordia & veritas.* Præterea, cùm per concursum Dei generalem, quo voluntas applicatur ad opus bonum morale, defectus potentialitatis ac indeterminationis ad illud removeatur, rectè potest talis concursus Dei misericordia nuncupari; nam, ut ibidem innuit S. Thomas, *Misericordia pro remotione cujuscunque defectus accipi potest.*

Argumentum 4tum. petitur ex ratione à priori. Nullum bonum opus morale potest fieri ab homine in aliquo statu sine cogitatione congrua, siquidem hæc est principium bonæ consultationis & deliberationis. Atqui omnis congrua cogi- 181

cogitatio est gratia ; nam est indebita naturæ humanæ, aut ejus individuis, aut meritis operum, sed tantùm procedit ex Dei liberalitate, qui potuit disponere causas naturales ita, ut talis congrua cogitatio non suboriretur. Ergo ante opus honestum debet præcedere aliqua Dei gratia.

Resp. AA. *neg min.* Ad ejus probationem dicunt, quòd, licèt congrua cogitatio de bono honesto omnibus humanæ naturæ individuis debita haud sit, ipsi tamen naturæ debeatur in aliquo saltem individuo. Vel, ut aliis placet, etsi illa non sit debita semper, & debitò necessariò, ac proindè possit absque injuria denegari, debetur tamen aliquando, seu debitò contingenti fallibili ; nam, ut ait S. Thomas 1. cont. Gent. c. 28. *Hoc est necessitate alicui debitum, quod ad ejus perfectionem requiritur.* Et hoc sufficit, ut non sit vera gratia per Christum.

Inst. 1mo. Homo per peccatum originale incurrit debitum carendi omni pia cogitatione. Ergo est indebita naturæ lapsæ.

Resp. *Dist. ant.* Incurrit debitum carendi omni pia cogitatione ad salutem conducente, *conc.* ad bonum honestum ac rationi consonum conducente, *neg. ant.* Quia hujusmodi cogitatio non est supra sed juxta debitum proportionis naturæ humanæ, quamdiu ejus facultates non sunt extinctæ.

Inst. 2do. Non minùs actus charitatis e. g. est proportionatus voluntati hominis justi, quàm opus bonum morale est proportionatum voluntati hominis lapsi. Atqui homini justo (scilicet per gratiam habitualem) non debetur cogitatio congrua supernaturalis, aut alia auxilia efficacia. Ergo similiter non debetur naturæ lapsæ cogitatio congrua naturalis, non obstante ejus proportione.

Resp. *neg. parit.* Disparitas est, quia cogitatio congrua supernaturalis efficax, cùm à causa naturali excitari nequeat, oportet, ut à Deo procedat tanquam ab agente particulari sive auctore gratiæ ; & sic rationem specialis habet beneficii. At cùm cogitatio congrua naturalis influxum causarum naturalium non respuat, sed potius exigat ; hinc fit, quòd Deus non sit illius causa particularis sed universalis, ac proindè hujusmodi cogitatio naturæ humanæ, saltem vagè, debita sit.

Inst. 3tio. Deus est etiam causa particularis auxiliorum supernaturalium sufficientium, cùm ea à causis naturalibus non procedant ; & tamen sunt debita homini justo. Ergo à pari idem dicendum de auxiliis efficacibus.

Resp. *neg. conf.* Disparitas est, quia, hoc ipso, quòd homo justus per gratiam evectus sit ad ordinem supernaturalem, debet posse elicere actus supernaturales, qui tamen elici nequeunt, nisi præcedant piæ cogitationes, putà illuminationes, inspirationes, ac similia auxilia sufficientia ; non tamen est necesse, ut actu eliciat actus supernaturales, ac proindè ei non debentur auxilia efficacia.

Inst. 4to. Contra primam solutionem. Voluntas hominis est indifferens ad bonum & ad malum. Ergo non magis postulat cogitationem ad opus bonum, quàm ad malum.

Resp. Licèt homo indifferens sit ad bonum & ad malum, spectatus tamen secundùm superiorem animæ partem magìs inclinat ad bonum quàm ad malum, quia secundùm hanc partem apprehendit id, quod honestum est ac rationi conforme ; & proindè sub hac consideratione magìs exigit cogitationem ad opus bonum quàm ad malum.

Argumentum 7tum. desumitur ex 18a ratione à posteriori. Utile est nobis orare

&

& postulare gratiam Dei ad singula opera moralia rectè facienda etiamnum faciliora. Undè Ecclesia orare solet : *Actiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni, &c.* Ergo ad illa facienda necessarium est auxilium gratiæ. *Prob. conf.* Quia ex utilitate orationis SS. Patres frequenter contra Pelagium inferrebant necessitatem gratiæ. Prætereà nemo orat pro eo, quod per se ipsum adipisci potest. Ergo &c.

Resp. AA. 1mo. Ecclesiam quidem postulare gratiam pro singulis bonis operibus perficiendis, non tamen aliter, nisi quatenùs conducunt ad finem supernaturalem.

Resp. 2do. Deum meritò obsecrandum esse pro donis naturalibus, ut v. g. pro acumine ingenii, pro intelligentia rerum etiam naturalium, pro operibus ac officiis rectæ rationi consonis, sicut Deum oramus pro pluvia, pro sanitate, &c. illisque obtentis, gratias ei agimus; quia licèt hæc ad providentiam naturalem spectent, nec causarum naturalium vires excedant, tamen in ipsorum collatione ac conservatione est aliqua fallibilitas & contingentia, nec debentur singulis individuis in quacunque occasione.

Inst. Tantundem potuisset dicere Pelagius, Nos videlicet utiliter orare ac gratias agere pro bonis operibus, etiamsi solis naturæ viribus elici possint; quia in illis omni occasione eliciendis est aliqua contingentia & fallibilitas.

Resp. *neg. ant.* Nam SS. Patres non collegerunt necessitatem gratiæ per Christum ex quacunque oratione, sed ex orationibus Ecclesiæ, quas è medio tolli dicebant, si in sola potestate nostra situm sit legem totam adimplere. Atqui ex orationibus Ecclesiæ infertur necessitas gratiæ per Christum; quia Ecclesia, ut jam dictum est, non orat pro beneficiis naturalibus, nisi quatenùs conducunt ad ultimum finem nostrum, alioquin inordinatè peteret; nam juxta S. Thomam 2. 2. *q.* 83. *a.* 6. bona temporalia non possunt aliter peti, quàm quatenùs conducunt ad salutem animæ.

Argumentum 6tum. petitur ex aliis 183
variis rationibus. Arguitur itaque 1mo. Bonum morale etiam naturalis ordinis vel fit per gratiam, vel per legem. Atqui fieri non potest per legem, *Lex enim iram operatur.* &, *Ubi non est lex, nec prævaricatio*, ait Apostolus *Rom.* 4. *v.* 15. Id ipsum passim docet S. Augustinus, specialiter autem *Serm. de verb. Apost.* 163. *c.* 10. ubi, *Vis videre*, inquit, *quid valeat sine spiritu adjuvante littera jubens .... virtus peccati lex : quia subintravit lex, ut abundaret delictum. Quid est, Ut abundaret delictum? quia ubi gratia non erat, auxit probibitio desiderium; & cùm quasi de propria præsumitur virtute, factum est grande vitium.*

Resp. AA. *dist min.* Per legem impleri non potest omne & quodlibet opus legis sine gratia, *conc.* nullum omninò opus legis, *subdist.* si sit ordinis supernaturalis, *conc.* si sit tantùm ordinis naturalis, *neg. min.* Ad prob. ex Apostolo *dist.* Lex iram operatur per accidens, *conc.* scilicet propter nostram ignaviam & socordiam. Operatur per se, *neg.* alioquin malè ab Apostolo *Rom.* 7. Lex nuncuparetur *sancta*. Et sic proportionaliter respondent ad alium ejusdem Apostoli textum. Ad auctoritatem verò S. Augustini dicunt, eum cit. loc. & alibi passim hoc unicum velle, scilicet quòd absque gratia ne unum quidem legis præceptum observari possit, ut oportet, ad vitam æternam. At non negat quin aliquod legis naturalis præceptum ex honesto fine impleri possit absque gratia, ita, ut ille peccati reus non sit, qui v. g. eleemosynam ex misericordia porrigit indigenti, ex amore naturali salutat amicum, ex quadam innata pietate parentes colit, Magistrum, Superiores, &c. ex quadam à natura insita observantia veneratur.

Inst.

Inst. Si S. Augustinus concessisset vel unum opus legis fieri posse sine speciali gratia, argumentis suis adversùs Pelagianos omnem efficaciam sustulisset. Resp. Si concessisset vel unum opus legis ad salutem conducens fieri posse absque gratia, tunc valeret Instantia. At quia id nunquam concessit, sic ea nullius est roboris.

Arguitur 2do. Si aliquod opus honestum fieri posset sine auxilio gratiæ, sequeretur posse nos ex nobis habere aliquod initium, quo saltem de congruo mereamur gratiam. Falsum cons. quia alioquin gratia non esset gratia. Ergo & ant. *Prob. seq. maj.* Valdè congruum est, ut summus bonorum remunerator ac largitor homini facienti quod in se est, vires ac auxilia gratiæ largiatur, ut plus operari possit. Ergo &c.

Resp. *neg. seq. maj.* Ad ejus *prob.* dicunt, opera bona moralia ordinis duntaxat naturalis non posse habere rationem meriti respectu alicujus doni ordinis supernaturalis ob defectum proportionis, qui inter utrumque ordinem intercedit.

Dices Ad meritum de congruo non requiritur proportio inter opus & præmium. Ergo gratis data est hæc responsio.

Resp. Licèt non requiratur proportio æqualitatis, requiritur tamen proportio congruitatis, seu talis valor operis, ut ratione illius Remunerator censeatur prudenter moveri ad dandum præmium. Atqui propter opus ordinis naturalis Deus non potest prudenter moveri, ut conferat dona supernaturalia; quia inter se se bona hæc magis distant, quàm diligens cura canum cujusdam Principis, & adoptio in ejus filium: sicut igitur Princeps prudenter non posset adoptare in filium famulum suum, qui sedulam canum suorum adhibuisset diligentiam; sic à pari, &c.

Inst. Saltem ex gratitudine & morali quadam honestate debet Deus dari bonis operibus naturalibus præmium supernaturale; quia, ut docet S. Thomas 2. 2. *q.* 106. *a.* 5. *&* 6. ad gratitudinem spectat excedere quantitatem & valorem obsequii.

Resp. ex Suarez *lib.* 12. *de Grat. c.* 30. *n.* 12. in Deo non reperiri gratitudinem; gratitudo enim solùm videtur habere locum, ubi exhibetur obsequium indebitum; Deo autem omnia multis titulis devincta sunt. Admissa tamen gratitudine: adhuc negari potest Instantia; quia licèt ad gratitudinem spectet beneficium seu obsequium supererogatoriè remunerari, non tamen cum excessu incomparabili; hujusmodi enim compensatio potiùs prodigalitatem, quàm gratitudinem sapit.

Arguitur 3tio. Homo in statu naturæ lapsæ gratiâ destitutus adeò infirmus est, ut pugnare nequeat cum sua concupiscentia; quòd si uni resistit, alteri cedit, & unum peccatum nonnisi alio peccato declinat. Ergo sine speciali gratia homo semper peccat.

Resp. 1mo. *neg. suppos.* scilicet, quòd homo tentationibus continuò infestetur. Namque fieri potest, imò ut plurimùm fit, quòd transeunte Superiore e. g. non adsit tentator dicens: *ne ei assurgas;* quin potius ipsa ratio quemque monet, ipsi exhibendam esse reverentiam; cur ergo tunc ei debitus honor absque gratia exhiberi non poterit? & si exhibeatur, nonne erit opus bonum morale ordinis naturalis tantùm.

Resp. 2do. *Dist. ant.* Quando ardentior est concupiscentia, vel gravis urget tentatio, *conc.* secùs, *neg.* Nam si natura lapsa hujusmodi levibus motibus resistere non valeret, non infirma duntaxat, sed omninò mortua & extincta mansisset. Cæterùm falsum est hominem sine speciali gratia nullâ, saltem gravi, ten-

tentatione pulsatum unam cupiditatem & unum peccatum per aliud semper superare; sunt enim quædam tentationes adeò leves, ut sola naturali cogitatione boni honesti facilè repellantur, ut sunt tentationes contra conservationem propriæ vitæ, ne veneremur parentes, ne ostendamus viam interroganti eam, &c.

Dices. Nihilominùs S. Augustini hæc est sententia *lib.* 3. *cont.* 2. *Epist. Pelag.* ubi, *Quoniam*, inquit, *carnalis cupiditas, qua peccatum commutatur potiùs vel augetur, cupiditate alia non sanatur.*

Resp. S. Augustinum hîc & alibi passim loqui de homine indurato & excœcato, qui utique tentationi etiamnum levi facilè cedit. Vel loquitur de eo, in quo ardentior fervet ac dominatur concupiscentia, quam ne quidem ut inimicam agnoscit.

Arguitur 4to. Qui operatur ex timore pœnæ non ex amore justitiæ; ex cupiditate, non ex charitate, ille peccat. Atqui homo gratiâ destitutus operatur ex timore pœnæ, ex cupiditate, &c. Ergo semper peccat. *Maj.* est S. Augustini multis in locis, ut *lib. de natur. & grat. c.* 57. *n.* 63. *lib. de spirit. & litt. c.* 8 *n.* 13. item *Ep.* 145. *n.* 4. & alibi. *Minor* verò ex eodem S. Doctore *prob.* Nam in *Enchirid. ad Laurent. c.* 118. sic ait: *Regnat carnalis cupiditas, ubi non est Dei charitas.* Item *lib.* 2. *de peccat. remiss. c.* 18. sic docet: *Mirum, si voluntas potest in medio quodam ita consistere, ut nec bona nec mala sit; aut enim justitiam diligimus, & bona est .... aut si omninò non diligimus, non bona est. Quis verò dubitet dicere, voluntatem nullo modo justitiam diligentem non modò esse malam, sed etiam pessimam voluntatem?*

Resp. *dist. maj.* Qui agit ex timore pœnæ serviliter servili, ille peccat, *conc.* Qui agit ex timore simpliciter servili, *neg. maj. Dist.* pariter hanc propositionem, Qui agit ex cupiditate actuali seu actu in opus influente, ille peccat, *conc.* ex cupiditate duntaxat habituali in ipsum opus non influente, *neg.* Quando autem dicitur illud omne peccatum esse, quod non fit ex charitate, hoc absolutè falsum est, ut constat ex dictis §. 1. contra Bajum. Cùm verò S. Augustinus dicit, tantùm quemque odisse peccatum, quantùm amat justitiam, loquitur de odio perfecto, quod ex amore perfectæ seu sanctificantis justitiæ oritur: at non excludit odium peccati ex supernaturali timore pœnarum conceptum. *Cùm timetur pœna*, inquit Serm. 348. aliàs 214. de temp. c. 1. *quam* (Deus) *minatur, dicitur amari præmium, quod pollicetur, ac sic per timorem pœnæ bona vita retinetur.* Ex quo etiam palàm fit, ab Augustino neutiquam improbari timorem simpliciter servilem, sed solùm serviliter servilem, seu illum, qui affectum & voluntatem peccandi saltem actualem non excludit.

Tandem *dist.* etiam hanc propositionem: Regnat carnalis cupiditas, quoad habitum & ratione subjecti, ubi non est Dei charitas, *conc.* semper etiam quoad actum, *neg. propos.* Fatendum est itaque nullum dari medium in homine inter statum justitiæ aut injustitiæ seu peccati, quo sensu meritò dixit Augustinus: *Mirum, si possit voluntas in medio consistere.* Datur tamen medium quoad actum; non enim omnis actio moralis est vel ex cupiditate actuali, vel ex charitate.

Dices. Omnis actus bonus est ex bona voluntate. Atqui bona voluntas in phrasi S. Augustini est charitas. *Quasi verò*, inquit *lib. de Grat. Chr. c.* 21. *n.* 22. *aliud sit bona voluntas, quàm charitas.*

Resp. *dist.* Bona voluntas supernaturalis, de qua ei sermo erat contra Pelagianos,

gianos, nihil aliud est, quàm charitas, *conc.* Omnis alia bona voluntas, seu amor quilibet recti & honesti est charitas, *neg.* vel gratis *subdist.* est charitas impropriè dicta, *trans.* propriè talis, *neg.*

Arguitur 5to. Ad moralem bonitatem actuum humanorum necesse est, ut in Deum referantur. Sed absque gratia in eum referri nequeunt. Ergo &c. *Maj.* Innititur præcepto primo Decalogi, ac probatur à S. Augustino, nam *lib.* 3. *de moribus Ecclesiæ c.* 8. sic ait: *Ad id omnia consilia nostra referenda, bonorum Summa Deus nobis est, &c.* Item *Serm.* 33. aliàs 18. *de diversis c.* 4. *n.* 3. sic docet: *Peccatum non solùm illud est, quod in turpi, aut iniquo facto apparet hominibus, sed etiam si habeat speciem boni operis, & tamen propter mercedem temporalem fiat, non propter requiem sempiternam. Quodlibet enim quisque facit, si hoc facit, ut terrenum emolumentum consequatur, serviliter facit.*

Resp. Mandatum dilectionis Dei & relationis omnium nostrarum actionum ad ipsum, esse affirmativum, quod proindè non semper obligat.

Quantùm ad auctoritatem S. Augustini, dicunt, eum locis citatis damnare tanquam peccata actiones sine charitate factas, quando nimirùm eæ tendunt in creaturam seu bonum temporale velut in ultimum finem; vel damnat eas in sensu à Pelagianis intento; volebant quippe isti per hujusmodi actiones vitam homines promereri posse æternam.

Præterea dici etiam potest, nos positivè obligari ad referendas actiones nostras in Deum, in quantùm scilicet tenemur semper sub peccato agere ex motivo honesto, licèt non teneamur semper agere ex motivo charitatis propriè dictæ. Porrò, quod benè notandum est, cùm ex motivo & fine honesto operamur, hoc ipso opus illud implicitè ac virtualiter refertur in Deum, & sic consequitur bonitatem moralem.

Dices. Si hoc subsisteret, sequeretur hujusmodi opus esse meritorium. Falsum consequens. Ergo & antecedens.

Resp. *Dist. seq. maj.* Esset meritorium præmii supernaturalis, *neg.* præmii ordinis naturalis. *conc. maj.* Hoc quippe ad justitiam Dei spectare videtur, nihil boni relinquere incompensatum.

Inst. Quælibet moralis actio vel fit ex amore Dei, vel ex amore mundi seu creaturæ. Si primum, recta est, sed indiget gratiâ. Si secundum, mala est. Ergo &c.

Resp. *Dist.* primam partem antecedentis: fit ex amore aut supernaturali aut naturali, *conc.* semper ex amore supernaturali, *neg. ant.* & *dist. illius seq.* Indiget gratiâ, si ex amore Dei explicito fiat, *conc.* si ex implicito & naturali, *neg. Dist.* pariter alteram partem *ant.* Quod fit ex amore creaturæ inordinato vitiosum est, *conc.* ordinatô, *neg. ant.* Nam utique licet diligere amicum & proximum, &c. affectu quodam naturali.

§. IV.

Declaratio circa utramque hanc sententiam. 184

PRima sententia sicuti modò in Scholis communior est, ita & Concilio Tridentino cit. Sess. 6. c. 1. necnon Bullæ Pii V. conformior esse videtur; atque ideò posteriori meritò præferenda est. Porrò responsiones ad ejus argumenta non sunt satis efficaces, nec penitùs eorum vim frangunt. Nam

Contra Responsionem ad Argumentum 1mum facit 1mo quòd, licèt locus ille Apostoli possit intelligi de Gentibus ad fidem conversis, atque vox ista *naturaliter* explicari de natura per gratiam reformata; attamen juxta comunem Patrum expositionem eidem Apostolo fit sermo de Gentilibus nondùm ad fidem con-

conversis, quam S. Augustinus etiam adoptat *lib. de spir. & litt. c.* 27. & 28. eamque approbare videtur Pius V. damnans hanc propositionem 22. Baji: *Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Rom.* 2. *Gentes quæ legem non habent, &c. intelligunt de Gentibus Fidei gratiam non habentibus.* Hac igitur expositione, quæ certè à nullo SS. Patrum velut falsa improbatur, quin potiùs, ut jam dictum, communiter tanquam genuina ab iis adstruitur, manifestè sequitur, infideles naturaliter seu solis naturæ viribus aliquid boni etiam moralis efficere posse, quod non obscurè Christus ipsemet innuit Matth. 5. his verbis: *Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne & Publicani hoc faciunt? & si salutaveritis fratres vestros tantùm, quid amplius facitis? nonne & Ethnici hoc faciunt?* Ubi supponitur, quòd Ethnici habeant affectum bonum naturalem diligendi suos benefactores, & salutandi fratres suos & amicos.

Dices. Si vera est hæc textûs Apostoli ad *Rom.* 2. expositio, sequitur, quòd absque gratia possint adimpleri omnia Decalogi præcepta, cùm hæc ad legem naturalem spectent, quæ, ut dictum est, viribus naturæ à Gentilibus adimpleri potest. Falsum conf. Ergo & ant.

Resp. Expositionem hanc SS. Patrum, sicut & ipsum textum sumi debere in sensu accommodo, ita videlicèt, ut hunc efficiat sensum: *Gentes propriis naturæ viribus præcepta legis naturalis, faciliora præsertim, nulla urgente gravi tentatione adimplent.* Non vero in sensu stricto, quasi nimirùm omnia omninò præcepta sive facilia, sive difficilia, sive urgente tentatione, sive alliciente amore honesti ac recti, observari possint. Ex dictis namque constat, necessariam tunc esse Christi gratiam, præsertim si gravis urgeat tentatio.

Contra Responsionem ad Argumentum 2dum. facit; quia, licèt Concili im loc. cit. circa bona opera per solas naturæ vires facta nihil expressè definiat, videtur tamen palàm supponere per solas naturæ vires, nempè absque gratia Christi aliquos actus bonos effici posse; si enim opera naturalia, seu solis naturæ viribus elicita peccaminosa sint, manifestum est neminem iis promereri posse justificationem. Superflua ergo esset Concilii Tridentini definitio, cùm Concilia definire non debeant nisi ea, quæ sunt obscura & controversa. Prætereà idem Concilium, ubi de necessitate gratiæ loquitur, non absolutè, sed cum limitatione dicit illam requiri, scilicet ut homo credat, speret, &c. sicut oportet ad salutem & justificationem, *Sess. 6 c.* 3. Ergo sentit homines aliquos ex his actibus sine gratia efficere posse, licèt non, sicut oportet, ad salutem. 185

Contra Responsionem ad Argumentum 3tium. est; quia quamvis Bajus alibi docuerit liberum arbitrium indigere gratia sanctificante ad opus moraliter bonum; nihilominùs tamen negari non potest, quin per illa verba: *liberum arbitrium sine gratia Dei adjutorio nonnisi ad peccandum valet*, intelligatur gratia actualis; nam SS. Patres contra Pelagianos pro *gratia actuali* promiscuè usurpant *Dei adjutorium*. Undè, cùm propositio non nisi in proprio sensu, quem verba exprimunt, damnari soleat, relinquitur, quòd propositio hæc etiam de gratia actuali intelligi debeat, ac etiam de ea intellecta fuerit à prædicto Sum̃o Pontifice Pio V. Prætereà quis non videat, quòd Bajus, cùm dixit: *Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit*, non solùm gratiam habitualem, verùm etiam actualem, & quidem hanc vel maximè intellexerit & existimaverit necessariam ad omne opus 186

bonum (Pelagiani enim gratiam actualem potissimùm negabant) Et tamen hæc Baji propositio secundùm totam suam latitudinem, & prout jacet, damnata est.

Neque hîc regeras id, quod pro prima Responsione ad hoc Argumentum 3tium. datum est, scilicet propositionem hanc non ratione doctrinæ, sed ratione censuræ &c. damnatam fuisse: nam contrà est, quòd Lessius aliique graves Doctores censeant prædictam Baji propositionem etiam ratione doctrinæ reprobatam fuisse. Præthereà sic quoque possent quinque propositiones Jansenii defendi, necnon multæ aliæ Conciliorum ac Summorum Pontificum definitiones eludi possent.

187 Contra Responsionem ad Argumentum 4tum. est; quia *bonum ex integra causa, malum verò ex quolibet defectu.* Si igitur opera illa ab infidelibus facta maculata essent malo fine pravisque circumstantiis, tunc simpliciter essent mala; adeoque malè à S. Augustino bona opera nuncuparentur. Præthereà cùm dicit, quòd anima rationalis ex innata vi aliquid legitimi facere possit, etsi non sit illa pietas, quæ transfert in vitam æternam, hoc ipso docet, quòd homo aliquid legitimi seu boni ordinis naturalis efficere queat, ac quòd in ipso sit aut esse possit quædam pietas, licèt alioquin sit destitutus gratiâ. Atqui hoc esset falsum, si hujusmodi hominis opera semper malo fine depravarentur; talis enim pravus finis tollit pietatem, quæ ex amore honesti ac recti dimanat, tollit & legitimationem operis. Porrò infideles aliqua bona fecisse opera, non solùm talia ex officio, sed etiam ex fine honesto, seu ex amore recti, necnon absque gratia, facilè patet ex S. Augustino cit. *c.* 28. *lib. de spir. & litt.* ubi postquam ostendit ejusmodi homines aliqua bona opera perfecisse, hujus rationem reddit his verbis: *Quia non usque adeò in humana anima imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta remanserint.* Quid clariùs.

Contra Responsionem ad Argumentum 5tum. ab auctoritate S. Thomæ desumptum facit 1mo Quia cùm hic S. Doctor in exemplum adduit physicas artium operationes, non excludit, imò supponit operationes morales; tùm quia loquitur de homine, qui, ut oportet, & quando oportet, hujusmodi operationes peragit atque adeò conformiter ad rectam rationem, in qua conformitate consistit moralitas actionum; tùm quia loquitur de eodem bono respectu naturæ lapsæ, ac naturæ integræ & innocentis. At bonum istud morale est; tùm denique, quia de illis memoratis operationibus loquitur prout fiunt ex deliberatione; palàm autem est, juxta mentem S. Thomæ nullum dari opus deliberatè factum, quod in individuo neque moraliter bonum, neque moraliter malum sit seu indifferens ad bonitatem vel malitiam moralem. 188

Contrà est 2do. Quia S. Thomas *q.* 24. *de verit: Art.* 14. ubi quærit, an liberum arbitrium possit in bonum ferri sine gratia: & respondet negativè, si illud sit supra naturam; secùs verò, si sit naturæ proportionatum. *Illud autem bonum*, inquit, *quod est naturæ humanæ proportionatum, potest homo per liberum arbitrium explere.* Posteà affert exemplum eleemosynæ, quam nemo dubitat esse opus moraliter bonum & non tantùm civiliter aut physicè tale, sicque ait: *Actus iste, qui est dare eleemosynam est bonum proportionatum viribus humanis, secundùm quod ex quadam naturali dilectione vel benignitate homo ad hoc movetur.* Cæterùm quando dicit hominem *semper indigere auxiliô divinô, &c.* loquitur de concursu Dei generali.

Tan-

Tandem contra Responsionem primam ad Argumentum 6tum. est, quòd servare totam legem non sit consentaneum ac proportionatum nisi naturæ integræ, non verò naturæ per peccatum infirmatæ. Undè vides sextum istud argumentum haud nimium probare. Porrò quod servare totam legem non sit proportionatum viribus naturæ infirmæ ac per peccatum debilitatæ exindè liquet; quia ad observantiam totius Legis non solùm actus valdè difficiles & heroici debent elici, verùm etiam eam solent comitari graves tentationes, ad quas superandas impar esse videtur natura ad malum prona, & ex se se ad sensibilia proruens. Undè ad id indiget gratiâ Christi.

Contra Respons. 2dam. est 1mo. quia sic sequeretur liberum arbitrium ad operandum bonum non solùm primi peccati granditate attenuatum ac infirmatum esse, verùm etiam omninò extinctum, utpotè nonnisi ad peccandum valens, quod tamen ab Ecclesia damnatum est. Contrà est 2do. quia homo in statu naturæ lapsæ habet easdem facultates, eundem modum operandi, & easdem vires, quas habuisset in statu naturæ puræ, ut communiter docent Doctores. Atqui in statu naturæ puræ potuisset elicere opus bonum moraliter absque gratia. Ergo etiam id poterit in statu naturæ lapsæ.

190 # EXERCITATIO UNDECIMA.

De Gratia sufficienti.

Ad Cap. 5. Sect. 2. Tractatûs IV. Tom. 2. Teol. Univers n. 186. & seq.

GRatia sufficiens vi nominis est ea, quæ sufficit ad opus bonum, usu verò, seu in sensu Theologico, & prout distinguitur ab efficaci, gratia sufficiens ea dicitur, quæ dat posse operari.

Circa gratiam sufficientem nonnulla hìc veniunt in quæstionem; præcipua tamen difficultas in hoc versatur, an Deus omnibus omninò hominibus gratiam sufficientem in ordine ad eorum salutem largiatur: sunt enim graves Theologi, inter quos etiam recensentur Bellarminus ac Cajetanus, qui docent, non omnibus semper concedi auxilia sufficientia. An id convenienter asseratur modò est elucidandum. Priùs tamen ad hujus quæstionis pleniorem notitiam quædam de divisione Gratiæ in sufficientem & efficacem sunt præmittenda.

§. I.

Utrum gratia actualis convenienter 191
dividatur in sufficientem & efficacem.

NOt. 1mo. Gratia sufficiens sumi potest vel ad mentem Molinistarum, vel ad mentem Thomistarum: priori modô sumpta definitur *Auxilium, præter quod ex parte Dei alio opus non est homini, ut actu operetur*, seu, quod in idem redit, *cujus usus vel abusus, ut nempe sit efficax vel inefficax omninò pendet à libero voluntatis arbitrio.* Secundô modô sumpta definitur *Auxilium, quod*

ita tribuit posse, ut tamen homini alio ex parte Dei opus sit ad actu operandum; seu, *quocum potest homo benè operari, nunquam tamen benè operatur, nisi novum ex parte Dei accedat efficax physicè præmovens auxilium.*

Not. 2do. Gratia efficax ea est, *quæ infallibiliter infert consensum*, seu *quæ infallibiliter connectitur cum operatione*, & ut ait S. Augustinus *lib. de prædest. SS. c. 8.* quæ *à nullo corde respuitur; ideò quippe tribuitur, ut duritia cordis penitus auferatur.* His ita prænotatis

Dicimus concedendam esse partitionem auxilii specialis in *sufficiens* & *efficax.* Ita communis Theologorum contra Calvinum & Jansenium docentes in statu naturæ lapsæ omnem gratiam esse efficacem. Item etiam contra Pelagianos, qui è contrario existimant ipsum liberum arbitrium esse sufficiens auxilium ad salutem.

Prob. 1mo. de gratia sufficienti, ex illo *Isai. 5. Quid est, quod debui facere vineæ meæ, & non feci ei.* Hi, qui sic reprehenduntur, procul dubio non habuerunt gratiam efficacem, quæ, ut ait S. Augustinus loc. cit. à nullo respuitur, corde, habuerunt tamen gratiam sufficientem, per quam converti possent; alioquin non verè diceret, *Quid ultrà debui facere &c.* Item ex illo *Act. 7. Vos semper Spiritui sancto resistitis.* Satis innuitur, quibusdam inspirari bona desideria, & ita inspirari, ut converti possint. Item ex illo *Matth. 22. Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Super quo textu S. Augustinus *lib. 1. q. 2. ad Simplician.* sic loquitur: *Si vocatio ista est effectrix* (efficax) *bonæ voluntatis, ut omnis vocatus eam sequatur, quomodò verum erit, Multi vocati, pauci electi.*

Prob. 2do. de gratia efficaci, ex illo *Joan. 6. Omnis, qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me.* Quòd si omnis, qui audit & discit à Patre, venit ad Christum, nullus est, qui audiat & discat, qui non veniat. Est igitur quædam vox Patris intùs loquentis, quæ infallibiliter trahit ad Patrem, & hanc vocamus gratiam efficacem. Prob. etiam ex illo *Ezechiel. 36. Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis.* Ubi, quia de gratia efficaci sermo est, non dicit Dominus, faciam, ut in præceptis meis ambulare possitis, sed faciam, ut ambuletis, & quidem infallibiliter: si enim Deus eos ambulaturos asserit, etiam infallibiliter ambulabunt; promissio Dei enim falli nequit.

Confirm. utrumque membrum ex S. Thoma *hic q. 112. a. 2. ad 2.* ubi sic ait: *Contingit quandoque, quòd Deus movet hominem ad aliquod bonum non tamen perfectum, & talis præparatio præcedit gratiam, sed quandoque statim perfectè movet ipsum ad bonum, & subitò homo gratiam suscipit.* Quibus verbis S. Doctor admittit gratiam quamdam moventem & applicantem ad actus imperfectos, & præparantem ad perfectiores, quam S. Augustinus vocat *adjutorium sine quo*, Thomistæ verò *auxilium sufficiens*: aliam moventem & applicantem ad actus perfectos, atque efficientem perfectam conversionem & justificationem, quam S. Augustinus *adjutorium quô* nuncupat, Thomistæ verò *auxilium efficax.*

Clariùs adhuc loquitur S. Thomas *lect. 2. in c. 3. Ep. ad Ephes.* ubi, *Hujusmodi autem*, inquit, *auxilium duplex fuit: unum quidem ipsa facultas exequendi, aliud ipsa operatio actualis: facultatem autem dat Deus infundendo virtutem & gratiam, per quas efficitur homo potens & aptus ad operandum: sed ipsam operationem, in quantùm operatur in nobis interiùs movendo, & instigando ad bo-*

bonum ; & ideò hoc accipiens Apostolus à Deo, dicit quantùm ad primum : Dico quòd factus sum Minister, sed certè non meis meritis, nec virtute propria, sed secundùm donum gratiæ, quæ data est mihi, qua scilicet idoneus efficior ad executionem divinorum mysteriorum, &c. Quantùm autem ad secundum dicit : Secundùm operationem, quam Deus efficit, in quantùm virtus ejus operatur in nobis velle & perficere.

Hîc S. Thomas videtur apertè eòdem prorsùs sensu gratiam sufficientem sumere, quo sensu hodie à Thomistis docetur : ait enim quoddam esse auxilium, quod tantùm dat posse operari, & aliud, quod dat solùm actu operari ; quæ est ipsamet doctrina Thomistarum.

Undè observandum venit, quòd Assertio nostra duntaxat intelligenda sit de partitione gratiæ *sufficientis* & *efficacis* in sensu Thomistico, non verò in sensu Molinistico ; nam in hoc sensu non apparet bonam esse divisionem Gratiæ in *sufficientem* & *efficacem ;* quia si præter gratiam efficacem daretur gratia ista sufficiens, ut ex parte Dei alia ad actu operandum non requireretur, sequeretur 1mo. Gratiam per se efficacem esse omninò inutilem, ad operandum autem nonnisi nominetenus esse efficacem. 2do. Humanam voluntatem per suum consensum effecturam, ut hujusmodi auxilium sufficiens fieret efficax, quod admitti nequit, ut ostensum est in Exercit. de Scientia media, & seq. Exercit. pluribus palam fiet.

Hujus Molinisticæ sententiæ falsitatem perspectam habuit Claudius Aquaviva Societatis Jesu Præpositus Generalis ; undè & eam prohibuit à suis doceri post habitas Congregationes de Auxiliis an. 1613. quam prohibitionem renovavit Mutius Picolomini alter ejusdem Societatis Præpositus.

Solvuntur Objectiones, & potissimùm Contra Gratiam sufficientem Thomistarum. 192

Omnis gratia actualis est efficax. Ergo gratia gratum faciens in sensu Thomistico tantùm sufficiens esse nequit. *Prob. ant.* Omnis Dei motio est efficax. Atqui omnis gratia actualis est Dei motio. Ergo &c. *Prob. maj.* Quod est à Dei voluntate est semper efficax ; alioquin Dei voluntas non semper impleretur, quod est contra S. Thomam 1. *p. q.* 19. *a.* 6.

Ante responsionem Not. apud Thomistas *gratiæ sufficientis* nomine idem venire ac *gratiam excitantem*, cujus duplex est distinguendus effectus : unus proximus, debilis, imperfectus, &c. ad quem absoluta & consequente Dei voluntate destinatur ; alter ultimus, plenus ac perfectus, ad quem ultimatò tendit & ordinatur. *Omne auxilium*, inquit Alvarez lib. 3. de Auxil. c. 17. n. 3. *sufficiens comparatione unius actus semper est efficax respectu alterius, ad quem efficiendum decretô absolutô divinæ voluntatis destinatur.* ut. v. g. auxilium sufficiens ad actum Fidei efficaciter producit in homine pias cogitationes & notitias credendorum, vel pia desideria habendi fidem, & alios hujusmodi actus imperfectos. Et hoc quidem non solùm constat ex textu S. Thomæ 1mô. locô suprà relatô, verùm etiam sic probatur ab eodem Alvarez *n.* 5. ubi *Deus*, inquit, *per auxilium sufficiens excitat animam, ut suprà dictum est ; sed implicat contradictionem, quòd anima excitetur formaliter nisi per actum vitalem à se elicitum, cùm ejusmodi excitatio fit vitalis, quæ sine actu vitali fieri non potest ; ergo auxilium sufficiens semper producit in homine aliquem actum vitalem, saltē indeliberatum ; ergo comparatione illius tale auxilium semper est efficax.*

Jam

Jam in forma Resp. ad 1mum. *neg. ant.* Ad 2dum. *neg. maj.* Ad 3tium. *dist. maj.* Quod est à Dei voluntate semper est efficax vel respectu effectûs perfecti vel imperfecti, *conc.* semper respectu effectûs perfecti, *neg. maj.* Undè respectu illius gratia erit merè sufficiens. Solutio patet ex dictis.

193 Ob 2do. Gratia, quæ dicitur sufficiens ad operandum in sensu Thomistarum, est tantùm nomine sufficiens. Ergo &c. *Prob. ant.* Nomine auxilii sufficientis apud omnes communiter intelligitur id, quod se solo sufficit, & præter quod nihil ultrà requiritur ad operandum. Atqui in sensu Thomistarum præter auxilium sufficiens requiritur adhuc aliud, per quod potentia applicetur ad agendum. Ergo &c.

Resp. Ad 1mum. *neg. ant.* Ad 2dum. *Dist. maj.* Nomine auxilii sufficientis intelligitur id, præter quod nihil aliud requiritur, ut effectus sequi possit, *conc.* ut re ipsa fieri possit, *neg. maj.* vel aliter *dist. maj.* Nomine auxilii sufficientis apud omnes plebejos & grammaticos communiter intelligitur id, quod se solo sufficit &c. *trans.* Apud omnes Theologos, specialiter apud S. Augustinum, & S. Thomam, *neg. maj.* &c.

Inst. 1mo. contra 1mam. Resp. Vel potentia, quam habet voluntas ad operandum adminiculô gratiæ sufficientis est proxima, vel est solum remota? si hoc, ergo voluntas non erit proxime expedita ad operandum, nec proindè libera: si illud, ergo alio opus non est, ut actu operetur, potentia quippe proxima seu proximè expedita est ea, cui nihil deest ad actu operandum.

Resp. Potentiam illam vi gratiæ sufficientis fieri proximam seu proximè expeditam ad operandum; nam illa potentia dici debet proxima, quæ habet omne id, præter quod aliud non requiritur, ut voluntas possit bonum operari; sic pictor dicitur habere potentiam proximam ad pingendum, cùm habet omne id, præter quod nihil aliud requiritur, ut possit pingere, quamvis actu & de facto non pingat defectu alicujus, quod ex parte potentiæ non se tenet. Atqui præter gratiam sufficientem aliud auxilium non requiritur, ut voluntas possit, quamvis actu cum ea non operetur; gratia quippe sufficiens habet ex parte potentiæ seu principii quidquid necessarium est, ut homo possit agere, tametsi indigeat præmovente gratia, ut actu agat. Ergo &c.

Ad prob. Argumenti neg. quòd sola illa potentia dici debeat proxima, cui nihil deest ad actu operandum, sed sufficit, ut modò dictum est, si nihil desit ex iis, quæ necessaria sunt ad posse operari.

Confirm. hæc Resp. auctoritate Concilii Tridentini *Sess. 6. c. 11.* definientis homini justo Dei præcepta neutiquam esse impossibilia, *Nemo* (inquit ibid.) *debet temeraria illa & à Patribus sub anathemate prohibita voce uti, Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia.* Ergo nec præceptum perseverandi contentum in *Apoc. c. 20. Esto fidelis usque ad mortem.* Item *Joan. 15. Sic currite, ut comprehendatis*, est homini justo ad adimplendum impossibile. At eadem Synodus *Sess. 6. c. 16.* docet justis omnibus non concedi illud magnum donum perseverantiæ, quod ad actu perseverandum necessarium est, quodque non est in hominis, sed in solius Dei potestate; est enim aliquod speciale donum ab aliis gratiæ auxiliis distractum. Ac proindè eadem S. Synodus supponit, quòd homo justus potentiam proximam habeat ad perseverantiæ præceptum adimplendum, quamvis ei denegetur magnum perseverantiæ donum ad actu perseverandum; si enim homo justus absque

ejus-

ejusmodi dono solùm remotam haberet potentiam ad perseverandum, tunc eo ipso Deus præciperet impossibilia, scilicet ob defectum libertatis; quia ipsimet Adversarii contendunt, quòd voluntas remotâ solùm munitâ potentiâ ad operandum non sit libera.

Præterea hic modus loquendi apud Congruistas etiam locum habet; hi enim docent, quòd voluntas ad actu operandum opus habeat auxiliô, quod Deus largiatur in illis circumstantiis, in quibus per Scientiam mediam prævidit eam consensuram. Et nihilominùs, inquiunt illud auxilium seu illam gratiam congruam, instante præcepto non dari omnibus justis, quamvis, ut volunt, habeant potentiam proximam & proximè expeditam ad implendum præceptum. Undè omnes ferè Adversariorum Objectiones, quibus Thomistas impetunt, in Congruistas regeri possunt.

Inst. Illa potentia, quam tribuit gratia sufficiens, est tantùm ad aliquid chimæricum. Ergo &c. *Prob. ant.* Quia non potest assignari actus neque objectum talis potentiæ. Ergo &c.

Resp. Ad 1mum. *neg. ant.* ad 2dum iterùm *neg. ant.* & dicimus, quòd objectum hujus potentiæ sit actus ut ponibilis, non tamen hîc & nunc ponendus. Sic Christus veram habuit potestatem seu potentiam non moriendi, cui tamen potentiæ tanquam objectum non correspondebat exemtio à morte ut actu ponenda sed tantùm ut ponibilis. Imò dici potest, quòd potentiæ, quam tribuit gratia sufficiens correspondeat perfectus actus semper ponendus, si voluntas iniqua non sit; quin imò huic potentiæ semper actu correspondent actus imperfecti, ut suprà diximus; ergo falsum est, quod sit ad aliquid chimæricum.

194 Ob. 3tio. Gratia sufficiens datur non tantùm ut homo possit observare mandata Dei, sed etiam ut illa re ipsa observet; datur quippè, ut homo id faciat, quod Deus præcipit. Atqui Deus non præcipit homini, ut possit observare, sed ut re ipsa observet hujusmodi præcepta; præceptum quippè, ut & ipsius transgressio non cadit supra potentiam sed supra actum ipsum, vel illius defectum: homo namque non ob aliam causam punitur, quàm quia transgreditur mandata, quæ servare poterat. Ergo gratia sufficiens non tantùm debet dare posse, sed etiam actu operari; alioquin stante carentia auxilii efficacis, impossibilis erit adimpletio præcepti.

Resp. *neg. maj.* & ejus *prob.* Quia gratia, quæ dat, ut homo actu operetur: ac re ipsa observet præcepta juxta S. Augustinum & S. Thomam suprà relatos nuncupatur *efficax*, non verò *sufficiens*; hæc quippè in ipsorum doctrina dat tantùm posse operari. Neque exindè inferri potest, quòd ergo, stante carentia auxilii efficacis, impossibilis sit adimpletio præcepti; nam contrà est, quòd obligatio ad operandum inducitur ex sufficienti auxilio non verò ex efficaci; ex efficaci namque inducitur adimpletio, non autem obligatio; quia efficax non dat virtutem nec posse, sed applicationem: at sufficiens dat posse, ex quo sequitur obligatio. Porrò punitio fundatur super obligatione & posse, quia indè sequitur culpa, si non faciat; non verò supra ipsum actum vel defectum illius; non enim plectitur transgressor præcepti, positô, quod illud servare non potuerit.

Inst. 1mo. Ut homo violando præceptum justè puniatur, necesse est, ut sit in potestate hominis tale auxilium efficax aut immediatè aut mediatè; si enim absque sua culpa tali auxiliô privetur, nec ullatenùs penes ipsum sit illud obtinere, quomodò reus erit culpæ & pœnæ? Atqui non est in potestate hominis habere illud auxilium efficax. Ergo propter ipsius carentiam puniri non debet; puni-

tur tamen, quia deficiente auxilio efficaci fit transgressio præcepti, quæ subjacet pœnæ.

Resp. 1mo. *neg. suppos.* scilicet Gratiam sufficientem nunquam eum assequi effectum, ad quem à Deo conceditur; quia quando illi non resistitur, nec voluntas creata ipsi non deest, effectum suum ultimum sortitur; quamvis fatendum sit ad gratiam efficacem pertinere, ut voluntas gratiæ sufficienti non desit, nec iniqua sit.

Resp. 2do. Quòd voluntas adjuta auxiliô sufficienti possit adimplere præceptum. Undè quòd illud non adimpleat, oritur ab ipsamet voluntate, quæ liberrimè non vult illud adimplere. Quòd si quæras, cur non velit? Resp. id certè non fieri, quia auxiliô efficaci destituta est: sicuti si quæratur, cur infirmus non ambulet? non est dicendum id fieri, quia à Medico curatus non est, sed potiùs quia defectum habet in pede, &c. sic etiam respondendum est: voluntatem Gratiâ sufficienti corroboratam ideò nolle observare præceptum, aut exequi bonum opus, eò quòd iniqua sit; iniqua autem est, quòd res temporales magis quàm Deum amet ac amare velit.

Inst. 2do. Ex hoc sequeretur hominem propriâ suâ culpâ privari gratiâ efficaci. Falsum hoc consequens. Ergo &c. *Prob. min.* Quia si propriâ suâ culpâ privaretur hujusmodi auxiliô, tunc nonnisi propter aliquod præcedens peccatum. Atqui in homine v. g. Baptismô regeneratô, item in primo homine & Angelo carentiam auxilii efficacis nullum præcessit peccatum. Ergo &c.

Resp. verissimam esse *Maj.* Argumenti, eamque docet S. Augustinus *lib.* 2. *de peccat. merit. & remiss. c.* 17. ubi, *Nolunt*, inquit, *homines facere, quod justum est, sive quia latet, an justum sit, sive quia non delectat .... ut autem innotescat, quod latebat, & suave fiat, quod non delectabat, gratia Dei est, quæ hominum adjuvat voluntates, qua ut non adjuventur, in ipsis itidem causa est, non in Deo, sive damnandi prædestinati sint propter iniquitatem superbiæ, sive contra ipsam suam superbiam judicandi*, &c. Cui concordat S. Thomas *lib.* 3. *cont. gent. c.* 159. ubi ait hominem impedimentum præstare gratiæ receptioni, atque adeò ei in culpam verti, quòd eâ privetur. Accedit etiam auctoritas Concilii Tridentini *Sess.* 6. *c.* 13. Undè in forma *conc. maj. neg. min.* Ad ejus *prob. conc. maj.* ac rursus *neg. min.* Nam 1mo in homine per Baptismum regenerato præcessit saltem peccatum originale, quod Deo sufficiens motivum est denegandi gratiam efficacem.

Neque dicas: *In regeneratis nihil odit Deus, quia nihil damnationis est in iis*, ut ait Concil. Trid. *Sess.* 5. *Can.* 5.

Nam contrà est. 1mo. quòd iste Canon sic intelligi possit, nimirùm, quod nihil personaliter damnationis sit in renatis, & quòd, quidquid personaliter ipsos infecit in sua nativitate, totaliter sit remissum; non autem quòd nihil damnationis sit in iis, quatenùs communiter cum toto humano genere in Adamo contenti spectantur; alioquin reprobi Baptismô regenerati essent à damnationis massa liberati.

Contrà est 2do. quia Deus non punit peccatum per Baptisma remissum privatione gloriæ aut gratiæ sanctificantis, aut etiam gratiæ actualis sufficientis (justum quippe non deserit, nisi prius ab ipso deseratur) & sic verissimum est *in renatis nihil damnationis esse*; attamen non impedit, quin Deus hujusmodi renatis deneget auxilium efficax ad superandam quamdam socordiam, negligentiam, aliumve animæ defectum; natura enim humana per Baptismum non sanatur à defectibus suis; undè; cùm sit de-

fe-

fectuosa, in ejuscemodi nævos ex se proruit, qui proindè à Deo per denegationem auxilii efficacis meritò permitti possunt; quia sic exigit natura ac voluntas hominis. Jam hisce negligentiis, socordiis, aliisque hujusmodi nævis, licèt levibus, sæpè tamen movetur Deus, ut deneget gratiam efficacem urgente tentatione ac instante præcepto, solùm concessa gratia sufficiente. Ex quo palàm fit, hominem nonnisi ob præcedentem culpam privari auxiliô efficaci, cùm instat grave præceptum; undè verissimum est illud Osee: *Perditio tua ex te Israël, in me tantummodò auxilium tuum.*

Porrò in primo homine & Angelo comitatur saltem culpa denegationem auxilii efficacis, imò in aliquo genere causæ saltem materialis etiam præcedit, quod sufficit, ut dicatur homo impedimentum voluntarium ponere Deo etiam respectu primæ denegationis auxilii efficacis: nam re vera, quando denegatur homini auxilium efficax, ex parte ipsius hominis datur peccatum vel inconsideratio, & utrumque est voluntarium, sicque voluntarium impedimentum concomitanter habet. Quòd verò in aliquo genere antecedat, patet, quia ad quodcunque peccatum & requiritur permissio ex parte Dei, & sequitur ex parte hominis defectus seu lapsus ex defectibilitate propria, qua ruit in nihilum & defectum, sicut ex absentia Solis lucem prementis aër ex propria natura fit tenebrosus.

Quando autem dicitur nostrum defectum in genere causæ dispositivæ & materialis præcedere ipsam denegationẽ auxilii; non intelligitur præcedere per modum dispositionis antecedentis, sicuti dispositiones remotæ præcedunt formá, v.g. calor vel siccitas ignem, sed eo modo, quo ipsa corruptio unius formæ & generatio alterius se invicem præcedunt, quia corruptio est velut dispositio præcedens introductionem formæ; nam nonnisi in subjecto, quod formâ caret, opposita introducitur, licèt in genere formali seu effectivo generatio sit prior, & ad eam sequatur corruptio: sic denegatio auxilii nonnisi in subjecto deficiente est non ante deficientiam, & tamen defectus sequitur ad negationem auxilii.

Confirmatur hoc alia paritate: v. g. potest homo per actus contritionis & dilectionis Dei se reddere dispositum ad recipiendam gratiam sanctificantem illam ipsam, à qua illi actus pendent in genere causæ efficientis. Ergo etiam poterit quis permissionem eorumdem actuum, quando sunt præcepti, se reddere indispositum ad recipiendam gratiam auxiliantem illam ipsam, quæ ad hos actus necessariò prærequiritur intra genus causæ efficientis. Atqui hoc est impedire auxilium efficax per omissionem culpabilem illorummet actuum præceptorum, ad quos habetur carentia hujusmodi auxilii. Ergo &c.

Inst. 3tio. Vel homo impedit auxilium efficax non operando cum auxilio sufficienti, vel apponendo obicem peccati. Non primũ; quia sine prævia applicatione & præmotione operari non potuit. Non secundum; quia neque actum peccaminosum elicere valet homo nisi prædeterminatus ad materiale peccati; & hac prædeterminatione semel posita abstinere à peccato non potuit.

Resp. Utroque modo fieri. Undè ad primum *probationis* membrum *neg.* quòd homo sine prævia applicatione operari non potuerit; non enim præmotio datur ad posse, sed tantùm ad ipsum operari. Ad secundum *prob.* membrum Resp. 1mo. cum *distinctione*: prædeterminatione posita ad materiale peccati homo abstinere non potest à peccato in sensu composito ac potentia consequente, *conc.* potentia antecedente & in sensu diviso, *neg.* Sicuti enim prædeterminatus ad materiale pec-

peccati adhuc retinet potentiam ad oppositum, ita hoc ipso etiam retinebit potentiam ad oppositum ipsi peccato. Undè falsum est, quòd simpliciter non possit abstinere à peccato.

Resp. 2do. Quidquam haud officit doctrinæ propositæ, quòd homo in actum defectivum prodire nequeat nisi promovente Deo: nam quantumvis efficaciter præmoveat, non tamen ipse Deus sed liberi arbitrii defectibilitas causa est, cur huic motioni defectus admisceatur; ex parte creaturæ enim oritur, ut potiùs determinetur ad malam actionem; Deus namque haud unquam determinat ad materiale peccati, nisi priùs creatura quodammodò se determinaverit ad formale; ut enim Deus est primum efficiens, sic creatura primum deficiens; & ideò licèt ipsa sibi non sit prima causa efficiendi, sibi tamen est prima causa deficiendi, quovis tandem modo id explicetur. Undè si spectetur actio qua parte mala est, priùs est à creatura, nec Deus ad materiale influit, nisi quia creatura sic exigit. His ita præmissis ac stabilitis modò expendendum, an omnibus dentur media ad salutem sufficientia.

§. II.

195 *Proponuntur ac solvuntur Argumenta affirmantium Deum nunquam ulli denegare media seu auxilia sufficientia ad salutem.*

Gratia sufficiens juxta hos Doctores omnibus pro loco & tempore præstò est, 1mo. quidem Parvulis etiam in utero materno decedentibus. 2do. Infidelibus præcipuè ad conversionem. 3tio. Peccatoribus induratis ad pœnitentiam. 4to. denique Justis ad mandatorum Dei observantiam. Hæc per ordinem expendenda veniunt, semper præposita argumentis propositione vitandæ obscuritàtis & confusionis gratiâ.

Propositio. I. 196

Deus omnibus parvulis media ad salutem consequendam sufficientia præparavit, ac de illis applicandis sufficienter, quantùm est ex se, providit.

Argumenta, quibus hæc propositio probatur, potissimùm ex S. Scriptura repetuntur. 1mo. Ex illo 1. Tim. 2. *Qui* (Deus) *vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Ex quo sic arguitur: Deus iis tribuit auxilia sufficientia ad salutem, quos vult salvos fieri; nam qui vult alicui finem, vult & ipsi media, quibus illum adipisci possit. Atqui Deus vult parvulos omnes salvos fieri; qui vult omnes homines salvos fieri ut jam dictum est ex Apostolo. Ergo &c.

Resp. 1mo. Gratiam sufficientem sitam esse in illustratione intellectûs ac piis motionibus voluntatis, quorum donorum incapaces sunt infantes in utero materno inclusi, ac proindè gratiam sufficientem habere nequeunt ad salutem.

Resp. 2do. Textum Apostoli variam suscipere interpretationem. *Dicendum*, inquit S. Thomas 1. p. q. 19. a. 6. *quòd illud verbum Apostoli, quòd Deus vult omnes salvos fieri, &c. potest tripliciter intelligi. Uno modo, ut sit accomoda distributio secundùm hunc sensum: Deus vult salvos fieri omnes homines, qui salvantur, non quia nullus homo sit, quem salvum fieri non velit, sed quia nullus salvus fit, quem fieri salvum non velit, ut dicit Augustinus. 2do. potest intelligi, ut fiat distributio pro generibus singulorum & non pro singulis generum, secundùm hunc sensum: Deus vult de quolibet statu hominum salvos fieri mares & fœminas, Judæos & Gentiles, parvos & magnos, non tamen omnes de singulis statibus. 3tio. Secundùm*

dum Damascenum intelligitur de voluntate antecedente non de voluntate consequente; quæ quidem distinctio non accipitur ex parte ipsius voluntatis divinæ, in qua nihil est prius vel posterius, sed ex parte volitorum.

Utra ex his tribus expositionibus à S. Thoma adductis eligatur, nil ex iis elici poterit ad gratiam sufficientem pro parvulis, qui sine Baptismo moriuntur, probandam. Et quidem de 1ma. & 2da. per se constat. De 3tia. autem sic probatur: Voluntas antecedens est tantùm voluntas *signi*, ut vult Estius, quæ potest subsistere absque eo, quòd de mediis ad salutem necessariis fiat provisio ac ordinatio, quod patet ex definitione hujusce voluntatis: est enim voluntas signi *quædam divinæ voluntatis declaratio per aliqua signa extrinseca.* Datô tamen, quòd voluntas antecedens sit voluntas *beneplaciti*, indè tamen inferri nequit auxilia sufficientia iis dari, quos Deus hac duntaxat voluntate vult salvos fieri; siquidem ea voluntas Deum non movet, ut conferat actu dona, aut actualiter de iis provideat, sed solùm efficit, ut re vera ea esset collaturus, nisi obstaret iniquitas creaturæ.

Argumentum alterum petitur ex alio textu ejusdem Epistolæ 1. ad Tim. c. 2. nempè: *Christus mortuus est pro omnibus hominibus.* Ergo etiam pro parvulis; ac proindè confert actu gratias sufficientes.

Resp. *conc. ant. neg. cons.* Quamvis enim ex morte Christi & ex voluntate illius antecedente colligi possit omnibus præparata fuisse media, quæ ad salutem sufficiant, colligi tamen non potest ea media omnibus actu conferri. *Si verò*, (inquit Catech. Rom.) *ejus virtutem inspiciamus, pro omnium salute sanguinem à Salvatore effusum esse fatendum erit; si fructum, quem ex eo homines perceperint, cogitemus, non ad omnes sed ad multos tantùm eam utilitatem pervenire facilè intelligemus.* Eòdem spectant hæc verba Concilii Trid. Sess. 6. c. 3. *Verùm etsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed ii duntaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur.*

Argumentum 3tium. peti solet ab auctoritate S. Prosperi, qui *lib. 2. de vocat. Gent. c. 20.* sic ait: *Non irreligiosè arbitror credi, neque inconvenienter intelligi, quòd isti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ semper universis est impensa nationibus; qua utique si benè eorum uterentur parentes, etiam ipsi per eosdem juvarentur.*

Resp. S. Prosperum hîc non loqui de omnibus omninò parvulis, sed de iis, qui aliquamdiu vivunt, quos appellat *paucorum dierum homines*, & quibus parentum diligentiâ subveniri potest. At præsens difficultas versatur præcipuè circa infantes, qui in utero materno decedunt.

PROPOSITIO II. 197

Auxilium sufficiens ad salutem pro loco & tempore etiam infidelibus datur.

Argumentum 1mum. ad tuendam hanc propositionem desumitur ex S. Scriptura 1mo. ex illo Joan. 1. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* 2do. ex 1. Tim. 4. *Qui est Salvator omnium hominum, maximè fidelium.*

Resp. ad 1mum. Textum illum non esse ad propositum; nam certum est, quòd Infideles non illuminentur, sed neque illuminari possint, quamdiu lumen Evangelii defectu annuntiationis eis non prælucet, quod certè multis contingit, ac proindè isti destituti sunt gratiâ sufficienti ad salutem. Eadem est responsio ad 2dum Textum.

Argumentum 2dum. sumitur ab auctoritate S. Thomæ *in c. 12. Ep. ad Heb. lect.*

lect. 3. ubi, *Gratia*, inquit, *nulli deest, sed omnibus, quantùm in se est, se communicat.* Et 1. *p. q.* 49. *a.* 2. *ad* 3. sic loquitur: *Deus non deficit ab agendo, quod est necessarium ad salutem.*

Resp. S. Thomam tantùm velle, Deum per voluntatem antecedentem duntaxat offerre seu præparare auxilia ad salutem sufficientia; nam pro omnibus instituit Sacramenta in Ecclesia, & pro omnibus Christum misit, &c. non tamen dicit, illa media & auxilia per voluntatem illam generalem omnibus esse applicata.

Argumentum 3tium. petitur ex eo, quòd Inquisitores Romani die 7. Decemb. an. 1690. coram Alexandro Papa VIII. damnaverint hanc propositionem: *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis, nullum omninò accipiunt à Jesu Christo influxum; adeoque hinc rectè inferes, in illis esse voluntatem nudam, inermem, sine omni gratia sufficienti.*

Resp. 1mo. Hanc propositionem potuisse absolutè damnari ratione Judæorum, Hæreticorum, &c. quamvis respectu Paganorum vera sit. Hæc enim propositio duabus partibus constat: ut igitur damnaretur, satis fuit, ut sit falsa quoad unam partem, quamvis vera sit quoad aliam.

Resp. 2do. Nomine *Paganorum* in illa propositione intelligi eos, sive aliquid de Evangelio audierint sive non. At Nos, inquiunt Adversarii, contendimus illis tantùm Paganis non dari gratiam sufficientem, quibus veritas Evangelii annuntiata non fuit.

Argumentum 4tum. hac triplici propositione conficitur: 1mo. Deus impossibilia non jubet. 2do. Nemo peccat in eo, quod cavere non potest. 3tio. Peccant Infideles, quando mandata Dei animô deliberatô transgrediuntur. Atqui nisi dentur Infidelibus gratiæ sufficientes, præcepta Dei eis erunt impossibilia, & peccabunt in eo, quod vitare non possunt: nam, ut præcedenti Exercitatione sufficienter innuimus, mandata etiam naturalia, si sint difficiliora, absque gratia servari nequeunt. Ergo &c.

Resp. Infideles, tametsi omni gratiæ destitutos (idem dicendum de obduratis & excæcatis, &c.) peccare etiam in eo, quod vitare non possunt, quando illa impotentia oritur ex culpa. Atqui ii Infideles, qui destituuntur potentiâ proximâ ad observanda præcepta ob defectum auxilii sufficientis, ideò eâ privantur, quia apponunt impedimentum vel per peccatum actuale vel saltem per peccatum originale.

PROPOSITIO III. 198

Nullus est peccator etiam inter induratos & excæcatos, cui identidem pro loco & tempore non detur auxilium sufficiens tùm ad pœnitentiam agendam, tùm ad tentationem vincendam.

Argumentum 1mum. petitur ex S. Scriptura. 1mo. ex illo Isai. 5. *Quid ultrà debui facere vineæ meæ, & non feci?* Huic objurgationi possent respondere peccatores, debuisses nobis gratiam largiri, qua possemus agere pœnitentiam ac vincere tentationes.

Resp. AA. Excæcatos peccatores non posse id Deo objurganti respondere; quia Deus gratiam nulli debet, præsertim iis, qui se per multa flagitia indignos reddiderunt, quibus, ut præcedenti propositione dictum, apponunt impedimentum gratiæ receptioni.

2do. Desumitur ex illo Prov. 1. *Vocavi & renuistis, extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret.* Item ex illo Apoc. 3. *Ecce sto ad ostium & pulsò; si quis aperuerit mihi januam, introibo.*

Resp. Loca ista intelligi de vocatione per auxilia extrinseca, putà per exhortatio-

tiones, &c. Datô tamen, quòd intelligi debeant de gratia interna, non tamen probant eam vocationis speciem peccatoribus obcœcatis præsentem esse, quoties urget tentatio, aut adimplendum est aliquod præceptum, sed tantùm quòd ii aliquando in vita, præsertim antequam in excœcationem inciderint, aliquos divinæ gratiæ motus experti sint.

Eodem modo respondent ad auctoritatem Concilii Coloniensis, quod in Enchiridio de Sacramento pœnitentiæ sic loquitur: *Nullus est peccator tàm scelestus, cui Deus, quoad in hac vita superstes fuerit, hanc gratiam penitùs subtrahat.*

Argumentum 2dum. petitur ab auctoritate Concilii Senonensis an. 1528. part. 13. in Decretis fidei c. 15. ubi sic ait: *Neque tamen tanta gratiæ necessitas libero præjudicat arbitrio, cùm illa semper sit in promtu nec momentum quidem prætereat, in quo Deus non stet ad ostium, & pulset.*

Resp. 1mo. Hoc Concilium fuisse tantùm provinciale nec à Sede Apostolica confirmatum, ac proindè ejus definitiones sine temeritatis nota à Catholicis negari seu negligi posse.

Resp. 2do. Verba Concilii necessariò debere explicari & cum aliqua restrictione intelligi; nam certum est, quòd non semper illos pios motus sentiamus, in quibus tamen consistit gratia sufficiens. Undè ea verba intelligenda sunt de præparatione ipsius gratiæ, non autem de ejus actuali collatione.

Argumentum 3tium. petitur à ratione. Nullus est peccator, qui non teneatur suo tempore sub gravi peccato se ad Deum per pœnitentiam convertere. Atqui ad hanc conversionem necessariò requiritur gratia saltem sufficiens. Ergo non est peccator, qui non habeat aliquando gratiam sufficientem, ut resipiscat à malo; quia alioquin ejus impœnitentia ipsi nullatenùs imputaretur ad peccatum.

Resp. 1mo. Hanc impœnitentiam peccatoribus induratis meritò imputari in peccatum, licèt careant gratiâ sufficienti ad conversionem; quia, ut jam dictum, ipsorum culpa est, quòd eâ priventur; sicque solùm consequentem ac voluntariam habent impotentiam se convertendi, non verò antecedentem ac necessariam.

Resp. 2do. Hujusmodi homines adhuc liberè peccare; quia possunt absolutè non peccare, nempè per simplicem actûs suspensionem seu non positionem.

Inst. Contra 1mam. Resp. Ut quis inexcusabiliter obligetur ad aliquem actum debet esse intrinsecè potens ad illum eliciendum. Atqui peccatores obdurati & excœcati inexcusabiliter obligantur ad agendum pœnitentiam. Ergo debent esse ab intrinseco potentes ad pœnitendum de peccatis per principium & auxilium sufficiens intrinsecè in illis receptum.

Resp. *neg. maj.* Neque enim, ajunt, ut quis non peccet, necessariò requiritur, ut possit per gratiam, quæ sit præsens, bonum operari; quia ad libertatem non requiritur indifferentia contrarietatis seu specificationis, hoc est, ad bonum & malum; sed satis est ad liberè peccandum indifferentia contradictionis, hoc est, ut intra idem genus boni aut mali hæc vel illa species boni aut mali possit eligi. Hæc autem indifferentia contradictionis reperitur in indurato gratia sufficiente destituto: ita enim hanc vel illam peccati speciem eligit, ut possit aliam eligere; sic v. g. tentationem, qua ad luxuriam provocatur, potest superare motivô vanæ gloriæ, &c.

PRO-

199 PROPOSITIO IV.

Justis omnibus, instante præcepto, dantur gratiæ sufficientes ad implendum præceptum.

Propositio hæc defenditur ab omnibus Theologis Catholicis contra Jansenium & ejus sectatores. Priusquam verò eam quibusdam argumentis stabiliamus, operæ pretium erit breviter exponere illius circa gratiam aberrationes.

1mo. Itaque Jansenius non aliam nomine & re sufficientem gratiam admittit quàm efficacem & victricem, quæ, si victrix sit, voluntatis consensum indeclinabiliter & insuperabiliter semper exprimit, cui proinde nunquam resistitur. *Vocamus*, inquit, c. 1. lib. 3. de grat. Chr. *sufficientem gratiam seu sufficiens adjutorium, præter quod nihil aliud ex parte Dei per modum principii necessarium est, ut homo velit aut operetur.*

2do. Docet Gratiam esse semper efficacem, licèt semper victrix non sit. *Delectatio*, inquit lib. 8. c. 2. *victrix, quæ Augustino est efficax adjutorium, relativa est; tunc enim est victrix, quando alteram superat; quòd si contingat alteram ardentiorem esse, in solis inefficacibus desideriis hærebit animus.* Undè gratia, quam Jansenius parvam appellat, quantùm est ex se, efficax est; quia haberet suum effectum, nisi resisteret opposita cupiditas. At certè si spectetur relativè & comparatè ad majorem actualem concupiscentiæ delectationem, planè insufficiens est; quia non habet satis virium ad illam superandam. Hinc Gratia parva Jansenii, in rei veritate loquendo, nulla est atque Gratiæ nomine indigna, cùm, prout ipsemet lib. 4. de grat. Chr. c. 10. fatetur, talis sit, *ut ex ea operatio nequidem possit sequi, nisi ejus inefficacia per aliam suppleatur.* Juvat hìc totum eorum, quæ cit. loc. ait, contextum persequi: igitur *Hinc claret*, inquit, *cur Augustinus omnem omninò gratiam purè sufficientem auferat. Ratio perspicua est; quia cùm ei nulla sit gratia operandi præter istam suavitatem Dei, nisi ista tanta fuerit, ut ei delectationes rerum creatarum cesserint, vel peccabitur, vel alternante delectationum fluctu, in medio remanebitur. Sin autem ista superaverit, jam sine dubio benè voluntas operabitur: quod enim ampliùs nos delectat, secundùm id operemur necesse est. Sed utrumlibet fiat, non erit sufficiens gratia, sed vel efficax, vel ita inefficax, ex qua operatio nequidem possit sequi, nisi ejus inefficacia per aliam suppleatur.*

3tio. Gratiam sufficientem, quam Thomistæ propugnant, deridet, ac gravis censuræ notâ inurit. *Non tantùm hominibus inutilis est*, inquit lib. 3. de grat. Chr. c. 2. *sed & perniciosa* (gratia sufficiens Thomistarum) *Et verò, quid homini misero perniciosius, quàm illâ gratiâ abundare, qua nemo unquam, fatentibus etiam Scholasticis, nisi majorem damnationem assecutus est.* Attamen Jansenistæ, ubi rebus suis expedire arbitrantur, obtendunt, se id ipsum profiteri ac docere, quod Thomistæ; ut sic alienâ larvâ obtecti elabantur.

4to. Denique docet: *Aliqua Dei mandata justis volentibus atque conantibus secundùm præsentes, quas habent, vires esse impossibilia, deesse quoque gratiam, qua possibilia fiant.* Et hæc est famosissima illa propositio ex Jansenii lib. 3. de grat. Chr. c. 13. excerpta, & ab Ecclesia, prout hìc jacet, proscripta. Sensus igitur & mens Jansenii est: Cùm gratia parva Justis secundùm præsentes, quas habent, vires, hoc est, relativè & comparatè ad præsentes eorum vires, quædam præcepta esse impossibilia. E contrà verò Doctores Catholici unanimiter docent: Justis, urgente præcepto, conferri à Deo gratiam verè sufficientem, per quam relativè ad

ad eorum actualem & præsentem concupiscentiam possunt tentationes superare, ac præcepta servare. Quod sequentibus argumentis evincitur.

Argumentum 1mum sumitur ex S. Scriptura, ex multis quidem ipsius libris & locis, specialiter tamen 1. Cor. 10. *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* Atqui tentarentur Justi supra id, quod possunt, nisi viribus parem actuali tentationi superandæ gratiam haberent. Ergo &c.

Resp. Jansenius, hunc textum de solis prædestinatis quantùm ad eorum finalem perseverantiam intelligendum esse. Sed immeritò sanè; nam in eo textu nullum finalis tentationis vestigium apparet. Deindè Concilium Trid. Sess. 24. Can. 9. hunc textum ad omnes continentiæ votô obstrictos extendit.

Argumentum 2dum. petitur ex eodem Concilio Trid. Sess. 6. de Justif. c. 11. ubi sic loquitur: *Nemo temeraria illa, & à Patribus probibita voce uti* (debet) *Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia; nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet & facere, quod possis, & petere, quod non possis, & adjuvat, ut possis.* Item Can. 18. ejusdem Sess. sic definit: *Si quis dixerit Dei præcepta homini etiam justificato & sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia, Anathema sit.*

Resp. Janseniani, hæc ad Jansenium nihil attinere, sed solùm ad Sectarios nostri ævi, quorum perstringitur error in hoc situs, quòd Justi in suis operibus, licèt alioquin sanctis, semper, saltem venialiter peccent. Hinc Calvinus etiam cum gratia efficaci impossibilia Justis voluit esse mandata Dei, *quia*, inquit lib. 3. Inst. c. 15. n. 3. *nihil ab homine exit, quantumvis perfecto, quod non sit aliquâ maculâ inquinatum.* Et ib. n. 4. *Scripturæ*, inquit, *doctrina est, aspersa esse perpetuò sordibus multis bona opera nostra, quibus meritò Deus offendatur, ac nobis succenseat.* Loquitur ergo Concilium Trid. ad mentem Novatorum, eorumque duntaxat percellit errorem.

Sed contrà est, quòd Concilium Trid. duobus distinctis Canonibus duos Sectariorum errores perstringat & Anathemate feriat. Unum quidem cit. Can. 18. nempe *impossibilia Justis esse mandata Dei.* Alterum verò Can. 25. quo damnantur ii, qui dixerint *Justos in omnibus operibus suis, piis licèt ac sanctis, semper peccare.* Verba Concilii hæc sunt: *Si quis dixerit, in quolibet bono opere Justum, saltem venialiter, peccare ...... Anathema sit.* Hoc quidem posteriori Canone soli perstringuntur ii Novatores, adversùs quos coactum erat Concilium: at Can. 18. & cap. 11. citatis damnantur omnes ii, qui dixerint mandata Dei esse Justis observatu impossibilia; quem errorem jam à Patribus sub anathemate prohibitum fuisse asserit Concilium.

Argumentum 4tum nobis suppeditat S. Augustinus Serm. in Psal. 7. super illa verba: *Justum auxilium meum a Domino.* ubi, *Duo sunt*, inquit, *officia medicinæ, unum, quo sanatur; alterum, quo sanitas custoditur. Juxta illud primum, dictum est in superiori Psalmo: Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum: juxta hoc alterum, in hoc Psalmo dicitur: Si est iniquitas in manibus meis, si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam ergo ab inimicis meis inanis. Ibi infirmus, ut liberetur, hic jam sanus ne corrumpatur, orat .... Itaque ibi misericors auxilium est, quia nullum habet meritum peccator, qui adhuc justificari desiderat, credens in eum, qui justificat impium: hic autem justum est, quod jam justo tribuitur.*

Resp. Jansenistæ 1mo. S. Doctorem duntaxat ibi locutum fuisse de Justis prædestinatis. 2do. Si tamen de omnibus Justis sit intelligendus, ea solum ratione, ut orent, prout innuitur his verbis: *Hic jam sanus, ne corrumpatur, orat.*

Sed contra 1mam. Resp. est; quia ex contextu liquet S. Doctorem de omnibus Justis locutum fuisse. Ibi enim exhortatur Fideles sibi subditos, ut in Dei auxilio spem ac fiduciam suam reponant, quod non solùm prædestinati, sed omnes Christi Fideles præstare tenentur. Contra 2dam. Resp. est 1mo. quia nisi concedatur saltem Gratia orationis verè sufficiens, non censetur Deus adjuvare Justos, ut non peccent & in bono perseverent; videtur enim Deus aliter nolle dispensare bona sua, nisi adminiculô orationis. Undè Christus ipsemet nos admonet: *Vigilate & orate, ne intretis in tentationem.* Item Apostolus: *Sine intermissione orate.* Contrà est 2do. quia oratio, de qua hîc loquitur S. Augustinus, non est pro gratia sufficiente, sed solùm efficaci obtinenda: orat igitur Justus, ne corrumpatur, id est, ut in bono perseveret, non verò ut possit perseverare. *Homo,* inquit idem S. Augustinus lib. de correp. & grat. c. 7. *in eo, quod audieras ac tenueras, in eo perseverares si velles.* At usu receptum est, ut, qui dicuntur aliquid facturi, si vellent, intelligantur habere sufficientem potentiam ad illud faciendum.

Meritò igitur Innocentius X. & Alexander VII. solemnibus & ab universa Ecclesia receptis Constitutionibus hanc inter quinque famosas Jansenii propositiones primam gravi censurâ notârunt: *Aliqua Dei præcepta hominibus Justis volentibus & conantibus secundum præsentes, quas habent, vires sunt impossibilia, deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant,* scilicet sufficiens.

200 Objicit Jansenius nonnulla S. Augustini testimonia, quibus significat Justos aliquando ex præsente gratia non posse certa quædam mandata observare. Lib. de perfectione justitiæ c. 3. Cælestio contendenti præcepta debere esse possibilia, respondet num. 6. S. Augustinus: *Consultissimè homini præcipi, ut rectis passibus ambulet, ut cùm se non posse perspexerit, medicinam requirat.* Tract. 4. in Joan. num. 9. de volentibus adimplere mandata ait: *Surge & ambula, fortè conaris ambulare & non potes, quia dolent pedes.* Lib. de grat. & lib. arb. c. 17. n. 33. *Qui ergo vult,* inquit, *facere Dei mandatum, & non potest, jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam & invalidam, poterit autem, cùm magnam habuerit & robustam.* Serm. 97 de diversis. c. 4. dicit: *Volumus ô Domine! volumus & non possumus.*

Resp. Ex his hoc unicum concludi potest, scilicet Justos interdum non habere auxilium proximè sufficiens ad observanda Dei mandata, non tamen quòd non habeant remotè sufficiens, scilicet quo per orationem uberius impetrare Dei auxilium valeant, quatenùs eo roborati ea mandata observare proximè possint: siquidem S. Augustinus hanc orandi gratiam & facultatem Justis semper adesse saltem pro loco & tempore passim fatetur, præsertim lib. de nat. & grat. c. 43. ubi, *Deus,* inquit, *impossibilia non jubet, sed jubendo admonet, & facere quod possis, & petere quod non possis.* Item c. 19. *Firmissimè,* inquit, *credere Deum justum & bonum impossibilia non potuisse præcipere; hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus.*

Inst. 1mo. Libertas non potest stare cum potentia remota ad agendum, alioquin homo ligatus liber esset ad ambulandum. Atqui gratia sufficiens remota facit potentiam remotè tantùm potentem ad agendum, & non proximè expeditam. Ergo per tale auxilium sufficiens non salvatur libertas.

Resp.

Resp. *dist. maj.* Libertas non potest stare cum potentia remota ad agendum, si in hominis potestate non sit eam facere proximam, *conc.* Secus, *neg. maj.* Hinc, si homo ligatus pro omni instanti se ipsum posset solvere, deberet potiùs dici liber quàm non liber.

Inst. 2do. S. Augustinus lib. 1. ad Simpl. docet, etiam interdùm Justis denegari gratiam orationis. Ergo falsum est, quòd gratia orationis semper præstò sit. En verba S. Augustini: *Nonne aliquando ipsa oratio nostra sic tepida est, vel potiùs frigida & penè nulla, ut neque hoc in nobis cum dolore advertamus.... quid ergo aliud ostenditur nobis, nisi quia & petere, & quærere, & pulsare ille concedit, qui, ut hæc faciamus, jubet.*

Resp. Justis aliquando conceditur gratia orationis, per quam re ipsa, prout oportet, orent, *conc.* gratia proximè sufficiens, per quam orare, prout oportet, possint, *neg.* Itaque Justi, quin & impii, non carent iis motibus ad Deum invocandum & orandum incitantibus juxta illud Rom. 1. *Quæ nota sunt Dei manifesta sunt illis, propter quod inexcusabiles sunt, quia Deum non sicut Deum glorificaverunt*, id est, non ad eum ut benè vivendi auctorem orando confugerunt.

Urg. Ex S. Augustino Ep. 107. ad Vitalem ita differente: *Scimus gratiam ad singulos actus non omnibus dari.* Ergo neque ad orationem.

Resp. Eum loqui de gratia efficaci, non sufficiente.

Inst. S. Augustinus lib. de correp. & grat. c. 11. expressis verbis affirmat de auxilio *sine quo* seu sufficienti illud non omnibus dari, *Nunc autem*, inquit, *quibus deest tale adjutorium, jam pœna peccati est; quibus autem datur, secundùm gratiam datur, non secundùm debitum.*

Resp. S. Augustinum hîc non loqui de auxilio ad vitandum hîc & nunc peccatum, sed potiùs ad omnia peccata diu vitanda, quale habuit Adam & Angelus. Illud autem non habet peccator, utpotè qui caret gratia sanctificante, sine qua vitari non possunt omnia omninò peccata mortalia: imò nec Justi, de quibus solùm hîc loquimur, tam plenum habent hujusmodi auxilium, ut omnia collectivè vitare queant peccata venialia saltem. Deinde per *adjutorium* hîc intelligit S. Doctor gratiam habitualem, prout docet Bellarminus *c.* 8. *de grat. & lib. arb. lib.* 2. *litt. c.*

Cæterùm ad solvendas objectiones, quæ adhuc contra hanc propositionem adduci possent, notandum est, quòd S. Scriptura, & SS. Patres, quando dicunt, quòd homines non possint converti, non habeant gratiam, &c. intelligendi sint vel de auxilio efficaci, vel de sufficienti immediatè, non tamē mediatè; vel de potentia consequente, non tamen antecedente; vel in sensu composito seu reduplicativo, non tamē absoluto; vel pro omni momento, non tamen pro suo loco & tempore; vel comparativè, quia uni uberior datur gratia quàm alteri, non tamen absolutè; vel tandem de gravi difficultate, non tamen de impossibilitate. Hisce igitur satis constat de veritate hujus quartæ propositionis; modò juvat expendere argumenta, quibus impugnari solent aliæ priores propositiones.

§. III.

Proponuntur ac solvuntur Argumenta 201 *negantium Deum omnibus largiri auxilia sufficientia ad salutem.*

QUo ordine proposita sunt argumenta, quibus propugnatur gratiam sufficientem omnibus hominibus concessam esse ad salutem, eo ordine necesse est argumenta, quibus hujusmodi sententia im-

impugnatur, proferre additis eorumdem solutionibus.

Contra primam propositionem igitur istud conficitur argumentum. Nihil prorsùs præter Baptismum in nova Lege sufficiens est ad salutem parvulorum. Atqui multi parvuli eo privantur. Ergo multi parvuli non habent gratiam sufficientem.

Resp. *dist. min.* Multi parvuli eo privantur, ita ramen, ut illis de ejus applicatione sufficienter provisum fuerit, *conc.* secus, *neg. min.*

Inst. 1mo. Illis sufficienter de applicatione Baptismi Deus sufficienter non providit, quibus absque ulla parentum culpa, solo Deo nolente, nullo pacto potest applicari. Atqui multi sunt infantes, quibus taliter hoc remedium salutis non potest applicari. Ergo &c. *Prob. min.* S. Augustinus lib. de dono persev. c. 12. n. 31. plerumque ait, *Festinantibus parentibus, & paratis ministris, ut Baptismus parvulo detur, Deo tamen nolente, non datur, qui eum paululùm in hac vita non tenuit, ut daretur.*

Resp. *dist. maj.* Quibus Deo nolente non potest applicari Baptismus voluntate Dei absoluta & consequente naturalem causarum secundarum dispositionem, quam Deus tanquam provisor generalis interturbare non tenetur, *conc.* Voluntate Dei conditionata & antecedente, *neg. maj.* Voluntas Dei antecedens est conditionata; undè circa salutem infantum supponit aut diligentiam parentum, aut certam quamdam causarum dispositionem, quæ mortem infanti priùs non inferat, quàm per Baptismum ipsi possit subveniri. Quòd si igitur hæc defecerit, Deus voluntate consequente non vult eum baptizari, tametsi voluntate generali & antecedente sufficienter providerit & de remedio & de applicatione Baptismi.

Inst. 2do. Qui eum naturæ cursum instituit, per quem priùs infans moritur, quàm ad Baptismum, adhibitâ etiamnum omni diligentiâ, pervenire possit, ille non censetur sufficienter providisse de applicatioe remedii salutis. Atqui Deus eum naturæ cursum &c. instituit. Ergo &c.

Resp. *dist. maj.* Si directa, expressa, & speciali voluntate eum naturæ cursum idcirco instituit, ut, eo exigente, priùs moriatur infans, quàm possit baptizari, *conc.* Si tanquam provisor generalis eum naturæ cursum instituit ac permittit, in quo necesse est priùs infantem mori, quàm baptizari, *neg. maj.* Porrò Deus rerum omnium provisor est generalis, ac singulis ita debet prospicere & consulere, ut nulli benefaciat dispendiô ac damnô alterius: cùm igitur, secundùm nostrum concipiendi modum, Deus priùs certum quemdam causarum secundarum ordinem ac cursum instituerit, quàm de remediis infantium quidquam statuerit, ideò sequitur, quòd, si infans in tali rerum cursu versetur, qui eum vitâ privet priusquàm ad Baptismum pertingat, minimè in directam Dei voluntatem refundi debeat, quòd salutis remedium haud assequatur, sed potiùs directè ad causas secundas, quarum ordinem Deus interturbare non vult nec tenetur. Cæterùm fatendum est, inquiunt, quòd infantes in utero materno decedant, id ordinariè parentum culpæ adscribatur. Undè videmus Fideles quorum soboles sine Baptismo pereunt, id semper referre ad aliquam suam culpam.

Contra 2dam. propositionem Argu- 202
mentum 1mum. sumitur ex illo Joan. 12. ubi de Judæis dicitur: *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias, excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ut non videant oculis & convertantur.* Ergo &c.

Resp.

Resp. S. Joannes hîc loquitur de potentia consequente, seu de potentia simultatis, non de potentia antecedente, aut de simultate potentiæ, ut patet ex contextu. Itaque non poterant credere potentia antecedente *neg.* potentia consequente, *conc.* *Non poterant credere*, ait S. Augustinus tract. 53. in Joan. *non quia mutari in melius homines non possunt, sed quamdiu talia sapiunt, non possunt credere*, scilicet potentia consequente, seu in sensu composito.

Argumentum 2dum. petitur ab auctoritate S. Augustini; nam, ut constat, gratia sufficiens est vera gratia Christi. Atqui S. Augustinus Serm. 154. de verb. Apost. c. 11. n. 16. negat gratiam Dei per Jesum Christum Paganis dari: *Pagani enim*, inquit, *qui non habent Gratiam Dei per Jesum Christum, non morientur.* Ergo &c.

Resp. *dist. min.* Pagani non habent gratiam Christi aliquam, scilicet eam, quæ pertinet ad resurrectionem vitæ æternæ, de qua hîc loquitur S. Augustinus, *conc.* nullam habent gratiam Christi, qua, saltem remotè ac mediatè possint ad Christum converti, *neg. min. &c.*

Inst. S. Augustinus lib. de correp. & grat. c. 6. & 7. Infidelium, qui de Christo nihil prorsus audierunt, hac una duntaxat ratione querimonias eorum reprimit, scilicet quòd in Adamo peccaverint. Atqui si censuisset Infidelibus gratiam sufficientem dari ad salutem, tunc utique de ea non siluisset, sic enim ipsis occlusisset.

Resp. Quanquam ibi S. Augustinus non meminerit gratiæ actualis, quia solum peccatum originale objiciendo sufficienter querimonias eorum coërcebat, non tamen sequitur, quòd alibi illius mentionem non fecerit; nam loquens de Cornelio infideli lib. de prædest. SS. *Quidquid igitur*, inquit, *& antequam in Christum crederent .... bene operatus est Cornelius, totum Deo dandum est.* Item lib. 3. de lib. arb. c. 19. ait: *Nulli homini ablatum est scire, utiliter quærere, quod inutiliter ignorat.* Ergo juxta S. Augustinum omni homini adulto & rationis compoti datur auxilium aliquod gratiæ divinæ in ordine ad quærendam suam salutem.

Argumentum 3tium. petitur à Ratione. Iis non datur gratia sufficiens ad salutem, quibus non datur gratia sufficiens ad fidem habendam. Atqui Infidelibus non datur gratia sufficiens ad habendam fidem, scilicet Iis, qui nihil unquam de Evangelio audierunt. Ergo &c. *Maj.* est certa, quia sine fide impossibile est placere Deo. *Prob. min.* Si Infidelibus illis daretur gratia sufficiens ad habendam fidem, tunc Infideles isti rei essent, quòd non crederent, & sic non darentur Infideles negativi; qui enim non servant præceptum, quod servare possunt, rei sunt. Atqui Infideles, de quibus hîc agitur, rei non sunt, quòd non credant, propter suam invincibilem ignorantiam. Ergo &c.

Resp. ad 1mum. *Dist. min.* Non datur proximè gratia sufficiens, qua credere possint, *conc.* Non datur remotè, *neg. min.* Nullus enim est adultus, cui penitùs subtrahatur auxilium sufficiens ad sequendum ductum rationis, quem si sequeretur, procul dubio etiam perveniret ad agnitionem fidei, prout docet S. Thomas.

Resp. ad 2dum. *neg. seq. maj.* Licèt enim peccent non sequendo ductum rationis, non tamen peccant in eo, quòd Fidei non præbeant assensum, quia hæc illis non est manifestata.

Neque dicas hanc ignorantiam esse voluntariam in causa, proindeque culpabilem, nam

Contrà est, quòd solùm id sit volitum in causa, quod cognoscitur, aut cognosci potuisset sequi ex causa. Atqui illi homines minimè cognoscere possunt privandos eos illuminatione Fidei, nisi sequantur ductum rationis. Ergo &c.

Dices. Sequi ductum rationis est se convertere ad Deum. Atqui id non potest fieri sine gratia à Fide dimanante, quia Fides est prima gratia seu omnis gratiæ initium. Ergo tales resistunt gratiæ Fidei, ac consequenter sunt Infideles positivi.

Resp. 1mo. Fidem esse initium gratiæ, quæ sit ordinis supernaturalis, non tamen ordinis naturalis. Undè proscriptæ duæ istæ Quesnelii propositiones: *Nulla datur gratia nisi per fidem. Fides est prima gratia & fons omnium aliarum.*

Resp. 2do *neg.* quòd Fides sit omnium gratiarum prima; dantur enim quædam præviæ ad Fidem dispositiones, quæ procul dubio sunt à gratia, quæ tamen non sunt ipsamet Fides, utpotè ad quam ducunt & præparant.

Resp. 3tio. *Dist. ult. conf.* Sunt Infideles etiam positivi, si resisterent dono Fidei perfectæ seu in concreto sumptæ, *conc.* Si tantùm resistant Fidei inchoatæ, implicitæ, & secundùm id, quod importatur in obliquo, *neg. conf.* Sciendum itaque est, quòd, cùm S. Augustinus dicit, Fidem esse initium gratiæ, intelligi debeat de Fide in concreto sumpta, seu secundùm id, quod dicit in recto & obliquo, prout scilicet est aggregatum quoddam ex ipso dono Fidei & auxiliis necnon mediis ad hoc conducentibus; ex quo patet, quòd, cùm sequi ductum rationis conducat ad ipsum donum Fidei, in quantùm nimirùm removentur impedimenta, ille, qui ductum rationis ita sequitur, & ad Deum se convertit, jam habeat gratiam Fidei inchoatæ, seu ipsam Fidem inchoatam, & secundùm id, quod importatur in obliquo; quòd si verò ad Deum se non convertat, resistit quidem huic inchoatæ Fidei, sed propterea non est positivè Infidelis, quia non etiam resistit Fidei secundùm id, quod ipsa dicit in recto.

Inst. S. Augustinus lib. de prædest. Sanct. c. 8. asserit Fidem inchoatam & perfectam esse donum Dei, quod quibusdam datur, quibusdam autem non datur. Ergo &c.

Resp. *Dist. ant.* Fides inchoata quibusdam non datur quoad actum efficaciter, quia non omnes illâ gratiâ benè utuntur, *conc.* quoad posse, *neg. ant. &c.*

203 Contra 3tiam. propositionem Argumentum 1mum. petitur ex variis S. Scripturæ locis, ut Exod. 9. Isai. 6. Matth. 13. quæ innuunt homines à Deo excœcari & indurari. Atqui excœcari & indurari nihil aliud est, quàm deseri ac destitui à Deo, ut à Sathana superentur, prout exponit S. Chrysostomus. Ergo &c.

Resp. *Dist. maj.* Excœcantur, &c. Ita, ut nullo tempore Deus ad cor eorum pro sua benignitate pulset, *neg.* Ita, ut quandoque eos visitet, *trans. maj.* Tunc autem eos visitare & ad cor eorum pulsare credimus, quando sine conversione peccatum vitare non valent.

Inst. 1mo. In S. Scriptura quidam dicuntur à Deo derelicti, odiô habiti, rejecti, antequam quidpiam boni vel mali egerint, ut dicitur de Esau Rom. 9. Ergo Deus illis non tribuit auxilia sufficientia &c.

Resp. *Neg. conf.* vel *Dist.* Non tribuit auxilia sufficientia in sensu absoluto, *neg.* comparativè, quia minùs eos, quàm alios, illuminat & excitat, *conc. conf.*

Inst. 2do. Eccles. 7. dicitur: *Considera opera Dei, quòd nemo possit corrigere, quem ille despexerit.* Proindè innuitur quosdam ita deseri, ut converti nequeant. Undè Isidorus ait: *Nonnulli ita despiciuntur à Deo, ut deplorare mala sua non possint, etiamsi velint.* Ergo &c.

Resp.

Resp. *Dist. ant.* Nemo potest corrigere, hoc est, difficilè corriguntur, ut ait, Ecclesiastes, *Perversi difficilè corriguntur*, conc. quasi prorsus impossibilè, *neg. ant.* Quando autem S. Isidorus dicit *etiamsi velint*, hoc non est intelligendũ de voluntate efficaci, sed tantùm de quadam velleitate; & sic non possunt deplorare peccata potentia consequente, benè tamen antecedente. Vel vult auxilium sufficiens proximum non semper præstò esse; non tamen negat, quin remotum saltem præstò sit.

Argumentum 2dum. sumitur ab auctoritate S. Augustini pluribus in locis. Ep. 194. ait, *Deum indurare non quidem impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam.* Ergo in eo posita est induratio, ut omnis ab indurato gratia retrahatur: si enim uberiorem tantùm ac specialem gratiam retraheret, nihil esset discriminis inter Justum, quem Deus occultô sed justô judiciô uberiori gratiâ interdum privat. Item lib. de nat. & grat. c. 22. *Nec cogitat*, inquit, *prævaricatorem legis quàm dignè lux deserat veritatis, qua desertus utique fit cæcus, & plùs necesse est offendat, & cadendo vexetur, & vexatus non surgat, ut ideò tantùm audiat vocem legis, quò admoneatur implorare gratiam Salvatoris.* Item lib. 1. Retract. c. 15. *Qui*, ait, *cogenti cupiditati bona voluntate resistere non potest ..... jam hoc ita peccatum est, ut sit etiam pœna peccati.* Quòd si aliqui cogenti cupiditati resistere non possunt, certè non habent auxilium sufficiens ad non peccandum. Denique lib. de perfect. justitiæ c. 19. excœcatum appellat *desertum omni lumine veritatis.*

Resp. Hæc testimonia intelligenda esse vel de impotentia, quæ est voluntaria & consequens, vel solùm de subtractione uberioris auxilii ac proximè sufficientis; non verò de impotentia antecedente, vel subtractione auxilii saltem remotè sufficientis.

§. IV.

Verior sententia eligitur. 204

PRima sententia, quæ docet nemini deesse auxilium sufficiens ad salutem, sicuti divinæ bonitati magis congruit, sic & veritati. Undè communior est inter Theologos, ac proindè eam meritò posteriori præferimus; operæ proindè pretium æstimamus, quò magis ipsa stabiliatur, ea, quæ ad illius argumenta respondent Adversarii, hìc refutare.

Itaque contra 1mam. Responsionem ad Argumentum 1mum. §. 2. propositum est, quia ibi quæstio non est de Gratia sufficiente propria, quæ scilicet juxta communiorem sita est in illustratione intellectûs, ac piis voluntatis motionibus saltem causaliter; evidens namque est, infantes hisce donis incapaces esse, neque hoc unquam intendebatur per propositionem 1mam: sed de gratia sufficienti impropriè dicta duntaxat, quæ nimirùm in quodam medio seu remedio, quod infantibus sufficere potest ad salutem, consistit.

Responsio 2da. autem non modò est contra communissimam Doctorum sententiam, sed etiam auctoritati S. Thomæ directè adversatur: hic enim S. Doctor *q.* 23. *de verit. a.* 3. docet voluntatem antecedentem, qua v. g. Deus vult omnes salvos fieri, esse *voluntatem beneplaciti.* Cùm igitur hujusmodi voluntas sterilis non sit nec otiosa, hinc debet habere quemdam effectum, qui saltem in hoc consistat, quòd Deus, quantùm est ex se, sufficienter provideat infantibus de mediis ad salutem conducentibus.

Verùm, quò omnis tollatur, æquivocatio, advertendum, quòd, quando quæ-

quæritur, an Deus omnibus parvulis largiatur media sufficientia ad salutem, verbum *largiri* dupliciter sumi possit: 1mo. Ut intrinsecam receptionem & applicationem actualem auxiliorum divinorum denotat. 2do. Quatenùs idem significat ac præparare &, quantùm ex parte Dei est, de eorum applicatione providere. Et hanc 2dam. acceptionem duntaxat hîc tuemur, non verò 1mam, ut patet ex præfixa propositione; qua ratione facilè ad invicem conciliari possunt oppositæ sententiæ.

Undè Responsio ad Argumentum 2dum. data falsô laborat supposito; non enim dicimus infantes in utero materno morientes actu recepisse auxilia sufficientia ad salutem, sed solùm eis de hujusmodi mediis provisum fuisse, non modò in communi tantùm, sed etiam in particulari; Deus quippè non solùm pro omnibus hominibus in communi mortuus est, sed etiam pro omnibus in particulari, seu pro singulis; ac proindè non solùm in communi præparat omnibus auxilia sufficientia ad salutem, verùm etiam in particulari singulis, quantùm in se est, de iis providit. Cæterùm Catechismus Romanus, sicut & Concilium Trid. videntur loqui de donis & auxiliis efficacibus, non verò de sufficientibus.

Quantùm ad Responsionem ad Argumentum 3tium. ejusdem 1mæ. propositionis datam, fatendum, his verbis S. Prosperum intelligi posse de iis infantibus loqui, quibus per collationem Baptismi subveniri poterat. Verùm si ad mentem hujus S. Doctoris & ad ejus doctrinæ seriem attendatur, perspicuum fit, eum neminem prorsùs ab illa antecedente Dei pro salute omnium voluntate exclusum velle.

205 Contra Responsionem ad Argumentum 1mum propositionis 2dæ & quidem ad 1mum S. Scripturæ textum dicimus, non tantùm admitti debere lumen fidei, sed etiam lumen gratiæ. Itaque licèt Infideles lumine fidei careant, non tamen obstat, quin à Deo lumine quodam gratiæ donentur, quo si bene uterentur, etiam Fidei lumen consequerentur. *Quomodò illuminat*, inquit S. Chrysostomus hom. 7. in Joan. *omnem hominem venientem in hunc mundum? illuminat profectò, quantùm in ipso est. Si qui autem sponte sua mentis oculis conniventibus ad hujus lucis radios aciem dirigere nolunt, non ex luminis natura in tenebris persistunt, sed ex malitia.*

Secundus autem S. Scripturæ locus vix aliter potest exponi, quàm ut exponit S. Prosper lib. 2. de vocat. Gent. ut videlicet intelligamus Deum Salvatorem esse omnium, quia dat omnibus, undè salvari possint; sed maximè Fidelium, quia dat illis non solùm ut salvari possint, sed etiam ut actu salventur. *Elaboratum est*, inquit, *quantùm Dominus adjuvit, ut non solùm in novissimis diebus, sed etiam in cunctis retrò Seculis probaretur gratiam Dei omnibus hominibus adfuisse.* Et rationem ex Apostolo assignans subjungit: *Dicendo enim, quòd est Salvator omnium hominum, confirmavit bonitatem Dei super universos homines esse generalem; adjiciendo autem Maximè Fidelium, ostendit esse partem generis humani, quæ meritô Fidei divinitùs inspiratæ ad summam æternamque salutem specialibus beneficiis provehatur.* Quibus verbis perspicuum est, Deum Infidelibus non solùm præparare auxilia, prout obtendit Responsio, sed etiam ea ipsis actu conferre, ita ut *non sit, qui se abscondat à calore ejus.* Psal. 18. super quæ verba sic loquitur S. Augustinus in hunc loc. *Nullum mortalium permisit excusare se de umbra mortis, ipsam enim penetravit Verbi calor.*

Con-

Contra Responsionem ad Argumentum 2dum. est 1mo. Quia illa verba, *Gratia nulli deest*, ostendunt, quòd Deus non in communi solùm præparet auxilia danda hominibus, nisi iniquitas eorum obsisteret; sed etiam cuilibet in particulari de iis sufficienter provideat, quia gratia præparata quidem, sed tamen non collata meritò deesse dicitur; sed Deus suâ *gratiâ nulli deest &c.*

2do. Deus deficeret ab agendo id, quod est necessarium ad salutem, si tantùm præpararet auxilia, ea verò non conferret: quid enim est magis necessarium ad salutem, quàm gratiarum collatio? nunquid poterit homo Dei præcepta observare, licèt ei non conferantur auxilia, dummodò in Deo parata habeat? at, ut aït S. Thomas, *Deus non deficit ab agendo, quod est necessarium ad salutem.* Ergo non tantùm præparat, sed etiam dat omnibus auxilia ad salutem necessaria.

Quoad Responsiones verò Argumentô 3tiô. adjectas, eæ non videntur sufficientes. Non quidem 1ma; quia eodem prorsùs modo cadit censura supra Paganos, sicut supra Hæreticos. Non 2da; quia longè probabilius est ibi mentionem fieri de Paganis, qui de Fidei veritatibus nihil unquam audierunt.

Contra Responsionem ad Argumentum 4tum. dicit Bellarminus lib. 2. de grat. & lib. arb. c. 7. eam non esse solidam; quia peccatum intrinsecè requirit liberam voluntatem; nec potest intelligi, quomodò aliquid sit propriè peccatum, si non sit propriè liberum: proindè actio, quæ non est libera in se sed solum in sua causa, nec est antè prævisa non habet malitiam distinctam à malitia suæ causæ.

Nec valet exemplum hominis ebrii ab Adversariis adductum, qui, inquiunt non desinit esse reus homicidii quod committit, licèt pro tunc & ex eo, quòd sit expers usûs rationis, impotens sit aliud faciendi; quia scilicet in hunc impotentiæ & ebrietatis statum liberè se conjecit. Et hoc exemplô uti ajunt S. Thomam lib. 3. cont. Gent. c. 160.

Nam contrà est 1mo. quòd peccatum adeò voluntarium sit, ut si voluntarium non sit, peccatum haud sit; voluntarium autem non potest esse absque cognitione. Ergo ut ejusmodi homo reus sit homicidii, oportet, ut pro priori adverterit se solere in ebrietate perpetrare homicidia; & hanc cognitionem supponit S. Thomas cit. loc.

Contrà est 2do. Quòd S. Augustinus disputans de incestu Loth cum suis filiabus, qui non fuit voluntarius nisi in causa, id est, ebrietate, dicit eum incestum non fuisse puniendum, quantùm merebatur incestus, sed quantùm merebatur ebrietas; quia videlicet non fuit peccatum distinctum à causa.

At, inquiunt, peccata Infidelium & Fidelium, qui excœcati sunt & obdurati, non sunt solum peccata in causa, sed etiam in se, & distincta à sua causa, quamvis impotentia resistendi tentationibus orta sit ex peccato originali, vel potiùs ex peccatis actualibus.

Contrà est quod dicit S. Augustinus lib. 3. de lib. arb. c. 18. scilicet illa sola verè ac proprie dici peccata, quæ per liberum arbitrium vitari possunt (supposità saltem divinæ gratiæ adminiculô) Item, *Nemo peccat in eo, quod vitare non potest.* Et certè alioquin peccaret filius contra pietatem Patris, qui v. g. propter homicidium in carcere detentus, certior factus de gravi Patris sui necessitate, ei non subveniret.

206 Responsio ad Argumentum 1mum. 3tiæ. propositionis ex mox dictis non subsistit. Prætereà licèt Deus ex justitia nulli gratiam debeat, attamen ex fidelitate

ac præceptorum impositione gratiam sufficientem largiri verisimiliùs tenetur; præcipit enim Deus peccatoribus, ut piè vivant, promittit eorum piis operibus vitam æternam. Ergo iis largiri debet gratias sufficientes, ut pia opera exercere valeant. Undè benè S. Leo Serm. de pass. Dom. *Justè*, inquit, *instat præcepto qui præcurrit auxilio.* Quamquam verò illud Prov. 1. *Vocavi & renuistis*, *&c.* possit explicari de gratia exteriore, non tamen illud Apoc. 3. *Ecce sto ad ostium, & pulso.* quo non modò gratia interior sufficiens denotatur, sed etiam ejus præsentia probatur, utique tempore tentationis; tunc enim vel maximè est necessaria: imò etiam interdum tempore obdurationis; tunc enim obduratos præprimis tangit illa admonitio Eccles. 5. *Ne tardes converti ad Dominum.* quæ cùm sit sincera, supponit potentiam sufficienter instructam ad conversionem. Et certè alioquin daretur quidam viæ status, in quo quis pœnitere non posset, ac de illius salute esset desperandum, quod profectò pugnat non solùm contra communem opinionem, sed etiam ipsi viatorum statui adversatur, ut bene docet Alvarez lib. 11. de auxiliis Disp. 112. Item Medina 1. 2. q. q. 109. a. 10. Imò ipse S. Thomas id ipsum manifestè videtur innuere 3. p. q. 86. a. 1. in ☉. his verbis: *Dicere, quòd aliquod peccatum sit in hac vita, de quo quis pœnitere non possit, erroneum est.* Et his facilè eliduntur Responsiones ad ambo Concilia Coloniense scilicet ac Senonense. Equidè fuêre provincialia duntaxat, fatendum tamen ea magnæ auctoritatis esse, nec eis à quoquam, nisi cum periculo erroris contraveniri posse. Prætereà libenter admittimus, quòd verba Concilii Senonensis explicatione indigeant, nec non intelligi debeant de quolibet momento, in quo scilicet urget tentatio, vel instat alicujus præcepti, præsertim supernaturalis, obligatio; at dicere cum Goneto, quòd etiam possint intelligi de præparatione gratiæ, non autem de actuali ejus collatione, hoc adeò alienum est à mente Concilii, ut non sit, qui legat, & non intelligat.

Contra Responsionem 1mam. ad Argumentum 3tium. & ultimum est, quia exindè solùm inferri potest induratis in pœnam præcedentium peccatorum certam quidem uberioris gratiæ mensuram denegari, at non omnem penitùs interioris auxilii influxum, sicut jam suprà demonstravimus. Contra 2dam. autem est, quia indubitatum est, hominem induratum liberè peccare, necnon posse suspendere actionem pravam, & eam non elicere; at nonnisi adminiculô gratiæ, dum gravis urget tentatio.

Denique contra Responsionem ad Inst. est 1mo. quia etsi libertas contrarietatis non sit de essentiali libertatis ratione; attamen facultas illa, qua voluntas flecti potest ad actus oppositos, scilicet bonum & malum, est certè de ratione hominis in statu viæ adhuc constituti. 2do. quia, cùm urget præceptum ad aliquid omittendum vel faciendum, necesse est, facultatem expeditam esse ad actum rectum, quem intendit præceptum; sed id fieri nequit sine auxilio gratiæ.

EXER-

EXERCITATIO DUODECIMA.

De Gratia efficaci.

207

Ad Cap. 4. Sect. 3. Tractatûs IV. Tom. 2. Theol. Univers. n. 230. & seq.

AUxilium efficax, ut Exercitatione præcedenti adnotavimus, dicitur id, quod habet infallibilem connexionem cum consensu, de quo quidem post prohibitionem Sedis Apostolicæ non videtur ex professo agere licitum esse. At Philippus à SS. Trinitate Carmelita excalceatus Tom. 2. suæ Theologiæ dicit, hanc prohibitionem jam expirasse, modò à censuris abstineatur, idque se didicisse Romæ, & in Gallia à viris doctis & religiosis, quos hac de re consuluit; *cujus*, inquit, *indicium esto, quòd à probatissimis ac piissimis Auctoribus plures tractatus de hac materia, permittente summo Pontifice, jam prodierint in lucem.* Horum igitur vestigiis insistentes pauca hîc de Gratia efficaci differere animus est. Præcipuus autem hujus Exercitationis cardo in hoc vertitur; utrum scilicet Gratia detur ex natura & ab intrinseco efficax, & an consistat in quadam supernaturali motione physicè prædeterminante; necne? Quod priusquàm expendatur, quædam alia circa gratiam efficacem præmittenda veniunt.

§. I.

208 *Quædam circa motionem Gratiæ efficacis præmittuntur.*

Hunc §. claritatis gratiâ in varias dividere Sectiones placet.

SECTIO. I.

Utrum Gratia sit efficax ex voluntatis consensu.

NOt. Sententia, quæ docet efficaciam gratiæ petendam esse ex consensu voluntatis creatæ est eorum Theologorum, quos Molinistas, seu Molinæ Sectatores vocant, quorum principia sunt ista: 1mum. Gratiam efficacem nihil ex parte Dei aut sui continere, quod pariter alia Gratia, quæ sufficiens dicitur, non contineat. Undè quòd Gratia dicatur efficax, id à solo nostro consensu provenire; quòd verò sit inefficax seu merè sufficiens, ex solo dissensu: quippè, ut ajunt, Deus statuit æquali voluntate omnibus providere media sufficientia, quibus pro lubitu possunt benè vel malè uti. Verùm hanc sententiam è Societate Jesu proscripsit ipsius Generalis Præpositus Aquaviva. 2dum. Deum per gratiam prævenientem non movere physicè voluntatem creatam, sed tantùm moraliter, scilicet suadendo ad operandum. 3tium. Deum non magis ad bonum usum Gratiæ prævenientis determinare voluntatem, quàm ad malum usum, urgente tentatione.

Conclusio. Gratia non est efficax ab eventu. hoc est, dependenter à consensu voluntatis creatæ, quia scilicet sortitur suum effectum per humanæ voluntatis cooperationem.

Prob. 1mo. ex Bellarmino lib. 1. de Grat. & Lib. arb. c. 12. qui nostram conclusionem sequentibus confirmat argumentis. „ Hæc opinio (quam scilicet „ hîc oppugnamus) est omninò aliena „ à sententia D. Augustini &, quantùm ego „ existimo, à sententia etiam Scripturarum „ divinarum; nam S. Augustinus lib. de „ prædest. SS. c. 8. dicit gratiam, ef„ ficacem videlicet, a nullo corde re-

„ ſpui, quia ipſa cor emollit; ubi vi-
„ des efficaciam tribui gratiæ, non vo-
„ luntati humanæ. Et lib. de ſpir. & litt.
„ c. 34. quærens, cur Deus uni ita ſua-
„ deat ut perſuadeat, alteri non ita, non re-
„ ſpondet, quia unus conſentit, alter non
„ conſentit, ſed exclamat, *O altitudo divi-*
„ *tiarum.* Itaque refert in arcanum divinæ
„ voluntatis, cur uni detur gratia effi-
„ cax, alteri non detur. Et Epiſt. 107.
„ ad Vitalem, reprehendit eos, qui di-
„ cunt omnes homines fuiſſe recepturos
„ gratiam Dei, ſi non illi, quibus non
„ datur, eam ſua voluntate reſpuerent,
„ ubi ſine dubio loquitur de gratia effi-
„ caci .... Non igitur vult S. Auguſtinus
„ graciam efficacem pendere ab humana
„ voluntate, ſed à divina. Denique tam
„ eſt hoc in Operibus S. Auguſtini fre-
„ quens & obvium, ut ſupervacaneum
„ ſit id pluribus confirmare.

Hæc Bellarminus, quibus hæc ſubjungit: „ Quod attinet ad Scripturas ſa-
„ cras, verba illa Domini Joan. 6. *Om-*
„ *nis qui audivit à Patre & didicit ve-*
„ *nit ad me.* ſatis perſpicuè docent, in quo
„ ſita ſit efficacia gratiæ, illi enim infal-
„ libiliter veniunt ad Fidem Chriſti, ſive
„ per Fidem in Chriſtum, qui Patrem
„ cœleſtem habent Doctorem, ita ut in-
„ fallibilitas effectûs non habeat pro cau-
„ ſa ſtudium Diſcipuli, ſed excellentiam
„ Magiſtri, allegat enim ibidem Domi-
„ nus Prophetiam Iſaiæ c. 54. *Eſt ſcri-*
„ *ptum,* inquit, in Prophetis, *erunt om-*
„ *nes docibiles Dei*, vel ut clariùs habe-
„ tur in textu Græco διδακτοὶ τοῦ θεοῦ *Docti à*
„ *Deo.*

Oſtendit denique quòd ille locus 1. Cor. 4. *Quis enim te diſcernit*, *&c.* hac ſtante Doctrina minimè ſubſiſtere poſſit. Ac tandem ait, quòd hæc opinio fundamentum prædeſtinationis divinæ omninò evertat, & quòd eſſet abuti vocabulis vocare gratiam efficacem, eamque à ſufficiente diſtinguere, ſi nulla omninò in ipſa gratia diſtinctio eſſet, & totum diſcrimen ab humana voluntate penderet.

Prob. 2do. Si gratia efficax ex eo duntaxat reddatur efficax, quòd prævideatur futura liberæ voluntatis determinatio, ſequitur 1mo. Gratiam pediſſequam eſſe voluntatis. 2do. Gratiam determinari ab humana voluntate, ac eidem ſubjici, ſaltem in ſenſu Moliniſtarum. Atqui hæc ſunt abſurda. Ergo &c.

Reſp. Hæc duo abſurda falsò prorſus ſuæ ſententiæ imputari. 1mum. quidem, quia iſto tantùm ſenſu Gratia voluntatis humanæ pediſſequa dici poteſt, quod gratiam præcedat voluntas, non gratia voluntatem. Atqui nullus eſt Orthodoxus, qui dicere auſit voluntatem præire gratiæ, non gratiam voluntati. 2dum. etiam falsò imputatur; quia planè abſurdum eſt, ut Superior inferiori ſubjiciatur, quando inferior Superioris mandata exequitur; pariter, ut quòd ex ſe determinatio eſt & impulſus ad aliquid, dicatur determinari, quando voluntas determinationem illius ſeu impulſum ſequitur.

Sed contrà 1mum. eſt, quia licèt Moliniſtæ, aut etiam Congruiſtæ ultrò fateantur gratiam, qua gratia eſt, præire voluntati, non tamen qua efficax eſt, eò quod in eorum ſententia gratia efficax à ſe ipſa talis non ſit, ſed tantùm à præviſo conſenſu, &c. Undè coguntur admittere gratiam qua efficacem eſſe pediſſequam voluntatis. Contrà 2dum. eſt, quòd illa determinatio ac impulſus ex natura ſua, ut ajunt, non ſit efficax, ſed indifferens; ac proindè, ut effectum ſuum ſortiatur ab aliquo determinari debeat, nempe ab humana voluntate. Cùm autem id, quod ab altero determinatur, ei etiam aliquo modo ſubjiciatur, ſic fateri debent, gratiam humanæ voluntati aliquo modo eſſe ſubjectam.

Dices

Dices 1mo. Si gratia non esset efficax ex consensu voluntatis humanæ, immeritò Deus Judæis exprobraret Isa. c. 5. *Quid debui ultrà facere vineæ meæ, & non feci?* Vinea enim respondere potuisset, *Debuisti dare gratiam efficacem.*

Resp. Si textus haberet *Quid potui*, tunc valeret excusatio vineæ; quia Deus potuisset utique dare gratiam efficacem. Verùm quia textus dicit *Quid debui*, jam talis excusatio nullum habere potest locum; eò quòd Deus, dando gratias sufficientes, nihil ultrà facere teneatur, si enim deberet dare gratiam efficacem, tunc gratia hæc esset debitum, & non gratia.

Dices 2do. S. Augustinus lib. 1. ad Simp. q. 2. ait: *Ut velimus enim, & suum esse voluit & nostrum, suum vocando, nostrum sequendo; quòd autem voluerimus solus præstat, id est, posse benè agere, & semper benè vivere.* Ergo efficaciam gratiæ repetit ab humanæ voluntatis consensu.

Resp. *Dist. cons.* S. Augustinus ante adeptum Episcopatum Semipelagianus, *conc.* post adeptum Episcopatum Catholicus, *neg. cons.* Ibi docet initium Fidei esse ex humanæ voluntatis consensu, sed perfecta opera esse à sola gratia. Undè Adversariis id etiam solvendum est, qui dicunt, quòd bona opera sint etiam à consensu voluntatis humanæ gratiam versatilem determinante.

209 SECTIO II.

Utrum Gratia sit efficax ex auxilii Divini cum humana voluntate attemperatione, qua subest Scientia media.

Not. Ut Molinæ Sectatores magis à Pelagianis recederent, excogitârunt gratiam illam, quæ ab ipsis *congrua* est nuncupata, ex cujus proindè nomine *Congruistæ* passim appellati sunt.

Ea autem gratiæ congruitas in eo posita est, quòd Deus eam in iis circumstantiis largiatur, in quibus per Scientiam mediam prævidet humanam voluntatem ei suum consensum esse præbituram. Itaque Deus juxta Congruistas ut gratiam, quæ infallibiliter effectum sortiatur, tribuat, attendit ad circumstantias loci, temporis, statûs, dispositionis naturalis, in quibus prævidet eam suum habituram effectum.

Conclusio. Efficacia gratiæ non potest sumi ex auxiliorum cum humana voluntate attemperatione, qua subsit Scientiæ mediæ.

Ratio 1ma. sumitur ex S. Scriptura. Nam Heb. 3. dicit Apostolus: *Deus autem pacis aptet vos in omni bono, ut faciatis ejus voluntatem.* In quem textum S. Thomas lect. 3. sic dicit: *Homo, quando habet inclinationem bene faciendi, dicitur aptus ad illud. Deus etiam, quando immittit homini bonam voluntatem, aptat eum, id est, facit illum aptum, & ideò dicit Apostolus: In omni bono ut faciatis ejus voluntatem; id est, faciatis vos velle omne bonum.* Et paucis interjectis addit: *Dupliciter autem homo aptatur ad bene faciendum; uno modo exteriùs operando; & sic unus homo aptat alium persuadendo vel comovendo: alio modo aliquid interiùs exhibendo; & sic solus Deus aptat voluntatem, quia solus ipse potest immutare, &c.* Ex quibus liquet, quòd Deus per gratiam suam efficacem faciat subjectum aptum & attemperatum ad consentiendum gratiæ, quodque ejusmodi aptitudo & attemperatio subjecti sit effectus gratiæ efficacis: falsum ergo est, quòd illius efficacia pendeat à dispositione ac congruitate subjecti, &c. nulla enim causa pendet à suo effectu.

Ratio 2da. est, quia si efficacia gratiæ desumeretur ex eo, quòd liberum arbitrium ei attemperetur, tunc sequeretur discretionem unius ab alio esse reducendam ad naturalem hominum dispositionem. Atqui hoc est contra S. Scripturam. Ergo &c. Prob. *seq. maj.* Nam si eadem entitativè gratia in uno subjecto habet congruitatem & efficaciam, quia liberum arbitrium illi attemperatur: in alio autem subjecto talem effiaciam non habet, quia ejus arbitrium gratiæ non attemperatur; tunc discretio unius ab alio reducenda est in naturalem subjecti dispositionem, ob cujus attemperationem gratia suum sortitur effectum in uno, & in altero ob defectum illius attemperationis frustratur suo effectu. Atqui sic se habet gratia in opinione Congruistarum teste Vasquez. Ergo &c.

Ratio 3tia. est, quia congruitas illa gratiæ vel est intrinseca, vel tantùm extrinseca? si sit intrinseca, tunc vel est physica, vel moralis? non 1mum, nam cùm sit præveniens ipsum consensum, hoc ipso rationem habebit præmotionis physicæ, quam tamen Congruistæ non admittunt. Sed neque 2dum, quia sic haberet rationem causalitatis moralis, quæ, prout sequenti Sectione probabitur subsistere nequit. Dici ergo debet, quòd congruitas illa gratiæ sit tantùm denominatio extrinseca petita à circumstantiis externis & interna dispositione subjecti; at sic causa discretionis unius ab altero non provenit à Deo, sed potiùs à circumstantiis, complexione naturali, &c. quod repugnat S. Scripturæ.

Dices. Gratiam congruam consistere in quodam impulsu divino, qui efficaciam suam habet dependenter à circumstantiis, &c. Undè secundùm rectum est intrinseca, secundùm obliquum verò extrinseca.

Sed contrà: Dependentia Gratiæ efficacis à certis circumstantiis repugnat doctrinæ S. Augustini; nam 1mo. lib. 2. contra duas Ep. Pelagii c. 20. dicit, *quòd Deus cor Regis*, scilicet Assueri, *occultissima & efficacissima potestate converterit & transtulerit ab indignatione ad lenitatem.* Nulla hîc mentio circumstantiarum, nulla dispositionis subjecti pro lenitate apparent signa; quin potiùs cùm dicit conversionem hanc efficacissima potestate factam fuisse, satis innuit hanc dependenter à gratia congrua neutiquam contigisse: nam, ut volunt Adversarii, gratia congrua est compossibilis cum negatione consensûs; at illa efficacissima potestas non erat compossibilis cum negatione conversionis, alioquin malè nuncuparetur efficacissima, sed solùm cum potentia ad non conversionem.

2do. Idem S. Doctor Enchir. c. 17. ita ait: *Quis tàm impiè desipiat, ut dicat, quòd Deus malas voluntates hominum, quas voluerit, quando voluerit, & ubi voluerit, in bonum non possit convertere?* Quæ verba contra gratiam congruam manifestè pugnare videntur; nam Congruistæ pro principio assumunt necesse esse, ut Deus commodas circumstantias exploret, eò quòd citra libertatis præjudicium non possit voluntatem inclinare in consensum in his circumstantiis, in quibus prævisa est dissensura; dùm è contrà S. Augustinus dicit, quòd ubi & quando ipse voluerit, hujusmodi voluntatem mutare valeat.

Ratio 4ta. est, quia Deus gratiam suam sæpiùs tribuit in iis circumstantiis, in quibus illi, quibus eam largitur, interiùs & exteriùs manifestè sunt ab ea alieni, ut perspicuum est in S. Paulo, de quo sic scribit S. Augustinus lib. de prædest. Sanct. c. 2. *Aversus quippe à Fide, quam vastabat, eique vehementer aversus repentè est ad illam gratia potentiore conversus, convertente illo, cui hoc ipsum facturo per Prophetam dictum: Tu convertens vivificabis nos: ut non solùm ex nolente fieret volens credere, verùm*

eti-

etiam ex persecutore persecutionem Fidei, quam persequebatur, defensione pateretur.

Ratio 5ta. est, quia Fideles in suis orationibus non petunt, ut Deus det gratiam in iis circumstantiis, in quibus prævidet, quòd humana voluntas ei consensura sit; verùm, prout liquet ex formulis precum Ecclesiæ, petunt à Deo, ut det ipsum consensum, ut ad se rebelles compellat ire voluntates. Ergo gratia non habet effectum ex illis circumstantiis, sed ex innata sibi vi, ex natura sibi intrinseca.

Ratio 6ta. est, quia gratia, quam astruunt Congruistæ vel est ex se efficax, vel tantùm est talis dependenter à consensu. Si primum, cùm hujusmodi gratia sit quædam motio, impulsus, seu influxus, qui nequit non esse entitas physica ac præveniens ipsam voluntatem, sequitur, quòd hujusmodi gratia sit ipsamet, quam tuentur Thomistæ, utporè sita in præmotione physica. Si adum. Tunc hujusmodi gratia non differt ab ea, quam propugnant Molinistæ, & quæ Sectione præcedente à nobis rejecta est.

SECTIO III.

210 *Utrum efficacia Gratiæ consistat in causalitate morali.*

Conclusio. Non bene explicatur gratiæ efficacia per causalitatem moralem, id est, per moralia quædam motiva, quæ infallibiliter ad eam perducant.

Ratio est 1mo. Quia vel hæc sententia censet opus esse Scientiâ mediâ, quæ exploret, quibus motivis & in quibus circumstantiis consensuri simus, & sic nominetenus concedit gratiam ex se efficacem, cùm re ipsa efficax sit ex prævifo consensu, sicque jam est refutata Sect. præced. Vel docet motiva quædam moralia etiam ante Scientiam mediam à Deo esse selecta ad consensum infallibiliter inferendum, & tunc si ejus Patroni per motiva moralia intelligunt gratiam, quæ voluntatem emolliat & inclinet, solo nomine differunt ab eis, qui gratiæ efficaciam in physica causalitate reponunt; nam per præmotionem physicam nihil aliud intelligimus quàm motionem, quæ realis & efficiens causa est motûs liberi arbitrii. Si verò hæc sententia nihil ponit in voluntate quod emolliat & inclinet eam, sed quasdam duntaxat in mente illustrationes, tunc non sufficienter recedit à Pelagianismo; siquidem, teste S. Augustino, tales motiones morales admisit Pelagius. *Legant & intelligant*, ait hic S. Doctor lib. de Grat. Chr. c. 24. *atque fateantur non lege atque doctrina insonante forinsecùs, sed interna atque occulta mirabili atque ineffabili potestate Deum operari in cordibus hominum non solùm veras revelationes* (en internam illam illustrationem) *sed etiam bonas voluntates.*

Ratio est 2do. quæ ex S. Augustino hoc dilemmate proponi sic potest: Vel controversia erat inter S. Augustinum & Pelagianos de motione morali præveniente, vel de physica motione præveniente? Si de physica; ergo S. Augustinus asseruit illam non modò stare cum libertate, sed etiam perficere libertatem. Si de morali tantùm; qua ratione poterant Pelagiani & Semipelagiani ita importunè S. Augustino objicere, quòd illa gratia, quam ipse astruebat, libertatem tolleret: quis enim unquam dixit vel audivit, quòd suasiones, adhortationes, vocationes, similesque morales motiones necessitatem inducant?

Deindè S. Augustinus lib. de prædest. Sanct. c. 8. dicit, quòd gratia, scilicet efficax, à nullo corde respuatur; ideò quippe tribuitur, ut pervicacia cordis penitùs auferatur. Atqui motiones morales à duro corde respuuntur. Ergo gratia efficax in motionibus moralibus con-

consistere nequit. *Prob. min.* Act. 7. dicitur: *Dura cervice vos semper resistitis Spiritui sancto*, id est, piis motibus, illuminationibus, aut excitationibus ad bonum. Item Matth. 22. *Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.* Ad quem textum sic loquitur S. Augustinus lib 1. q. 2. ad Simplician. *Si vocatio ista est effectrix* (efficax) *bonæ voluntatis, ut omnis vocatus eam sequatur, quomodò verum est, Multi vocati, pauci electi?* Ergo motiones morales à duro corde respuuntur.

Confirmatur ex Amico Scientiæ mediæ propugnatore. Is enim Tract. de Act. Disp. 6. Sect. 5. n. 24. ait, *motiones morales ex se non esse efficaces, quia cum eis non repugnat negatio actûs, vel productio actûs oppositi.* Adeoque juxta Amicum cum motionibus moralibus potest componi negatio actûs, vel productio actûs oppositi, sicuti hæc etiam componi possunt cum gratia sufficiente. Præterea sicut allicere, suadere, adhortari, vocare, &c. pertinent ad motionem moralem, ita spectant ad motionem physicam operari, agere, facere, &c. Atqui S. Augustinus non solùm usurpat vocabula primi generis, sed secundi in ordine ad gratiam. Ergo non solum motiones morales, verùm etiam physicas admittit. *Prob. min.* quia hac ratione nonnulli Recentiores cum Suarezio potissimùm nituntur, dùm nobiscum docent Sacramenta esse instrumenta physica gratiæ: quia nimirùm SS. Patres ut plurimùm utuntur his verbis: *facere, efficere*, &c.

SECTIO IV.

211 *Utrum Gratiæ efficacia consistat in victrici delectatione.*

Conclusio. Gratiæ efficacia non consistit in victrici delectatione.

Ratio est 1mo. quia S. Augustinus sæpiùs docet Martyres & alios Fideles, dum acriùs tentarentur amore vel timore humano, utiliter timorem gehennæ & justitiæ divinæ adhibuisse, ne succumberent.

Ratio est 2do. quia sequeretur hominem nunquam ratione, aut pura ipsius præcepti honestate servare præcepta, sed quodam motivo delectationis semper induci, quod falsissimum est, eò quòd vera charitas non quærat quæ sua sunt. Undè solet Deus perfectioribus quandoque omnem delectationem subtrahere, ut discant Deo servire, non quia eis præcisè bonus est, sed quia dignus est, ut ei serviatur.

Nec obstat, quòd S. Augustinus ad explicandam gratiæ efficaciam passim hujus delectationis victricis mentionem faciat; nam & ipsa suô modô & ut plurimùm efficit, ut consentiamus; at dicere, quòd gratia efficax unicè in hac victrici delectatione consistat, erroneum est. Deindè intelligi potest de plenissima omnium tentationum victoria, quam habere non potest, nisi qui gustavit, quàm suavis est Dominus.

Dices. Ergo verum non est effatum S. Augustini: *Quod ampliùs delectat, secundùm id operemur necesse est.*

Resp. P. Simonet hic a. 5. Dicendum S. Doctorem, cùm ait: *Quod ampliùs nos delectat, secundùm id operemur necesse est*, loqui non de necessitate antecedente, seu de necessitate antecedenter actum primum ad unam contradictionis partem obligante intrinsecè, quæ Fidei repugnat; sed de necessitate consequente, quam voluntas ipsa sibi imponit per deliberatum actum, quo unum objectum alteri opposito anteponit, illudque diligit amplius: vel, si vis, quod idem est, quo delectationem sensitivam vel intentionalem, quam parit unum objectum, præfert delectationi sensitivæ vel intentionali, quam parit aliud obje-

objectum oppositum. Adeoque S. Augustinus loquitur non de delectatione indeliberata, sed de deliberata, nempe de deliberato amoris actu, quo voluntas plùs amat unum objectum, quàm aliud oppositum: vel, si vis, quo plùs amat delectationem sensitivam vel intentionalem, quam parit unum objectum, quàm amat delectationem sensitivam vel intentionalem, quam parit aliud objectum oppositum.

His ita præmissis, superest modò examinare, an Gratia, quæ dicitur efficax, sit talis ab intrinseco ad mentem Thomistarum, nempe dependenter à præmotione physica.

§. II.

212 *Proponuntur ac solvuntur Argumenta, quibus probatur Gratiam à se, seu ex natura sua, & ab intrinseco efficacem esse ad mentem Thomistarum.*

EAdem hîc imprimis recurrunt Argumenta, quæ ex S. Scriptura, & S. Augustini testimoniis suprà Exercitatione VII. de Scientia media à nobis deducta fuêre. Ubi vide. Igitur iis hîc omissis sit

Argumentum 1mum. ab auctoritate S. Thomæ petitum, qui q. 6. de malo a. unic. ad 3. sic ait: *Deus movet voluntatem immutabiliter propter efficaciam voluntatis moventis, quæ deficere non potest: sed propter naturam voluntatis motæ, quæ indifferenter se habet ad diversa, non inducitur necessitas, sed manet libertas.* In quo textu S. Doctor motionem divinam propter efficaciam divinæ voluntatis deficere non posse manifeste innuit. At secundùm Adversarios motio illa posset deficere; quia voluntati non repugnat cum illa motione conjungere oppositum ejus, ad quod movet. Ergo &c.

Resp. AA. S. Doctorem non esse intelligendum de motione antecedenter ad Scientiam mediam, sed consequenter ad eam. Sic enim salvatur humana libertas.

Inst. S. Thomas ad conciliandam libertatem cum gratia semper recurrit ad efficaciam divinæ voluntatis; nam. 1. p. q. 83. a. 1. ad 3. sic docet: *Deus est prima causa movens & naturales causas, & voluntarias, & sicut naturalibus causis, movendo eas, non aufert, quin actiones earum sint naturales, ita movendo causas voluntarias non aufert, quin actus earum sint voluntarii, sed potiùs hoc in eis facit: operatur enim in unoquoque secundùm ejus proprietatem.* Item 1. p. q. 19. a. 8. *Cùm aliqua causa*, inquit, *efficax fuerit ad agendum, effectus consequitur causam, non tantùm secundùm id, quod fit, sed secundùm modum fiendi vel essendi. Cùm igitur divina voluntas sit efficacissima, non solùm sequitur, quòd fiant ea, quæ Deus vult fieri, sed quòd eo modo fiant, quo Deus vult ea fieri; vult autem quædam Deus fieri necessariò, & quædam contingenter.*

Idem jam olim docuerat S. Prosper lib. 2. de vocat. Gent. c. 27. & 28. sic inquiens: *Quod Deus voluit eos velle, voluerunt, qui ad obediendum sibi ipsum velle sic donat, ut etiam perseveraturis illam mutabilitatem, qua possint nolle, non auferat.*

Non absimile est illud S. Anselmi lib. de concord. præscientiæ. ubi, *Quoniam*, inquit, *quod Deus vult non potest non esse, cùm vult hominis voluntatem nulla cogi vel prohiberi necessitate ad volendum vel non volendum, & vult effectum sequi voluntatem, tunc necesse est voluntatem esse liberam, & esse quod vult.*

Resp. AA. se ultrò asserere, quòd divina gratia, qua de facto Deus nos ad actus liberos movet, eorumdem libertatem non tollat, sed inferat, ac perficiat. At quòd eadem sit ab intrinseco efficax, imò

Imò in prædeterminatione physica reponi debeat, hoc neutiquam demonstrare adducta horum SS. Doctorum testimonia. Neque enim ad infinitam efficaciam divinæ voluntatis, aut gratiam ex natura sua requiri ajunt, ut effectum quemlibet obtinere possit per medium quodcunque, sed tantùm ut quemlibet obtinere valeat per media ipsius naturæ seu causæ proportionata. Atqui gratia efficax ex natura sua & physicè prædeterminans est medium actibus liberis improportionatum, utpotè eorum destructivum. Ergo. &c.

213 Argumentum 2dum. petitur ab auctoritate Concilii Trid. Sess. 6. Can. 4. sic definientis: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo vocanti & excitanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac præparet, neque posse dissentire, si velit; sed velut inanime quoddam nihil omninò agere, mereque passivè se habere, anathema sit.* Ex hoc Concilii hujus textu sic breviter conficitur Argumentum: Concilium loquitur de gratia ab intrinseco efficaci, quia ibi definit contra Calvinum docentem gratiam efficacem destruere libertatem. Atqui ex verbis Concilii patet, quòd hujusmodi gratia non tollat libertatem. Ergo ex falso fundamento rejicitur gratia ab intrinseco efficax.

Resp. 1mo. Ex hoc Argumento evidenter deduci Thomistas eamdem cum Calvino adstruere gratiam, ac solùm ratione consequentiæ indè deductæ ab eo discrepare, quæ, cùm ad Logicos pertineat, à Patribus indefinita remansit, decisione duntaxat facta super antecedente, in quo conveniunt Thomistæ & Calvinistæ.

Resp. 2do. Concilium definire contra Calvinum quoad illam gratiam, quam Hæretici dicebant tollere libertatem, secundùm illa prædicata gratiæ efficacis, quæ in Scriptura & Patribus continentur, non verò secundùm prædicata gratiæ, quæ ipsi Hæretici ex suo cerebro confinxerunt.

Argumentum 3tium. petitur ex hac 214 ratione; quia Deus est causa omnis bonæ actionis. Atqui determinatio creaturæ in ordine ad bonum est actio bona. Ergo Deus est causa illius. *Subs.* Atqui inter causam & effectum datur quædam prioritas; priùs enim præcedit causalitas, quàm sit effectus. Ergo etiam priùs est causalitas divina, quàm sit ipsa determinatio, seu actio creaturæ; ac proindè datur auxilium prædeterminans; hoc enim consistit in illa divina causalitate.

Resp. Deum ceu causam primam debere esse priorem in operando tanquam causam universalem, quatenùs complet quamlibet causam secundam modò naturæ ipsius proportionatò, & insuper cum ea concurrit & offert suum concursum in actu primo indifferentem: non verò esse priorem in operando tanquam causam particularem per influxum prævium, cùm iste libertati officiat.

§. III.

Proponuntur ac solvuntur Argumenta contra Gratiam efficacem Thomistarum. 215

ARgumentum 1mum. desumi solet ex variis S. Scripturæ testimoniis, quæ tamen ut plurimùm in Exercitatione VII. de Scientia media, & Exercitatione XI. de Gratia sufficienti prætacta sunt. Unicum hîc adduxisse sufficiet. In Apoc. legitur, quòd Christus stet ad ostium & pulset, postulans, ut ei aperiatur; hinc Cantic. 5. dicit ad sponsam: *Aperi mihi soror mea, &c.* Sed quomodò seriò sibi aperiri petit, si non dat homini clavem gratiæ ex se efficacis præviè ac necessariò ad actum apertionis requisitam, nec in potestate hominis positam?

Resp.

Resp. AA. Deum seriò petere, ut ei aperiatur; quia homo habet undè ei possit aperire; habet siquidem clavem apertionis jam in actu primo, licèt non habeat in actu secundo, & hoc non ex defectu Dei, sed ex defectu voluntatis suæ, quia scilicet iniqua est; si enim apertioni nullum poneret impedimentum, procul dubio clavem apertionis actu consequeretur. Præterea Responderi potest, quòd Deus petat, ut homo sibi aperiat per propriam operationem & determinationem formalem, non verò ut sibi aperiat per propriam operationem à concursu prædeterminativo independentem.

216 Argumentum 2dum. petitur ab Auctoritate S. Augustini lib. de Spirit. & litt. c. 34. ubi sic ait: *Suasionibus agit Deus, ut velimus & credamus.* Item lib. 1. de peccat. merit. & remiss. c. 9. *Quæ*, ait, *est alta & secreta vocatio ita suadens, ut persuadeat; ita agens sensum, ut Legi accommodet assensum; ita cor emolliens, ut à nullo duro corde respuatur; ita aptatur vocato, ut illi obtemperet, & sequatur; bonæ voluntatis effectrix, quæ facit facere.* Quæ verba neutiquam gratiæ efficaci Thomistarum, sed potiùs Congruistarum adaptari possunt.

Resp. Ad 1mum. locum, textum illum adduci à S. Augustino absque præjudicio gratiæ ex se efficacis ac prædeterminantis. Cùm enim Deus omnia disponat suaviter ac secundùm exigentiam creaturæ, hinc fit, quòd priusquam voluntas libera pium eliciat actum, à Deo excitetur per suasiones, vocationes, illuminationes, &c. ut sic superveniens motio divina physica moveat ac determinet voluntatem ad id, ad quod jam inclinata erat per hujusmodi motiones morales.

Dices. Hæc motio physica superveniens est superflua. Ergo non est adstruenda.

Resp. *Neg. ant.* nam imprimis cùm Deus movet efficaciter debet movere dependenter à motione ex se efficaci, sed motiones morales non sunt ex se efficaces, prout Sect. 3. visum est.

2do. S. Augustinus expressè dicit, quòd *Deus faciat ut faciamus præbendo vires efficacissimas voluntati*, quod certè plus dicit, quàm motionem moralem. Item, *Subventum est infirmitati humanæ, ut indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur.* Atqui cum motionibus moralibus declinabiliter & superabiliter agitur, prout constat; ergo hæc motio physica ex S. Augustino non est superflua.

3tio. Omnis actio bona duo dicit, scilicet unum in esse moris, alterum in esse entis; sicut ergo in esse moris dependet à Deo, sic etiam in esse entis à Deo dependere debet. Atqui si Deus tantùm adhiberet motionem moralem in ordine ad bonam actionem, non verò in ordine ad physicam actionem, actio illa non dependeret à Deo physicè. Ergo &c. *Prob. min.* Illud non dependet ab altero physicè, in quod alterum istud physicè non influit. Atqui si Deus tantùm moraliter moveret, non verò physicè, non influeret in actionem physicè. Ergo hæc ab eo in ratione entis non dependeret.

Resp. AA. ad 2dum. textum, quòd illa verba dicantur de gratia efficaci tam secundùm id, quod dicit in obliquo, putà motiones morales, dispositiones subjecto congruas; quàm secundùm id, quod dicit in recto, influxum nempe physicum, prout patet ex his verbis: *Ita agens sensum, ut Legi accommodet assensum.* Item, *Bonæ voluntatis effectrix, quæ facit facere.*

Argumentum 3tium. desumitur ab auctoritate Concilii Trid. cit. Sess. 6. Can. 4. quo loco supponere videtur S. Synodus gratiam ad actus salutares necessariam eamque efficacem, præjudicaturam libero arbitrio, si non sit æqualiter in potestate nostra ei assentire vel dissentire. 217

Resp. Concilium istud nihil aliud velle, quàm non dari talem gratiam, cui non possimus dissentire nec in sensu composito nec in sensu diviso. Et Not. quòd definitio Concilii non sit absoluta, scilicet voluntatem à Deo motam posse dissentire, sed cum addito illo, quòd voluntas mota cooperetur assentiendo Deo vocanti & excitanti, & possit dissentire, qui sensus est omninò alius ab eo, quem Concilio isti affingunt Adversarii, nimirùm liberum hominis arbitrium motum dissentire posse in sensu composito; id enim cit. loc. non docuit hæc S. Synodus, sed solùm quòd voluntas mota cooperetur assentiendo, & quòd cum tali consensu ac cooperatione stet potentia ad dissentiendum.

§. IV.

218 *Declaratur, quænam sententia alteri sit præferenda.*

Ex dictis facilè colligitur primam sententiam posteriori à nobis præferri; & quo magis eam stabiliamus, modò superest, ut ea, quæ Adversarii ad Argumenta §. 2. adducta respondere conati sunt, refellamus.

Itaque Responsio ad auctoritatem S. Thomæ data vel ex eo non subsistit, quòd S. Doctor inutiliter recurreret ad efficaciam divinæ voluntatis pro concilianda libertate humana cum gratia, si agnovisset Scientiam mediam; hac enim supposita, superfluum est disquirere aptius remedium pro libertatis indemnitate. Cùm igitur S. Thomas ad conciliandam libertatem cum gratia ad efficaciam divinæ voluntatis provocare soleat, ut patet ex variis testimoniis ab ejus auctoritate petitis & in Instantia adductis, palam fit eum nullam agnoscere motionem à Scientia media pendentem.

Neque valet Responsio ad prædictam Inst. Nam, cùm hujusmodi gratia, quam adstruunt AA. ex sua natura non sit efficax, necesse est, ut ex natura sua sit indifferens, ac proindè primùm reddatur efficax per ipsamet cooperationem liberam nostræ voluntatis. At sic talis gratia minimè infert ac perficit libertatem; nam sic conficitur Argumentum: Vel hujusmodi gratia perficit libertatem humanam qua indifferens, vel qua efficax reddita. Neutrum dici potest: non primum; quia in illo meræ indifferentiæ statu nullum in voluntatem humanam ejusque actus exercet influxum efficacem. Undè cum pro illo signo non mutetur voluntas, neque ejus libertas perfici poterit. Non secundum; quia ut efficax reddita jam supponit eandem libertatem actuum nostrorum, quippe per quorum formalem liberam determinationem ex indifferenti reddita est efficax.

Contra 1mam. Responsionem ad auctoritatem Concilii Trid. est, quia indè sequeretur sententiam Thomisticam non ampliùs esse probabilem, utpotè damnatam; quod tamen sine temeritate nemo asserere audebit, cùm id Summorum Pontificum Constitutionibus vetitum sit. 2da. autem Responsio ex eo non subsistit, quia Concilium definit contra Calvinum quoad illam gratiam, quam Novatores dicebant tollere libertatem, secundùm illa prædicata gratiæ efficacis, quæ in S. Scriptura & Patribus continentur, prout ipsimet Adversarii dicunt. Sed gratia ab intrinseco efficax habet talia prædicata, quæ in Scriptura & Patribus continentur, quemadmodùm hactenùs probatum est tùm in hac, tùm in aliis Exercitationibus nostris. Ergo Concilium definit contra Calvinum gratiam efficacem ab intrinseco & ex sua natura non tollere libertatem. 219

Denique contra Responsionem ad Argumentum ex ratione petitum est, quia in ea ratione debet dari prioritas, in qua da- 220

datur dependentia & subordinatio. Atqui voluntas, ut & quodlibet aliud agens creatum, non tantùm dependet & subordinatur Deo quoad virtutem operativam & concursum in actu primo indifferentem (si tamen detur) sed etiam in ratione operantis actu, adeo ut voluntas creata ut actu operans dependeat à Deo, illique subordinetur ut actu operanti. Ergo &c. *Maj.* constat; nam subordinatio essentialiter importat ratiõé prioris & posterioris. *Min. prob.* Voluntatem creatam in ratione causæ actu operantis subordinari Deo tanquam causæ primæ, est illi subordinari in ratione causæ formaliter talis. Sed causa prima formaliter sumta est causa actu & formaliter operans. Ergo voluntas subordinatur Deo ut actu operanti, &c.

Confirm. Omnis actualitas causæ secundæ in aliqua linea subordinatur actualitati causæ primæ in eadem linea. Sed determinatio voluntatis creatæ est quædam actualitas in linea operationis. Ergo subordinatur actualitati causæ primæ in eadem linea operationis, & non tantùm in linea virtutis operativæ.

§. V.

321 *Afferuntur quædam testimonia SS. Augustini & Thomæ, quæ efficaciter probare videntur, Gratiam efficacem in præmotione physica sitam esse.*

QUandoquidem Doctores quosdam reperire est, qui, licèt admittant Gratiam ex natura sua efficacem, negant tamen præmotionem physicam; hinc operæ pretium duximus, adversùs eos dictam præmotionem physicam quibusdam rationibus tùm ex S. Augustino, tùm ex S. Thoma desumtis stabilire.

Probatur itaque præmotio physica 1mo. ex S. Augustino, qui lib. de correp. & grat. c. 2. sic loquitur: *Intelligant, si filii Dei sunt, Spiritu Dei se agi, ut quod agendum est agant, & cùm egerint illi, à quo aguntur gratias agant; aguntur enim, ut agant, non ut nihil ipsi agant.* Atqui per verbum *aguntur* significatur vera physica & realis efficientia ac causalitas, & non solùm motio quædam moralis, quæ nonnisi impropriè & metaphoricè potest dici actio, seu efficientia. Ergo &c.

Resp. AA. Spiritum Dei facere, ut faciamus, & agere nos, ut agamus & velimus per motionem moralem & gratiam excitantem, quæ consistit in illuminatione & pia cogitatione intellectûs.

Sed contrà est, quòd hæc Responsio directè adversetur S. Thomæ in c. 8. Ep. ad Rom. lect. 3. ubi ait: Posset sic intelligi, *quicunque Spiritu Dei aguntur, sicut quodam Doctore & Directore, quod quidem facit Spiritus sanctus in quantùm nos illuminat interiùs, quid facere debeamus.* Paulò post autem subnectit: *Sed plus intelligendum est in hoc, quòd dicitur, quòd Spiritu Dei aguntur: Illa enim agi dicuntur, quæ quodam superiori instinctu moventur; undè de brutis dicimus, quòd non agunt sed aguntur, quia à natura moventur, & non ex proprio motu, ad suas actiones agendas. Similiter etiam homo spiritualis non quasi ex motu proprio voluntatis principaliter, sed ex instinctu Spiritûs sancti inclinatur ad aliquid agendum, secundùm illud Isaiæ 56. Cùm venerit quasi fluvius violentus, quem Spiritus Dei cogit. Et Lucæ 4. dicitur, quòd Christus agebatur à Spiritu in desertum. Non tamen,* subjungit S. Doctor, *per hoc excluditur, quin viri spirituales per voluntatem & liberum arbitrium operentur; quia ipsum motum voluntatis & liberi arbitrii Spiritus sanctus in eis causat, secundùm illud ad Philipp. 2. Deus est, qui operatur in nobis velle & perficere.*

Ccccccc 3 2do.

2do. Idem S. Auguſtinus lib. de grat. & lib. arb. c. 20. ait: *Deum dominari voluntatibus hominum.* Item c. 21. ſic loquitur: *Agit omnipotens Deus in corde hominum etiam motum voluntatis eorum, ut per eos agat, quod per eos agere ipſe voluerit.* Et Ep. 107. ad Vitalem docet, *quòd bonam voluntatem cujusque Deus non inveniat in corde, ſed faciat.* Denique lib. de correp. & grat. c. 12. *Subventum eſt infirmitati voluntatis humanæ*, inquit, *ut divinâ gratiâ indeclinabiliter & inſuperabiliter ageretur.* Atqui facere, dominari, agere, ſignificant veram efficientiam. Ergo &c.

Reſp. Auguſtinum his locis ſolùm velle, Deum operari motum hunc ſeu determinationem voluntatis humanæ mediante motione morali.

Sed contra eſt 1mo. S. Auguſtinus dicit Deum operari intùs in corde hominum, id eſt, in voluntate; ſed motio moralis intùs in voluntate non fit, ſed ab intellectu, qui eſt extra voluntatem. 2do. Idem S. Doctor dicit, quòd *Deus faciat, ut faciamus præbendo vires efficaciſſimas voluntati.* Sed motio moralis non præbet vires efficaciſſimas voluntati, cùm tantùm extrinſecè, & objectivè alliciat & invitet. Deindè vires efficaciſſimæ ſunt cauſa efficiens; per eas enim voluntas operatur bonum. At motiones morales ſunt tantùm cauſa moralis. Ergo S. Auguſtinus præter motionem moralem, etiam admittit motionem phyſicam.

Replicant hunc textum Thomiſtis minimè favere; ſiquidem negant præmotione phyſica dari vires agendi, cùm illa has jam ſupponat in ſubjecto, & ad actum duntaxat applicet.

Reſp. Cùm Thomiſtæ dicunt præmotione phyſica non dari vires agendi, ſed jam datas ad actum applicari, loquuntur de viribus agendi, quæ ſubjecto inſint per modum formæ permanentis; non verò quæ inſint per modum formæ tranſeunter impreſſæ, & ad modum, *quo virtus artis eſt in inſtrumento Artificis*, ut ait S. Thomas q. 3. de potent. a. 7. ad 7. de quibus modò intelligendus eſt S. Auguſtinus.

Contrà eſt denique 3tio. Quia S. Auguſtinus lib. 3. de Trin. c. 4. expreſsè ait: Voluntas Dei eſt prima & ſumma cauſa omnium corporalium ſpecierum atque motionum, at hoc non poteſt intelligi de motione morali, ſed ſolùm de phyſica, ut conſtat.

Prob. 2do. Ex S. Thoma, qui 1. cont. Gent. c. 68. in fine, *Dominium* inquit, *quod habet voluntas ſupra ſuos actus, per quod eſt in ejus poteſtate velle, excludit determinationem virtutis ad unum, & violentiam cauſæ exteriùs agentis; non tamen excludit influentiam ſuperioris cauſæ, à qua eſt ei eſſe & operari; & ſic remanet cauſalitas in cauſa prima, quæ eſt Deus, reſpectu motuum voluntatis.* 222

Item 3. cont. gent. c. 148. *Auxilium divinum*, ait, *ſic intelligitur homini adhiberi ad benè agendum, quòd in nobis noſtra opera operatur, ſicut cauſa prima operatur operationes cauſarum ſecundarum, & agens principale actionem inſtrumenti, &c.* Atqui agens principale operatur phyſicè actionem inſtrumenti. Ergo &c.

Idem S. Doctor 3. cont. gent. c. 89. ſic loquitur: *Deus non dat ſolùm rebus virtutem, ſed etiam nulla res poteſt propria virtute agere, niſi agat in virtute ipſius; ergo homo non poteſt virtute voluntatis ſibi data uti, niſi in quantùm agit in virtute Dei: illud autem, in cujus virtute agens agit, eſt cauſa non ſolùm virtutis, ſed etiam actûs, quod in artifice apparet, in cujus virtute agit inſtrumentum, etiam quod ab hoc artifice propriam formam non accipit, ſed ſolùm ab ipſo applicatur ad actum.*

Ex his porro ſatis conſtare videtur, tùm à S. Auguſtino, tùm ab Angelico Doctore admiſſam fuiſſe præmotionem phyſicam, &c.

EX-

223 # EXERCITATIO DECIMATERTIA.

De Angelo comparato ad locum.

Ad Cap. 1. §. 3. n. 43. Tractatûs secundi Tomi secundi Theologiæ Universalis de Angelis &c. &c.

ABsoluta veritas est Angelum esse in loco non tantùm secundùm virtutem suam, verùm etiam secundùm suam substantiam; re vera enim substantia Angelorum vel in cœlis est, vel in inferno, vel in terris. At controvertitur, quænam sit ratio formalis, per quam Angelus proximè constituatur in loco connaturali, an propria ejusdem substantia, an verò illius operatio virtualiter transiens. Primum affirmant Scotistæ; secundum verò Thomistæ.

§. I.

224 *Proponuntur ac solvuntur Argumenta pro sententia Thomistarum.*

ARgumentum 1mum. petitur ab auctoritate S. Thomæ, qui 1mo. in 3. cont. gent. c. 86. sic docet: *Res corporea est in aliquo sicut in loco secundùm contactum quantitatis dimensivæ: res autem incorporea in aliquo esse dicitur secundùm contactum virtutis, cùm careat dimensiva quantitate.* 2do. in 1. Sentent. Dist. 37. q. 3. a. 1. sic ait: *Relinquitur ergo, quòd Angelus definiri vel determinari non possit ad locum aliquem, nisi per actionem vel operationem, &c.*

Resp. Scotistæ, potiùs Scoto hac in re adhærendum esse; eò quòd S. Thomæ sententia, ipso Scoto teste, ab Universitate Parisiensi proscripta fuerit.

(*m*) Argumentum 2dum. Substantia corporea ex vi suæ lineæ præcisè non est ratio formalis proximè fundans ubicationem in corporibus. Ergo nec substantia spiritualis in rebus corporeis. *cons.* patet. *Prob. ant.* Quia substantia corporea non tangit locum immediatè ratione sui, sed ratione quantitatis inter ipsam & locum mediantis. Ergo substantia corporea ex vi suæ lineæ non est ratio proximè fundans ubicationem in corporibus: ac proinde à pari substantia Angelorum non ratione substantiæ, sed solùm ratione quantitatis virtutis erit immediatè in loco. 225

Resp. Quòd ratio, cur substantia immediatè non tangat locum, alia non sit, nisi quia vestita est quantitate; hac enim amota jam per se ipsam immediatè continget locum.

Argumentum 3tium. Quidquid est in loco formaliter est in eo per contactum. Atqui per solam operationem transeuntem Angelus contingit locum. Ergo &c. *Maj.* constat de locato corporeo, quod esse nequit nisi per contactum loci, in quo locatur, & est expressa S. Thomæ sententia 3. cont. gent. c. 88. dicentis: *Quod est in loco aliquo modò contingit locum. Min. prob.* Non potest Angelus contingere locum per quantita- 226

(*m*) Nostræ ætatis Philosophi apertè demonstrant quantitatem neutiquam à corpore distingui, sed esse ipsam illius essentiam. Undè tàm Argumentum istud, quàm data ad illud Responsio nituntur falsò supposito.

titatem molis, cùm eâ careat, ergo solùm per quantitatem virtutis, quæ nihil aliud est, quàm virtus operativa.

Resp. Præter utrumque hunc contactum, alium insuper dari, qui habeatur per ipsam substantiam, quæ ratione suæ perfectionis potest esse immediata ratio tangendi locum. Præterea contactus ille tantùm est metaphoricus; undè ad illum plus non requiritur, quàm immediata rei corporeæ positio.

227 Argumentum 4tum. Quia sequeretur ex Scotistarum sententia, quòd Angelus semper certum sibi locum vendicaret, nec posset in majori vel minori loco pro suo lubitu existere. Atqui hoc est falsum. Ergo &c. *Prob. seq.* Substantia Angeli intra propriam lineam est quid invariabile; semper enim habet eamdem perfectionem substantialem. Ergo si illa secundùm se & antecedenter ad operationem sit proxima ratio fundans ubicationem Angelicam, semper locum certum sibi vindicabit, nec poterit pro suo lubitu in majori aut minori intra sphæram suæ activitatis existere.

Resp. *Neg. seq.* Nam substantia Angeli non est illi ratio existendi in loco nisi ut applicata per actum imperii, aut voluntatis Angelicæ ad talem vel talem locum, sub qua ratione fundare potest ubicationem & prætentiam modò ad majorem, modò ad minorem locum.

§. II.

228 *Proponuntur ac solvuntur Argumenta pro sententia Scotistarum.*

Argumentum 1mum. In S. Scriptura legimus, priùs Angelos accessisse ad loca, quàm in eis aliquid operarentur; nam Luc. 1. dicitur: *Missus est Angelus Gabriel ad Mariam, & ingressus ad eam dixit.* & Matth. 4. *Accesserunt Angeli, & ministrabant ei, &c.* Ergo &c.

Resp. Thomistæ Angelos posse accedere ad locum dupliciter 1mo. per motum continuum, 2do. per motum discretum. Motus continuus est, in quo mobile per partes deserit terminum à quo, & per partes acquirit terminum ad quem sine intermedia quiete; Motus verò discretus est, in quo mobile deserit totum simul terminum à quo & immediatè post totum simul terminum acquirit. Jam, sive Angelus accedat ad locum per motum continuum sive discretum, semper tamen est in loco, tàm per quem transit, quàm quem ultimatò occupat per operationem. Undè cùm S. Scriptura dicit, quòd Angelus Gabriel accesserit ad Mariam, &c. debet intelligi de ingressu & accessu, qui in diversis Angelorum operationibus sibi invicem succedentibus & circa diversa loca elicitis consistit. Undè S. Damascenus ait: *Quia Angelus promtè ac citò pertransit, in variis locis operari dicitur.*

Inst. Prius est Angelum esse, quàm operari, in loco corporeo. Ergo operatio virtualiter transiens non potest esse ratio formalis ubicationis Angelicæ. *Prob. ant.* Prius est Angelum esse, quàm operari. Ergo à pari prius est eum esse in loco, quàm operari in eo. Præterea antequam Agens operetur in passo, debet prò priori illi approximari. Atqui pro instanti approximationis nihil operatur, & tamen est in loco. Ergo &c.

Resp. *Dist. ant.* Prius est esse sumtum absolutè, quàm operari, *conc.* Sumtum in ordine ad locum, *subdist.* in Agentibus corporeis, *conc.* in Agentibus spiritualibus, *neg. ant.* Licèt enim prius sit Angelum esse, quàm operari, indè tamen non sequitur, quod prius sit Angelum esse, quàm operari in loco; quia etsi prius sit Deum esse, quàm operari ad extrà, non est tamen prius Deum esse in creatura, quàm operari in creatura.

Ad

Ad 2dam. prob. dicunt, quòd ratio adducta valeat quidem in agentibus corporeis; quia nimirùm agunt per virtutem subjectatam in quantitate, & à loco dependentem; non tamen in agentibus spiritualibus, quorum virtus operativa non subjectatur in quantitate; quapropter in his approximatio concomitatur ipsam operationem; imo talis approximatio est ipsamet operatio Angeli: sicut enim anima corpus informando illi unitur, illudque tangit: ita Angelus operando in corpus illi approximatur, illudque tangit.

Dices. Si Angelus esset in loco per operationem ad extrà, existere posset absque omni loco; cùm enim operatio ad extrà, sit libera, Angelus posset pro lubitu ab ea cessare. Atqui Angelus non potest existere absque omni loco; nam ens creatum existens dicit esse, quod sit alicubi, cùm dicat esse limitatum. Ergo &c.

Resp. ad 1mum. *Conc. maj. neg. min.* Ad 2dum. *Neg. ant.* Ad 3tium. *Dist. ant.* Ens creatum existens dicit esse limitatum terminô essentiæ, quæ est finita, *conc* terminô loci, *neg. ant.*

229 Argumentum 2dum. Angelus est formaliter in loco per quantitatem virtutis, ut volunt Thomistæ. Atqui substantia Angeli præscindendo ab operatione est quantitas virtutis, ut docet S. Thomas 1. p. q. 42. a. 1. ad 1. ubi *Alia*, inquit, *est quantitas virtutis, quæ attenditur secundùm perfectionem naturæ vel formæ.* Ergo Angelus formaliter est in loco per suam substantiam.

Resp. *Dist. maj.* Angelus est formaliter in loco per quantitatem virtutis, quæ sit contactiva loci, *conc. maj.* quæ præcisè dicit magnitudinem perfectionis, *neg. maj.* & sic *dist. min. neg cons.* Itaque quantitas virtutis, quæ essentialiter tribuitur Angeli essentiæ, non potest esse ratio formalis ubicationis Angelicæ, cùm non sit contactiva loci, locus autem absque contactu occupari non potest.

Argumentum 3tium. In sententia Thomistica non potest explicari 1mo. quomodò Angeli sint in cœlis. 2do. qua ratione animæ Sanctorum, qui ante Christi adventum obierant in limbo fuisse dicantur. 3tio quomodo in deserto Ægypti Dæmon Asmodæus ab Archangelo Raphaële alligatus fuerit. Siquidem [illegible] omnes sunt, aut fuerunt sine actione. 230

Resp. Ad 1mum. Angelos, cùm præfecti sint rerum omnium corporearum administrationi, per aliquam operationem nonnihil conferre ad externum cœli empyrei ornatum, quamvis ad hujusmodi operationis plenam notitiam pertingere non valeamus. Nec id mirum esse debet, cùm ipsiusmet cœli empyrei qualitates nobis sint ignotæ. Ad alias Inst. Resp. eas non esse ad propositum, cùm non loquantur de loco connaturali, sed violento; facilè enim conceditur, quòd Angelus non per applicationem virtutis suæ sit in loco violento, sed solùm per passionem ortam à causa efficiente.

Dices. Angeli custodes semper sunt prope suos clientes, & tamen credibile non est, quòd semper circa eos aliquid operentur. Ergo &c.

Resp. 1mo. Eos semper aliquid operari, vel continendo imaginationem, vel suggerendo bonas cogitationes, vel impediendo nociva.

Resp. 2do. Neg. Angelos custodes semper esse prope suos clientes, ut colligitur ex S. Thoma 1. p. q. 113. a. 6. ad 3. ita disserente: *Angelus, licèt interdùm derelinquat hominem locô, non tamen derelinquit eum quantùm ad effectum custodiæ; quia etiam cùm est in cœlis, cognoscit quid circa hominem agatur, nec indiget morâ temporis ad motum localem, sed statim potest adesse.*

Dices iterùm. Animæ Beatorum, quæ sunt in cœlo, non sunt ibi tanquàm in loco violento, & tamen nihil operantur. Ergo &c.

Resp. Eas per mutationem quamdam instantaneam & discretàm transeuntes de non esse in cœlo ad esse in illò operari virtute qualitatum gloriæ in cœlo, in eodem instanti, quo in cœlum recipiuntur. Undè de iis proportionaliter differendum est de Angelis.

231 Argumentum 4tum. Si Angeli sunt formaliter in loco per operationem, tunc vel per operationem transeuntem, vel per immanentem. Non secundum; quia operatio immanens tàm præscindit à loco quàm ipsa substantia: sed neque primum; quia operatio transiens non potest esse alicui ratio, quòd sit verè & entitativè in loco reali: licèt enim Sol operetur in terra, non tamen est ibi verè & entitativè secundùm substantiam.

Resp. Angelos esse in loco per operationem non formaliter, sed tantùm virtualiter transeuntem. Pro quo

Not. Duplicis generis operationem transeuntem in agentibus reperiri: una est formaliter talis, quæ nimirùm realiter egreditur ab agente, & recipitur in passo, ut calefactio recipitur in aqua; altera verò est tantùm virtualiter talis, quæ formaliter manet in suo principio activo, undè dicitur formaliter imanens; producit nihilominùs aliquem effectum in subjecto extraneo, & propterea dicitur virtualiter transiens; quia operatur in passo, ac si esset formaliter transiens. Ex quo corruit exemplum allatum de Sole; nam iste operatur in terra per operationem formaliter transeuntem; at verò Angelus per operationem tantùm virtualiter transeuntem, quæ cùm debeat contingere ipsum effectum in loco corporeo producendum, eo ipso etiam debet Angelum agentem eidem loco formaliter præsentem & quodamodò unitum constituere.

Dices. Ratio essendi verè in loco debet inesse rei locatæ, ut constat in quantitate respectu corporum. Sed operatio transiens non inest Angelo, sed corpori moto, id est, illi corpori, circa quod est operatio. Ergo &c.

Resp. ut priùs *Dist. min.* Sed operatio transiens formaliter non inest Angelo, *conc.* Virtualiter transiens, sita in imperio practico intellectûs Angelici, de qua hic duntaxat est sermo, *neg. min.* & *cons.*

Inst. Angelus motor alicujus orbis habet totum illud cœlum pro mobili sibi adæquato, & in toto illo cœlo operatur; nec tamen est in toto illo cœlo, aliàs simul esset in Occidente & Oriente. Ergo &c.

Resp. Angelum non operari in totum illud cœlum immediatè, tam imediatione suppositi quàm virtutis, sed tantùm in unam partem, & hac mediante in alias hujus mobilis partes; & ideò in sola illa mobilis parte locatus dici debet Angelus, in qua reperitur imediatione suppositi.

Argumentum 5tum. Id, quod est in loco per aliud, eodem modo est in loco ac illud, v. g. quia corpus est in loco fundamentaliter per quantitatem, sic, prout quantitas ipsa est in loco commensurativè, ita & corpus. Atqui operatio transiens Angeli est comensurativè in loco, cùm sit materialis. Ergo etiam & ipse Angelus. 232

Resp. *Neg. min.* ejusque *prob.* Nam operatio Angeli, ut dictum, non est formaliter transiens. Ergo neque formaliter materialis; ac proindè commensurativè in loco esse nequit, sed tantùm definitivè.

Inst.

Inst. Entitativa præsentia Agentis est conditio prævia ad actionem. Ergo &c.

Resp. *Dist. ant.* In Agentibus corporeis, *conc.* In incorporeis, *neg. ant.* Ratio est; quia Agens corporeum agit per virtutem corpoream & materialem, quæ subjectatur in quantitate, & ab ea dependet. Undè sicut pro priori ad actionem supponit quantitatem ac contactum illius ad actum, ita etiam præsupponit entitativam præsentiam Agentis corporei in loco. At verò Agens immateriale, cùm agat per virtutem immaterialem, non supponit quantitatem virtutis nec contactum virtutis pro priori ad operationem; cùm ipsamet operatio illius sit contactus virtutis, & consequenter Agens immateriale constituat in loco: undè necesse non est, ut præsupponat entitativam præsentiam Agentis incorporei.

Urg. Potest Angelus cessare ab omni operatione tùm ob suam libertatem, tùm ob denegatum à Deo concursum. Ergo saltem tunc non erit in loco dependenter ab operatione, sed potiùs à sola sua essentia.

Resp. In hoc casu Angelum nullibi fore, atque adeò in nullo loco positus, prout docet S. Thomas in 1. Sentent. dist. 37. q. 3. a 1. ad 4. ubi, *Hoc non reputo*, inquit, *inconveniens, quòd Angelus sine loco possit esse, & non in loco, quando nullam operationem circa locum habet: nec est inconveniens, ut tunc nusquam sit, vel in nullo esse dicatur: sicut etiam non est inconveniens, quòd nullo colore coloratus esse dicatur; sed hoc tamen non est imaginabile, quia imaginatio continuum non transcendit.*

Inst. Angelus cessans ab operatione in hoc cubili v. g. nec se alio transferens planè remaneret in hoc cubiculo, & ut indistans ab eo intuitivè à Deo videri posset. Ergo &c.

Resp. *Neg. ant.* Quia tunc tantùm aptitudinaliter esset in hoc cubiculo ceu in loco, non autem actualiter, sicque ab eo non esset actualiter & positivè indistans; ac proindè ut talis à Deo intuitivè videri non posset.

Urg. (*n*) Substantia materialis, ablata quantitate, remaneret adhuc in loco. Ergo & substantia Angeli cessante omni operatione ad extrà. *Prob. ant.* Si Deus ab aqua existente in vase auferret quantitatem, tunc substantia aquæ remaneret in vase, non enim esset extra illud.

Resp. (*o*) Tunc aquam illam fore in universo tanquam partem in toto, ac proindè neque esset intra vas vel extra illud, sed solùm haberet potentiam radicalem ad existendum vel intra vel extra illud. Quod si Deus posteà aquam illam suæ naturæ relinqueret, equidem ex substantia illius resultaret nova quantitas intra vas, hoc tamen non ideò contingeret, quasi substantia aquæ anteà in vase ceu in loco fuisset, sed ex eo duntaxat, quòd suæ naturæ relicta exigeret recuperare priorem quantitatem, & consequenter præsentiam & ubicationem ad locum illum, quem anteà replebat.

Dices: Deus ratione suæ immensitatis est præsens omnibus omninò rebus. Ergo Angelus aliquibus [illegible]e poterit ratione suæ substantiæ.

Resp. *Neg. ant.* Nam, inquiunt, Deus non ratione solius immensitatis, sed vel maximè ratione ipsius operationis virtualiter transeuntis est cunctis rebus intimè præsens.

(*n*) Hæc omnia falsò laborant supposito, quasi verò substantia materialis & ejus quantitas distinguerentur?

(*o*) Ad ineptam objectionem inepta responsio.

Dices iterum: Humanitas Christi est formaliter præsens speciebus Eucharisticis. Atqui non est illis præsens per operationem. Ergo.

Resp. (*p*) Quòd quemadmodùm substantia panis priùs erat præsens sub speciebus propriis non tanquam in loco, nec per contactum dimensivæ quantitatis, cùm secundùm se nullam habeat, sed solùm per unionem formalem; ita etiam humanitas Christi est præsens speciebus Eucharisticis per formalem tantùm unionem, non verò localem; nam vi conversionis substantiæ panis in ipsum speciebus Sacramentalibus formaliter unitur, non tamen localiter.

Dices denique: Si Deus de novo crearet Angelum, vel eum produceret vel intra vel extra mundum: si hoc, ergo erit in spatio seu loco imaginario: si illud, ergo erit præsens alicui corpori istius orbis, absque eo, quòd aliquid operetur. Ergo hoc ipso erit in loco.

Resp. Eo eventu Angelum neque intra neque extra mundum producendum esse quoad existentiam locatam, positò, quòd nihil operaretur, sed tunc esset existens nullibi tanquàm in loco sive vero, sive imaginario.

233 Argumentum 6tum. Angeli ante vel extra mundum producti haberent eandem naturam easdemque facultates, quas nunc habent, ac proinde pollent se movere localiter. Atqui tunc habere non possent operationem ad extrà ob defectum corporum. Ergo &c.

Resp. Angelos solùm in actu primo potentiam locô motivam habituros, non verò in actu secundo; sicuti si Deus de facto ad nihilum redigeret hominum corpora, animæ eorum vim conformativam nonnisi in potentia, non autem actu, haberent.

Dices: Saltem tunc possent habere quemdam situm, per quem alii essent aliis propinqui, alii verò ab aliis distantes. At tunc hoc ipso essent in loco. Ergo &c.

Resp. *Neg. maj.* Nam situs non convenit Angelo nisi ratione loci, qui abesse supponitur. Præterea potest distingui *Maj.* Essent aliqui aliis propinqui vel distantes negativè *conc.* positivè *neg. maj.* Dupliciter potest aliquid dici alteri propinquum 1mo. positivè, per realem nimirùm ac positivam præsentiam in aliquo loco, in quo scilicet ponitur per rationem formalem essendi in loco. 2do. negativè, quatenùs nempè aliquid non magis dicit ordinem propinquitatis ad hunc, quàm illum locum: hoc secundô modô dici potest Angelus propinquus vel indistans esse quoad suam substantiam ab alio Angelo.

Dices iterum: Propinquitas & distantia æquè contradictoriè opponuntur ac curvitas & rectitudo. Sicut ergo non potest dari linea, quæ non sit recta aut curva, ita non possunt esse duæ substantiæ inter se nec distantes nec propinquæ.

Resp. *Neg. parit.* Quia curvitas & rectitudo non sunt proprietates respectivæ, quemadmodùm distantia & propinquitas, hæ enim important quoddam genus comparationis inter extrema, ut sunt in loco, atque adeò, destructô omni locô corporeô, nulla potest dari positiva distantia vel propinquitas, sed tantùm negativa.

Urg. Saltem tunc essent Angeli Deo præsentes. Ergo.

Resp.

(*p*) Denuò misera responsio, ut quæ substantiam panis quantitate, id est, propriâ essentiâ exuat.

Resp. *Dist. ant.* Essent Angeli Deo præsentes ratione ubicationis divinæ, in quantùm scilicet Deus ipsorum *esse* quasi continua creatione conservaret, *conc.* ratione propriæ ubicationis. neg. ant. &c.

Inst. Effectus etiam ratione sui debet esse præsens suæ causæ. Ergo etiam *esse* Angelicum ut à Deo conservatum.

Resp. quòd effectus esse debeat præsens suæ causæ eo genere præsentiæ, quod requiritur inter effectum & causam efficientem. Undè Angelus Deo præsens esset præsentiâ causalitatis, non tamen præsentiâ loci, eo proportionaliter modo, quo forma informans materiam debet illi esse præsens non localiter, quasi in illa esset tanquam in loco, sed tantùm per informationem & causalitatem.

Dices.: S. Thomas 3. p. q. 52. a. 2. in ☉. docet aliquid posse esse in loco per suam essentiam seu substantiam. *Alio modo*, inquit, *dicitur aliquid esse alicubi per suam essentiam: & hoc modô anima Christi descendit solùm ad locum inferni.* Ergo etiam Angelus in loco ita esse poterit.

Resp. S. Thomam nullatenùs velle, quòd ipsa essentia seu substantia animæ sit ratio formalis essendi in loco, sed tantùm quòd anima Christi fuerit in inferno Justorum non solùm per operationem causando in illis lumen gloriæ; sed etiam per suam substantiam, non tanquam per rationem formalem ubicationis, sed solùm per id, quod habet rationem formalem essendi in loco sibi physicè unitam.

Inst. S. Ambrosius lib. 1. de Spiritu sancto, c. 1. ait: *Angelum verè secundùm naturam, seu secundùm substantiam de loco mutari in locum* Ergo &c.

Resp. S. Ambrosium non velle, quòd Angelus secundùm naturam, seu secundùm substantiam, tanquam per rationem formalem, moveatur de loco in locum; sed solùm quòd substantia Angeli etiam de loco in locum moveatur, quod ultrò asserunt Thomistæ. Itaque juxta ipsos substantia Angeli est in loco *ut quod*, non tamen *ut quo*.

§. III.

Verior eligitur sententia. 234

Quamquam sequendo ductum imaginationis vix concipi possit, quòd Angelus absque operatione in loco esse nequeat, relicta tamen imaginatione, quæ in spiritualibus seducit, sequendo ductum rationis facilè quis concipiet, quòd sicut, etsi non sit imaginabile corpus nisi sub aliqua figura, possit tamen divinitùs dari sine illa (*q*): ita, inquam, concipiet, quòd dari possit aliqua substantia creata, quæ sit pars hujus universi, adque adeò in ipso existat tanquam in suo toto, & tamen defectu quantitatis (*r*) vel dimensivæ, vel virtutis ipsius non sit alicubi tanquam in loco. Undè retinenda esse videtur S. Thomæ sententia, ac ejus oppositæ præferenda. Itaque

Contra Responsionem ad Argumentum 1mum. §. I. ab auctoritate ejusdem 235 S. Thomæ petitum est, quòd hujusmodi Universitatis Parisiensis damnatio rursùs ab Episcopo Parisiensi necnon pluribus in S. Theologia Magistris revocata fuerit. Stephanus namque Parisiensis Episcopus cum Decano, totoque Capitulo; item Guillelmus Archiepiscopus Viennensis S. Theologiæ Professor cum aliis viginti tribus Magistris in Theologia, nec-

Dddddd 3 non

(*q*) Nostræ ætatis Philosophi tuentur divinitùs non posse dari corpus sine figura aliqua; quæ si ab ipso tollatur, tùm illud in nihilum abire necesse est.

(*r*) Omne corpus necessariò est quantum; & quantitate in ipso deficiente, deficit & ipsum.

non triginta novem Baccalaureis in Theologia viris doctissimis eam damnationem annullârunt. vid. Wentzl. p. 3. de Aug. q. 1.

236 Contra Responsionem ad Argumentum 2dum. est; quia ex ea sequeretur, quòd substantia impediatur à sua quantitate, ne immediatè tangat locum, quod absurdum est; nam quod convenit alicui substantiæ per se, nequit impediri ab ejus proprietate. Undè si quantitas impedit immediatum contactum substantiæ corporeæ ad locum, signum est substantiam illam non esse proximam rationem immediatè essendi in loco.

Confirm. Quando aliquid competit alteri per se, ab eo nequit oriri impedimentum, ne illud assequatur. Cùm igitur quantitas oriatur ex substantia materiali, sic esse nequit impedimentum, quominùs substantia immediatè contingat locum, si hoc illi per se competat.

237 Contra Responsionem ad Argumentum 3tium. est, quia quantitas virtutis, quæ tantùm est secundùm perfectionem substantiæ, pertinet ad ordinem essendi. Atqui quod pertinet ad ordinem essendi in rebus incorporeis, illud non habet de se connexionem cum loco corporeo, alioquin ei esset subjectum, utpote ab eo dependens, quod tamen non admittitur. Nec officit, quòd contactus ille, quo Angelus tangit locum, sit metaphoricus; nam quamvis hujusmodi sit, nihilominùs tamen debet sibi subordinare locum, quod fieri nequit per quantitatem virtutis, quæ est secundùm perfectionem substantiæ, sed tantùm per operationem virtualiter transeuntem.

Denique contra Responsionem ad ultimum Argumentum est, quia si per actum imperii intelligatur ratio formalis essendi in loco, tunc Adversarii incident in sententiam S. Thomæ; si verò dicatur, quòd hujusmodi applicatio per actum imperii se habeat ut conditio *sine qua non*; tunc contrà est, quia non potest conditio *sine qua non*, quantumcunque variabiis, manente causa formali invariata, producere diversum effectum formalem; sic nisi varietur intrinsecè nostra quantitas, nunquam efficiet applicatio illius ut majorem vel minorem locum occupemus. Ergo &c. (s) 238

239 EXERCITATIO DECIMAQUARTA.

De voluntario indirecto, seu de omissione voluntaria sine omni actu.

Ad Cap. 1. §. 2. num. 55. Tractatûs I. Theol. Univers. Tom. 3.

Quæstio volvitur inter Theologos an sit possibilis libera omissio pura, hoc est, an voluntas possit aliquam actionem omittere voluntariè & liberè, quin actum aliquem positivum eliciat, qui omissionem illam seu ip-

(s) Hanc Thomistas inter & Scotistas de Angelo ad locum comparato controversiam, etsi nostrô judiciô admodùm inutilem, necnon falsis & absurdis omninò principiis innixam, multaque insuper verborum barbarie confertam hic ex scriptionibus R. P. Germani Cartier nostri p. m. attexere placuit, ut saltem curioso fortè Lectori nostro stylum, & methodum, quibus horum Scholasticorum plerique vanas hujusmodi & inanes quæstiones pertractare & exarare consueverunt, exhiberemus.

ipsum libertatis exercitium constituat.

§. I.

240 *Proponuntur, ac solvuntur Argumenta affirmantium possibilem esse omissionem liberam absque omni actu.*

ARgumentum 1mum. suppeditat nobis S. Thomas; nam 1. 2. q. 6. a. 3. ex professo inquirit, utrum voluntarium possit esse absque omni actu; respondetque affirmativè, necnon probat, ac deinceps objecta solvit. En illius verba: *Voluntarium potest esse absque actu, quandoque quidem absque actu exteriori cum actu interiori, sicut cùm vult non agere, aliquando autem & absque actu interiori, sicut cùm non vult.*

Prætereà q. 71. a. 5. sic concludit: *Undè veriùs dici potest, quòd aliquod peccatum possit esse absque omni actu.*

Resp. AA. Angelicum Doctorem tantùm velle, quòd omissio voluntaria possit quidem poni in homine sine omni actu, qui sit de illius essentia, & ei per se conjungatur, non tamen sine actu, qui ei conjungatur per accidens, seu qui sit causa vel occasio illius.

241 Argumentum 2dum. & fundamentale. Omne liberum est voluntarium. Atqui potest dari liberum sine omni actu positivo voluntatis. Ergo & voluntarium. *Maj.* constat. *Min. prob.* De ratione liberi libertate contradictionis est agere vel non agere. Atqui non agere potest haberi absque omni actu positivo voluntatis per solam actûs suspensionem. Ergo &c.

Resp. Libertatem contradictionis haberi per hoc, quod voluntas possit agere vel non agere, id est, bonum amare, vel non amare, omittendo tamen amorem non purè sed actu positivo, sive nolendo amorem, sive volendo nolitionem amoris, sive volendo statum, in quo non possit amare, putà volendo somnum.

Argumentum 3tium. Voluntas prout libera libertate contradictionis est indifferens per modum actûs primi ad actum secundum & ejus omissionem. Ergo sicut per actum secundum illius indifferentia exercetur, & de actu primo reducitur formaliter ad actum secundum; ita etiam per omissionem determinari potest, & de actu primo suæ indifferentiæ transire ad actum secundum. 242

Resp. ut priùs, scilicet, quando dicitur voluntatem esse indifferentem ad actum & ejus omissionem, sensum non esse, quòd sufficiat indifferentia ad liberum exercitium & ad negationem illius; sed ad exercitium liberum circa *esse* hujus actus, nimirùm amoris, ut effectûs: & quia *esse* & *non esse* amoris sunt contradictoria, hinc talis oppositio dicitur libertas contradictionis, non obstante, quòd præsupponatur actus, qui sit causa illius omissionis.

Argumentum 4tum. Nulla apparet implicantia, quin possit voluntas circa objectum creatum sufficienter propositum nullum elicere actum, neque positivè volendo, neque positivè nolendo, sed negative se habendo. Atqui hujusmodi non agere erit voluntarium, cùm non minùs liberum sit voluntati ipsum non agere, quàm agere. Ergo &c. 243

Resp. Ex eo implicantiam esse, quia voluntas nequit esse absque omni actu. Undè hoc ipso, quòd suspendat actum circa unum objectum, necessariò elicere debet actum circa aliud objectum; qui actus, cùm incompossibilis sit cum actu præcepto, suspensio ipsa actûs præcepti dicitur voluntaria indirectè ex actu positivè incompossibili cum actu præcepto.

Argumentum 5tum. Urgente præcepto dilectionis Dei potest quis advertens suam obligationem eliciendi eum actum, suspendere omnem actum, quo 244

vel

vel præceptum impleat, vel præcepti impletionem impediat. Atqui tunc omissio hæc erit peccaminosa; consequenter voluntaria & libera. Ergo &c. *Maj.* constat ex libertate voluntatis, quæ ratione dominii, quod habet in suos actus, potest aliquem actum elicere, vel nullum omninò.

Verùm Argumentum hoc non differt à priori, undè ad illud eadem est Responsio. Resp. prætereà in casu Argumenti voluntatem nòn posse suspendere omnem actum voluntarium, sed à fortiori debere tunc elicere actum aliquem non quidem hunc aut illum determinatè, sed aliquem actum vagè & indeterminatè circa aliquod objectum, qui actus erit occasio illius omissionis. Addunt non esse inconveniens, quòd voluntas sit determinata ad eliciendum actum vagè, & nihilominùs sit libera ad quemcunque actum in particulari.

§. II.

245 *Proponuntur ac solvuntur Argumenta negantium possibilem esse omissionem liberam absque omni actu.*

Argumentum 1mum. petitur ab auctoritate S. Thomæ hîc q. 21. a. 5. dicentis: *Si intelligatur in peccato omissionis illud solùm, quod per se ad rationem peccati pertinet, est sine omni actu exteriori, vel exteriori; si verò in peccato omissionis intelligantur causæ vel occasiones omittendi, sic necesse est in peccato omissionis aliquem actum esse.* Sensus est hujus textus, quòd licèt omissio quà talis ex natura omissionis non requirat aliquem actum sui constitutivum, requiratur tamen aliquis actus ex parte operantis ad hoc, ut ipsi sit voluntaria, qui actus sit causa vel occasio voluntariæ omissionis.

Ante Resp. Not. ex eodem S. Doctore loc. cit. plerumque, non tamen semper, contingere, quòd in peccato omissionis seu voluntaria omissione inveniatur aliquis actus positivus, qui sit causa vel saltem occasio omissionis voluntariæ, ut cùm quis tempore, quo obligatur audireSacrum, velit ludere aut dormire, qui actus positivus, scilicet lusus vel somnus, est causa & occasio, propter quam omittitur Sacrum. Quando ergo hujusmodi actus positivus intervenit, tunc etiam libenter conceditur omissionem illam voluntariam absque actu non esse; verùm de hoc non procedere videtur præsens quæstio, sed de illo solùm, an scilicet pura actûs omissio, id est, talis, quæ neque causam neque occasionem omittendi habet, possit esse voluntaria? Et de hoc loquitur prior pars textûs è S. Thoma adducti: *Si intelligatur in peccato omissionis id solum, &c.* ubi apertè mox dicta confirmat. Undè in forma

Resp. *conc.* textum. *neg.* tamen ejus explicationem, & *cons.* Longè clariùs rem explicat S. Thomas, cum loc. cit. subjungit: *Undè veriùs dicendum est, quòd aliquod peccatum possit esse absque omni actu.*

Argumentum 2dum. Quod procedit à voluntate, procedit per actum voluntatis. Atqui voluntarium procedit à voluntate, prout priùs dictum, Ergo &c. *Subs.* Sed quod procedit à voluntate per actum voluntatis, non potest esse à voluntate sine actu voluntatis. Ergo voluntarium non potest esse sine actu voluntatis. 246

Ad hoc Argumentum respondet ipse S. Thomas q. 6. a. 3. ad 1. his verbis: *Dicendum, quòd voluntarium dicitur non solùm quod procedit à voluntate directè sicut ab Agente, sed etiam quod est ab ea indirectè sicut à non agente* Hinc in forma

Resp. *Dist. maj.* Quod procedit à voluntate directè tanquam à voluntate agente, &c. *conc.* Quod procedit indirectè tanquam à voluntate non agente, &

om-

omnem actum suspendente, &c. *neg. maj.* &c.

Inst. 1mo. In tantùm aliquid est voluntarium, in quantùm est volitum, cùm voluntarium sit objectum voluntatis. Atqui nihil est volitum sine actu voluntatis. Ergo etiam nihil est voluntarium sine actu voluntatis.

Resp. *Dist. maj.* ut priùs. In tantùm aliquid est voluntarium directè, in quantùm est volitum, *conc.* In tantùm aliquid est voluntarium indirectè, in quantùm &c. *neg. maj.* &c. Voluntarium indirectè, seu quod habetur per suspensionem actûs non est quid volitum, sed est quid non volitum, quod proindè, ex dictis, haberi potest sine actu voluntatis.

Inst. 2do. Hinc sequeretur, quòd non velle esset voluntarium. Atqui hoc est falsum; non velle enim facit involuntarium. Ergo.

Resp. *Neg. min.* & ejus *prob.* vel *Dist.* Non velle positivè, id est, nolle facit involuntarium, *conc.* Non velle negativè, *neg. min.* Vel iterùm aliter. *Dist.* Non velle facit involuntarium id, quod est contra illud *non velle*, *conc.* Facit involuntarium id, quod est secundùm illud *non velle*, *neg. min.* &c. Æquè enim voluntariè possumus non velle, quàm velle, prout apertè docet S. Thomas q. 71. a. 5. ad 2 ubi ait: *Dicendum, quòd aliquid dicitur voluntarium non solùm, quòd cadit super ipsum actum voluntatis, sed quia in voluntate nostra est, ut fiat, vel non fiat. Undè etiam ipsum non velle potest dici voluntarium, in quantùm in potestate hominis est velle & non velle.*

Inst. 3tio. Quod voluntario contradictoriè opponitur, illud non est voluntarium, sicut quod Albo contradictoriè opponitur, non est Album; aliàs contradictoria verificarentur de eodem; id enim foret voluntariū & non voluntarium, idē quoque esset album & non album. Atqui non velle contradictoriè opponitur voluntario. Ergo &c. *Prob. min.* Non velle contradictoriè opponitur ipsi velle. Sed velle est voluntarium, cùm sit à voluntate cum cognitione. Ergo &c.

Resp. *conc. maj.* & *Dist. min.* Sed non velle independenter à cognitione & voluntate contradictoriè opponitur voluntario, *conc.* Non velle dependenter à cognitione & voluntate contradictoriè opponitur voluntario, *neg. min.* Voluntarium, ex dictis, est, quod dependet à voluntate cum cognitione. Ergo ejus contradictorium seu non voluntarium est id, quod non dependet à voluntate, &c. Hinc ad æquivocationem cavendam notandum est, quòd aliquid possimus non velle dupliciter: uno modo non volumus id, cujus ne quidem cognitionem habemus, seu quod nobis insciis fit aut factum est, & sic est non voluntarium, velut adulterium Davidis, decollatio Joannis, &c. Altero modo non volumus id, quod scienter & voluntariè omittimus, prout in nostro casu contingit; & sic non velle est voluntarium.

Inst. 4to. Velle & non velle sunt contradictoria, etiamsi utrumque à cognitione & voluntate dependeat. Ergo si unum est voluntarium, alterum non erit voluntarium. *Subs.* Atqui velle est voluntarium. Ergo non velle est non voluntarium. *Resp. conc. ant.* & *neg. cons.*

Argumentum 3tium. Voluntatem omittere aliquid liberè, est illud omittere per propriam sui determinationem, 247
sive per electionem; in hac enim determinatione & electione situm est exercitium libertatis. Atqui hæc determinatio & electio est actus. Ergo voluntas nihil potest omittere sine actu.

Resp. *Dist. maj.* Voluntatem omittere aliquid liberè, est illud omittere per propriam sui determinationem vel directam vel indirectam, *conc.* semper directā *neg. maj.* & *Dist. min.* Determinatio directa est actus, *conc.* indirecta, *neg. min.* *Directa* est, quando voluntas se positivè determinat ad aliquid; *Indirecta* verò, quando non se ad

ad unum directè determinando eo ipso se ad ejus omissionem determinat. In ejusmodi autem determinatione, ut per se patet, non est actus.

248 Argumentum 4tum. Si omissio pura actûs sine omni voluntatis actu esset voluntaria, tunc etiam peccatum posset esse absque omni actu voluntatis. Atqui hoc est falsum. Ergo &c. *Prob. min.* Si peccatum posset esse absque omni actu, tunc ille peccaret, qui cessaret ab actu debito & præcepto, v. g. ab auditione Missæ, atque sic, nisi quis semper audiret Missam, semper peccaret. Atqui hoc esset absurdum. Ergo &c.

Resp. S. Thomas hîc q. 71. a. 5. ad 3. his verbis: *Dicendum, quòd peccatum omissionis contrariatur præcepto affirmativo, quod obligat semper, sed non ad semper; & ideò solùm pro tempore illo aliquis cessando ab actu peccat, pro quo præceptum affirmativum obligat.* Undè in forma

Resp. *Neg. min.* ad ejus *prob. Dist. maj.* Si peccatum posset esse absque omni actu, tunc peccaret, qui ab actu præcepto cessaret, quamdiu & in quantùm præceptus est, *conc.* quamdiu & in quantùm non ampliùs est præceptus, *neg. maj. &c.*

249 Argumentum 5tum. Si peccatum potest esse voluntarium absque omni actu, tunc poterit quis peccare nihil agendo. Sed non potest quis peccare nihil agendo. Ergo &c. *Prob. min.* Non potest quis mereri nihil agendo. Ergo nec demereri.

Resp. *Neg. min.* ad ejus *prob. Neg. cons. & parit.* Disparitatem assignat S. Thomas loc. cit. quòd plura requirantur ad bonum, quàm ad malum; nam bonum contingit ex integra causa, malum autem ex quolibet defectu: hinc potest quis peccare sive faciendo quod non debet, sive non faciendo quod debet; sed meritũ non potest esse, nisi quis faciat quod debet, aut quod meritorium est. Undè ad meritum requiritur, ut honestas ipsa objecti intendatur propter se, aliàs enim non est actus virtutis, nec consequenter meritorius, quia virtus ex Aristotele est propter ipsam honestatem; nequit autem honestas objecti intendi propter se, nisi per actum positivum. È contrà ad demeritum non est opus, ut malitia ipsa objecti intendatur; sed sufficit, si tantùm prævideatur, & non impediatur per productionem actûs debiti, &c.

Argumentum 6tum. Si voluntarium posset esse absque omni actu, tunc posset fieri transitus à contradictorio ad contradictorium absque ulla mutatione. Sed hoc est falsum, cùm ipse transitus à contradictorio ad contradictorium sit mutatio ex Philosophicis. Ergo &c. *Prob. maj.* Posset homo per solam omissionem ex non peccatore fieri peccator absque ulla sui mutatione; ut si quis currente præcepto de audienda Missa Sacrum non audiat; sic enim erit peccator per solam omissionem Sacri, qualis tamen per eandem Sacri omissionem ante præcepti obligationem non fuerat. Atqui sic fieret transitus à contradictorio ad contradictorium, nimirùm à non peccatore ad peccatorem absque ulla mutatione; in utroque enim casu homo est non agens. Ergo &c. 250

Confirm. ex communi Philosophorum axiomate: *Idem manens idem, semper facit idem.* Atqui in utroque casu homo manet idem, scilicet omittens seu non agens. Ergo in utroque casu facit idem. *Subs.* Atqui in primo casu non facit peccatum. Ergo nec in secundo; vel si in secundo, ergo & in primo.

Resp. Ad Argumentum *Neg. maj.* ad ejus *prob. Dist. maj.* Posset homo per solam omissionem ex non peccatore fieri peccator absque ulla sui mutatione physica, *conc.* Absque mutatione morali, *neg. maj.* Licèt homo entitativè & physicè non

non mutetur, cùm in genere naturæ idem homo permaneat; attamen per ejusmodi omissionem liberam mutatur moraliter seu in genere moris, in quantùm nempe ex Justo mutatur in peccatorem.

Ad Confirm. eodem modo *Dist. min.* Atqui in utroque casu homo manet idem entitativè & physicè, *conc.* moraliter, *neg. min.*

251 Argumentum 7mum. Exercitium libertatis debet esse vitale, cùm dependeat à potentia vitali. Atqui pura omissio non est vitale libertatis exercitium, nisi fiat cum actu positivo voluntatis. Ergo &c. *Prob. min.* Exercitium libertatis essentialiter est motus ab intrinseco, sed hic motus non salvatur per puram omissionem, nisi hæc fiat cum actu positivo voluntatis. Ergo &c.

Resp. *Dist. min.* Sed pura omissio non est vitale libertatis exercitium directum, nisi fiat cum actu positivo voluntatis, *conc.* Non est vitale libertatis exercitium indirectum, nisi fiat cum actu positivo voluntatis, *neg. min.* Exercitium ergo vitale libertatis positivum & per operationem elicitum non potest esse absque omni actu positivo, benè tamen exercitium suspensivum actûs, & cujus ratio habetur per liberam non operationem. Ad *prob.* ejusdem *min.* pariter *Dist. maj.* Exercitium libertatis essentialiter est motus ab intrinseco vel directus, vel indirectus, *conc.* semper directus, *neg. maj.* Ad hoc, ut quid dicatur moveri ab intrinseco, sufficit, quòd à suo principio, à quo fieri vel non fieri liberè potest, liberè fiat vel non fiat, quod est indirectè moveri ab intrinseco; sicut ad hoc, ut quid dicatur voluntarium juxta S. Thomam sufficit, quòd sit in nostra potestate, ut fiat vel non fiat; nam etiam voluntarium requirit motum ab intrinseco, ut ex ipsa definitione illius constat.

Inst. 1mo. Pura omissio quà talis non indiget motu intrinseco, cùm illa etiam dari possit sine isto. Ergo frustrà dicitur indirectè moveri ab intrinseco.

Resp. *Dist. ant.* Pura omissio quà talis præcisè, cujus nulla omninò habetur advertentia, non indiget motu intrinseco, *conc.* Pura omissio ex advertentia rationis, ex libera electione, & ex indirecta saltem determinatione proveniens, non indiget motu intrinseco, *neg. ant.*

Inst. 2do. Omissio, quæ habetur sine advertentia, & sine electione, non differt nec est diversa ab ea, quæ habetur ex advertentia & electione. Ergo si illa non provenit à motu intrinseco, neque hæc ab eo proveniet.

Resp. *Dist. ant.* Non differt physicè & in ratione omissionis præcisè, *conc.* Non differt moraliter & in ratione omissionis liberæ, *neg. ant.* Per priorem homo semper manet idem; per posteriorem verò potest mutari, & ex Justo fieri peccator; undè apparet diversitas inter utramque.

Argumentum 8vum. Tunc non datur 252
pura omissio libera, quando pura omissio non procedit à potentia libera. Atqui pura omissio non procedit à potentia libera. Ergo &c. *Maj.* patet ex dictis. *Min. prob.* Tunc pura omissio non procedit à potentia libera, quando non datur potentia ad puram omissionem. Atqui non datur potentia ad puram omissionem; nam potentia datur ad actum, non ad omissionem; ad hanc enim nullâ opus est potentiâ. Ergo &c.

Resp. *Neg. min.* Ad ejus *prob. Dist. min.* Atqui non datur potentia ad puram omissionem simpliciter, *conc.* Ad puram omissionem voluntariam, *neg. min.* Ad omissionem ergo simpliciter talem, seu quatenùs præcisè omissio est, non requiritur potentia, cùm illa possit haberi sine

hac: sed ad omissionem voluntariam & liberam requiritur hujusmodi potentia, utpotè sine qua omissio nec voluntaria esset nec. libera. Prætereà in tantùm omissio est libera, in quantùm est à potentia agendi id, quod omittitur: ergo potentia liberè omittendi est simul potentia agendi, adeoque tam actus, quàm omissio ab eadem libera potentia dependet.

253 Argumentum 9num. Sicut se habet potentia cognoscitiva ad intelligere & non intelligere, sic se habet potentia volitiva ad agere & non agere. Atqui potentia cognoscitiva sic se habet ad intelligere & non intelligere, ut primum duntaxat dependeat à potentia cognoscitiva, non autem secundum. Ergo &c.

Resp. *Neg. maj.* & *parit.* Disparitas est, quia potentia cognoscitiva est potentia necessaria; omnis autem potentia necessaria ad unum duntaxat contradictorium terminatur, ut patet in potentia visiva, auditiva, olfactiva, &c. At verò potentia volitiva libera est, quæ proinde in utramlibet contradictionis partem tendere potest; undè tam actio, quàm non actio ab ea dependet.

254 Argumentum 10mum. Nunquam exercetur libertas, nisi quando potentia libera reducitur ad actum. Atqui hoc ipso, quòd potentia reducatur ad actum, libertas non exercetur sine actu. Ergo &c.

Resp. *Dist. maj.* Nunquam exercetur libertas, nisi quando potentia libera reducitur in actum vel faciendum vel omittendum, *conc.* nisi quando præcisè reducitur in actum solummodò faciendum, *neg. maj.* vel aliter Resp. *trans. maj. neg. min.* nam tunc potentia libera dicitur redigi in actum, quando liberè exercet id, cujus est potentia: sed potentia libera non tantùm est potentia ad agendum, sed etiam ad non agendum: ergo potentia libera redigitur in actum non tantùm quando liberè agit, sed etiam quando liberè non agit; & consequenter potest libertas saltem indirectè exerceri, quin aliquis actus positivus à voluntate eliciatur.

Argumentum 11mum. Voluntarium liberum non potest salvari in solo actu primo, cùm actus primus non minùs sit principium involuntarii quàm voluntarii. Ergo ad voluntarium necessariò requiritur actus secundus. *Subs.* Atqui implicat actus secundus voluntatis sine actu voluntatis. Ergo &c. 255

Resp. 1mo. Cùm actus primus nihil aliud sit, quàm pura potentia, ideò actus secundus erit exercitium hujus potentiæ: quoniam ergo ex dictis exercitium voluntarii liberi non solùm in operatione sed etiam in omissione consistit, hinc etiam actus secundus non solùm in operatione, sed etiam in pura omissione salvabitur.

Resp. 2do. in forma. *Dist. cons.* Ergo ad voluntarium necessariò requiritur actus secundus, vel in operatione, vel in omissione consistens, *conc.* tantùm in operatione consistens, *neg. cons.* Sic etiam *Dist. Subs.* Implicat actus secundus positivus & directus sine actu voluntatis, *conc.* Omissionis & indirectus, *neg. subs.*

Argumentum 12mum. Voluntas libera aliter se debet habere in actu secundo, quàm se habuerit in actu primo, cùm ipse actus secundus aliter se habeat, quàm actus primus, cùm ille sit pura potentia, hic verò exercitium potentiæ. Atqui per puram omissionem non aliter se habet in actu secundo, quàm se habuerit in actu primo. Ergo &c. *Prob. min.* Jam erat illa omissio in actu primo, quæ est in actu secundo, neque hæc diversa est ab illo. Ergo per puram omissionem non aliter se habet in actu secundo, quàm se habuerit in actu primo; adeoque debet aliquid positivum assignari, ratio- 256

ne

ne cujus voluntas dicatur se aliter habere, & exercere suam causalitatem.

Resp. *Neg. min.* Ad ejus *prob. Neg. ant.* Nam omissio in actu primo nec voluntaria nec libera fuit, qualis tamen est in actu secundo; undè hæc ab illa est moraliter diversa.

257 Argumentum 13tium. Omne voluntarium vel est actuale, vel virtuale. Atqui neutrum potest esse absque actu voluntatis; nam actuale per se includit actum voluntatis, & virtuale fundatur in actuali. Ergo &c.

Resp. *Neg. min.* ad ejus prob. Resp. Voluntarium actuale directum & in operatione consistens per se includere actum voluntatis, non verò voluntarium actuale indirectum, quod per solam omissionem habetur.

258 Argumentum 14tum. Pura omissio actûs præcepti vel est peccatum, vel non est peccatum: si non est peccatum, tunc non est solo defectu voluntarii; nam voluntaria omissio actûs præcepti est peccatum. Si autè est peccatum, vel est originale, vel actuale, istud enim dicitur ab actu. Ergo pura omissio actûs præcepti semper erit cum actu.

Resp. Talem omissionem esse peccaminosam, & reduci ad peccatum actuale. Rationem contrariam *Dist.* Peccatum actuale dicitur ab actu vel facto, vel omisso, *conc.* dicitur semper ab actu facto, *neg.*

§. III.

259 *Verior sententia eligitur.*

PRimæ sententiæ subscribimus, quia magis est de mente S. Thomæ. Ambo enim ejus testimonia Argumentô 1mô. relata ita sunt efficacia, ut vis eorum per subnexam responsionem neutiquam infirmetur. Nam

Contra eam est; quia S. Thomas, postquam in 2. sent. dist. 35. q. 1. a. 3. retulisset sententiam aliquorum dicentium, quòd in peccato omissionis semper oporteat aliquem actum esse, sic ait: *Hæc opinio non videtur necessitatem habere, cùm enim voluntas libera sit, nec ad aliquid faciendum vel non faciendum determinetur, potest hoc modò prætermittere aliquid, quod ejus contrarium non velit, nec de ejus contrario cogitet, nec etiam de aliquo alio, quod sit per se impedimentum ejus, quod facere tenetur.* Vult ergo S. Thomas, quòd non sit necesse ad hoc, ut omissio sit voluntaria, ut ponatur aliquis actus etiam solùm per modum causæ & occasionis; atque adeò non subsistit Responsio.

Prætereà in 2. ad Annibald. dist. 35. q. unic. a. 2. ad 2. sic ait: *Omissio non de necessitate voluntaria dicitur propter voluntatis actum; sed propter hoc, quod in voluntatis potestate consistit.* Atqui juxta Adversarios tantùm esset voluntaria propter quemdam voluntatis actum, scilicet propter actum, qui se habeat per modum causæ & occasionis omittendi. Ergo &c.

Contra Responsionem ad Argumentum 2dum. est 1mo. Quia voluntas non solùm libera est libertate contradictionis in actibus externis, sed etiam internis, ut docet S. Thomas suprà laudatus. Ergo ita poterit omittere actum amoris, ut nullum exerceat actum nolitionis; alioquin si necesse sit actum hujusmodi internum elicere, hoc ipso non erit libera libertate contradictionis in suis actibus internis. 260

Contrà est 2do. Voluntas humana est libera per ordinem ad quemlibet actum humanum; consequenter potest in oppositum contradictorium cujuslibet actus humani ferri. Atqui oppositum contradictorium cujuslibet actus humani est pura omissio. Ergo voluntas, quatenùs est libera libertate contradictionis, potest in puram omissionem ferri.

261 Contra Responsionem ad Argumentum 3tium. est, quia ex mente S. Thomæ, præsertim cit. q. 71. a. 5. omissio taliter est voluntaria & libera ratione sui, quòd actus voluntatis per accidens se habeat ad illam. *Cùm*, inquit, *per accidens, & præter intentionem ex causa vel occasionis circumstantia peccatum omissionis sequi contingat, judicium autem de rebus secundùm illud, quod est per accidens ferri non debeat; veriùs dici potest aliquod peccatum absque omni actu esse posse; alioquin enim ad essentiam aliorum peccatorum actualium pertinerent actus & occasiones circumstantes.* Atqui si actus voluntatis esset quid connotatum & prærequisitum per se ac essentiale ad omissionem voluntariam, tunc non posset dici per accidens se habere ad illam, sicut nemo dicit, quòd intentio se habeat per accidens in ordine ad electionem vel principium ad actum vitalem, &c. Deindè si actus voluntatis est quid connotatum & prærequisitum per se ac essentiale ad omissionem voluntariam, & tantùm per accidens se habet ad illam, tunc malè diceret S. Thomas, quòd omissio voluntaria possit esse absque omni actu, sed potiùs oppositum dici deberet. Praætereà datò, quòd omissio voluntaria esse nequeat sine actu, qui ei conjungatur per accidens, tunc hoc ipso rectè infertur veriorem esse sententiam nostram, necnon ad mentem & doctrinam S. Thomæ magis conformem: Nam Adversarii dicunt, quòd repugnet dari voluntarium sine actu, seu dari puram omissionem; quia in omissione voluntaria semper intervenit causa vel occasio omittendi; è contrà S. Thomas docet, quòd, licèt *ex causa vel occasionis circumstantia peccatum omissionis sequi contingat .... nihilominùs veriùs dici potest aliquod peccatum absque omni actu esse posse.* Ergo &c.

262 Contra Responsionem ad Argumentum 4tum. est, quia ex nulla parte hæc apparet implicantia: nam ea vel esset ex parte objecti, vel ex natura ipsa voluntatis, quæ absque actu esse nequit: non ex parte objecti; quia nullum objectum in particulari necessitat voluntatem ad exercitium actûs, nisi solus Deus clarè visus: non ex natura ipsa voluntatis; quia voluntas non minùs est libera ad non operandum, quàm ad operandum; ergo, quantùm est ex natura ipsius voluntatis, poterit ipsa ab omni actu cessare. Præthereà si voluntas necessitaretur ab intrinseco seu ex propria natura, tunc hoc ipso necessitaretur ab Auctore naturæ. Atqui Deus non necessitat voluntatem ad causam vel occasionem peccandi. Ergo &c.

Denique contra Responsionem ad ultimum Argumentum est; quia, quamvis voluntas simul occupetur in aliquo actu, quando omittit actum præceptum v. g. dilectionis, fieri tamen potest, quòd ille actus omninò sit disparatus, & cum actu præcepto nullam habeat incompossibilitatem; quo casu solùm materialiter se habet ad omissionem, atque illius causa aut occasio esse nequit. Sic in casu, quo Sacerdos v. g. videns aliquos submergi, ipsos absolvere negligit, aspectus submersionis eorum non est causa vel occasio omissionis, cùm utraque sit compossibilis cum actu opposito. Ergo saltem in tali casu omissio voluntaria & peccaminosa egreditur à voluntate sine aliquo actu, ratione cujus dici possit voluntaria; consequenter erit pura omissio. 263

Neque dicas, in hoc casu non deesse aliquem actum internum voluntatis, amorem scilicet boni proprii, ratione cujus voluntas omittit actum præceptum; quia voluntas in suo libero exercitio egredi potest limites sui objecti, quod est bonum.

Nam contrà est; quia hoc quidem probat, quòd Sacerdos hujusmodi omissio-

sionem apprehendere debeat ut bonam, & per eam transferri à statu indifferentiæ ad exercitium omissionis, quod fieri potest absque eo, quòd aliquem actum positivè eliciat; ad hoc enim plus non requiritur, quàm ut in tali homine dominetur philautia per modum habitus (*t*).

264 EXERCITATIO DECIMAQUINTA.

De Auctoritate Ecclesiæ in definiendis quæstionibus Facti, an videlicet fallibilis sit vel infallibilis.

Ad Cap. 3. §. 2. n. 232. Tractatûs 3. Tomi 1. Theologiæ Universalis

IN hac exercitatione utilem ac Theologiæ Candidato necessariam exhibemus ideam, quid nempè circa definitiones aut Constitutiones Ecclesiæ in quæstionibus Facti sive à Conciliis Oecumenicis, sive à Romano Pontifice emanatas sentiant Doctores.

§. I.

265 *Quædam pro majore eorum omnium, quæ circa hanc quæstionem proponi solent, intelligentiâ præmittuntur.*

SCiendum est 1mo. quæstiones, quas Ecclesia suô judiciô definire potest, duplicis esse generis, nempe *Juris* & *Facti*. Quæstiones Juris apud Theologos dicuntur eæ, in quibus attenditur præcisè ad veritatem aut falsitatem doctrinæ in materia fidei vel morum sine ullo respectu vel ad Auctorem, qui doctrinam illam tradidit, vel ad librum, undè extracta est; vel sunt eæ, quæ ex solo Jure divino solvi possunt, hoc est, quæ ex Scriptura vel Traditione, in quibus est Jus fidei nostræ, decidi possunt.

Quæstiones verò Facti dicuntur illæ, quæ ex Jure divino, seu quæ ex Scriptura, vel ex Traditione solvi non possunt. Sic si v. g. quæratur, *an Christus sit creatura*, est quæstio juris, quia ex Jure divino, hoc est, ex Scriptura & Traditione resolvi potest: si verò quæratur, *An Arius dixerit Christum esse creaturam*, est quæstio Facti, quia ex Jure divino seu ex Scriptura & Traditione solvi nequit.

Hîc nobis sermo non est de quæstionibus Juris: supponimus enim contra Hæreticos, Ecclesiam, cùm sit *columna & fir-*

(*t*) Hic addere placet ea, quæ de hac controversia in Theologia nostra cit. c. 1. §. 2. n. 55. Tract. 1. Tom. 3. attexuimus in hæc verba: *Huc etiam pertinet jejuna & sterilis illa quæstio, quam movent aliqui; an videlicet possit dari omissio pura, quæ tamen libera sit? Sed philosophica hæc quæstio tempus nostrum absumere non debet. Satis est Theologo circa eam scire, quòd ex hypothesi, quòd detur talis pura omissio libera respectu alicujus actus, qui rationem habet præcepti, ipsa verum peccatum sit: quia est virtuale & interpretativum libertatis exercitium, adeoque interpretativè voluntaria. Nam si positis omnibus ad agendum requisitis voluntas abstinet ab omni actu, tunc liberè non vult, liberè non agit, ac perindè se habet ac si positivè nollet, & positivè vellet non agere, &c. ideoque peccat,*

firmamentum veritatis, 1. Tim. 3. fitque *supra petram* solidiſſimam fundata, Matth. 16. *adversùs quam portæ inferi non prævalebunt.* in hujusmodi quæſtionum deciſionibus errare non poſſe. Undè tota difficultas inter Catholicos Doctores verſatur circa quæſtionem Facti.

266 Sciendum eſt 2do. Quæſtiones Facti duplicis eſſe generis; aliæ enim ſunt Facti perſonalis, in quibus tantùm agitur de perſonis ſine ullo ad doctrinam in materia Religionis reſpectu; ut ſi quis e. g. in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutus crimen commiſerit, propter quod deponi debeat, &c. Aliæ ſunt quæſtiones Facti dogmatici, in quibus agitur vel de auctoritate alicujus doctrinæ in materia Religionis; vel de libro, in quo doctrina illa continetur; vel de ſenſu proprio propoſitionis, quæ ex libro deſumitur, &c.

Dicuntur autem Dogmatica, non quaſi ſint aliquid revelatum à Deo, ſaltem immediatè, ſed quòd connexionem habeant cum dogmate ſeu cum doctrina ad fidem aut ad mores pertinente.

Porrò quæſtio in præſentia rerùm non verſatur circa facta merè perſonalia; ſeu de factis puris & particularibus, ut aliqui vocant: conſtat enim Eccleſiam in ejusmodi factis non eſſe infallibilem; quia nimirùm de illis judicat tanquam Societas humana, nititurque in talibus judiciis teſtimonio hominum errori obnoxiorum; & ſi interdum in iis ferendis erret, hujusmodi error ei nequaquam nocere poteſt. Undè præſens controverſia tota eſt circa facta dogmatica; atque hîc indagatur duntaxat, an Eccleſiæ Judicium in quæſtionibus Facti dogmatici ſit infallibile.

267 Sciendum eſt 3tio. Facta dogmatica rectè dividi poſſe in duas ſpecies. Primæ ſpeciei ſunt, quæ cum Jure ſeu Fide ita neceſſariò connexa ſunt, ut ex horum negatione ſequatur negatio Juris ſeu Fidei. Hujusmodi ſunt Canonicitas Scripturæ, item Oecumenicitas Concilii: hinc ſi quis quærat, an Scriptura nobis per Eccleſiam propoſita ſit Canonica, hæc quæſtio eſt quæſtio Facti cum Jure neceſſariò connexi; quia, eo Facto negato, ſequitur negatio Juris; negatô enim, quòd hæc Scriptura ſit Canonica, ſequitur negatio Juris ſeu Fidei in hac Scriptura contentæ. Sic pariter, ſi quis quærat, an hoc Concilium, v. g. Nicænum, ſit Oecumenicum, eſt quæſtio Facti cum Jure ſeu Fide neceſſariò connexi; quia hoc factô negatô, hoc eſt, negatô, quòd hoc Concilium, v. g. Nicænum, ſit Oecumenicum, ſequitur negatio Juris, ſeu Fidei nobis per Nicænum Concilium declaratæ.

Circa ejusmodi Facta dogmatica conſtare videtur, Eccleſiam eſſe infallibilem; quoties enim Jus eſt inſeparabile à Facto, quisquis habet infallibilitatem circa Jus, habet etiam infallibilitatem circa Factum. Atqui Jus eſt inſeparabile à factis dogmaticis primæ ſpeciei; neque enim definiri poteſt quæſtio Juris, putà an aliqua propoſitio ſit Catholica vel Hæretica, quin certò conſtet Scripturam vel Traditionem, cui conformis eſt propoſitio, ſi ſit Catholica; & cui eſt difformis, ſi ſit hæretica; eſſe ſacram Scripturam vel Traditionem divinam. Ergo Eccleſia, quæ habet infallibilitatem circa Jus, habet etiam infallibilitatem circa Facta dogmatica primæ ſpeciei.

Facta dogmatica ſecundæ ſpeciei ſunt ea, quæ quidem cum Jure ſeu Fide neceſſariam connexionem non habent, cùm ab ea poſſint abſolutè ſeparari; negatô enim v. g. quòd ſenſus alicujus propoſitionis proprius ſit ſenſus à Janſenio intentus, nondùm ſequitur Fidei negatio: per ſe tamen proximè conjuncta ſunt non ſolùm cum quæſtione Juris Grammatici ſimul & Theologici de germano ſenſu propoſitionum v. g. in illo

li-

libro contentarum; sed etiam cum Jure, quod habet Ecclesia infallibiliter judicandi de germano sensu quarumlibet propositionum ad Fidei mysteria pertinentium, ubicunque reperiatur; atque adeò per accidens, ut ajunt, connexa sunt cum Fide Catholica, quatenùs scilicet Fides Catholica per orthodoxas locutiones antiqua Traditione comprobatas debet exprimi.

268 Sciendum est 4to. Defensores Jansenii non admittere infallibilitatem Ecclesiæ in quæstionibus Facti dogmatici hujus secundæ speciei; & hoc ideò, ut scilicet librum Jansenii ab omni hæreseos nota tutum præstent adversùs Summorum Pontificum Constitutiones, quibus quinque famosæ propositiones declarantur excerptæ ex libro Jansenii, cui nomen *Augustinus*, & damnantur in sensu ab Auctore intento.

Quò autem has Ecclesiæ definitiones eluderent, dixerunt se damnare quinque propositiones, at negarunt iis Jansenii doctrinam contineri; has quidem propositiones jure merito damnatas ut hæreticas, sed nunquam in sensu hæretico à Jansenio prolatas fuisse; adeoque maximè distinguendum esse inter quæstionem Juris & quæstionē Facti: Ecclesiā equidem infallibilem esse in definiendis quæstionibus Juris, ac proinde posse eam infallibiliter definire, an sensus proprius sit orthodoxus vel hæreticus; at non esse infallibilem in quæstionibus Facti, proindeque non posse infallibiliter statuere, quis sit sensus Auctoris alicujus; imò posse ex errore facti falsò tribuere sensum hæreticum libro, qui continet sensum Catholicum, & vicissim; sicque errasse Ecclesiam errore Facti, cùm illas quinque propositiones tribuit libro Jansenii, quem malè intellexit; declarasse quidem eam textum Jansenii hæreticum, sed intellectum in alieno sensu, Calvini scilicet, qui sensus est verè hæreticus non verò in proprio Jansenii sensu, qui Catholicus est ac prorsus idem cum Augustini sensu, quem Ecclesia authenticè approbavit.

Tota igitur quæstio est, utrum Ecclesia sit infallibilis in judicando quisnam sit sensus Auctoris, qui scripsit de materia ad fidem aut mores Ecclesiæ pertinente, seu, quod in idem redit, utrum Ecclesia possit infallibiliter definire sensum proprium in hac propositione v. g. *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.* esse illum ipsum sensum proprium, quem habet illa propositio in libro Jansenii, undè desumta est. Si potest Ecclesia hoc infallibiliter definire, potest infallibiliter definire librum Jansenii continere hæresim, potest etiam definire infallibiter hanc propositionem esse hæreticam in sensu ab Auctore intento.

Sciendum est 5to. Quando dicitur 269
Ecclesia damnare propositionem aliquam in sensu ab Auctore intento, per hoc non significatur, quòd Ecclesia damnet hanc propositionem in sensu, quem Auctor intendit, aut quem in mente habuit; tùm quia Ecclesia non judicat de internis ac secretis hominum cogitationibus; tùm quia hoc est factum personale non pertinens ad fidem aut mores Ecclesiæ. Sed significatur, quòd Ecclesia damnet propositionem illam in sensu, quem Auctor scriptô suô, vel prolata propositione expressit, quodque idcirco intendere meritò præsumitur. His ita præmissis ac prænotatis sit

§. II.

Proponuntur Argumenta eorum Doctorum, qui tuentur Ecclesiam esse infallibilem in interpretatione brevioris aut longioris textus Dogmatici. 270

Ecclesia secundùm hos Doctores non potest errare, sive pronuntiet aliquam

quam doctrinam esse Catholicam vel Hæreticam, sive illam doctrinam in libro Auctoris cujusdam contineri statuat. Seu, quod idem est, Ecclesia est infallibilis, sive interpretetur librum, qui dicitur *textus longior*, sive interpretetur sensum propositionis alicujus, quæ dicitur *textus brevior*.

271 Argumentum 1mum. ab auctoritate S. Scripturæ desumtum. Matth. ult. dicitur: *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, &c. docentes eos servare omnia quæcunque mandavi vobis.* Et, *Ecce ego vobiscum sum usque ad consumationem sæculi.* Item Joan. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum Spiritum veritatis.* His textibus Ecclesiæ promittitur infallibilitas, cùm docet Fideles in rebus ad fidem pertinentibus. Undè sic conficitur Argumentum:

Ecclesia est infallibilis cùm docet Fideles de rebus ad Fidem pertinentibus. Atqui proponendo Fidelibus textum aliquem dogmaticum longiorem aut breviorem ut orthodoxum, vel ut heterodoxum, docet illos de aliqua re ad Fidem pertinente; textus enim dogmaticus est ille, quo dogma aliquod vel verum vel falsum exprimitur. Undè Ecclesia, proponendo Fidelibus textum dogmaticum ut orthodoxum, vel ut heterodoxum, proponit illis aliquod dogma ut verum aut ut falsum, quod est docere illos de re ad fidem pertinente. Ergo Ecclesia infallibilis est, cùm proponit Fidelibus textum aliquem dogmaticum ut orthodoxum vel ut heterodoxum. Ergo infallibilis est in interpretatione textuum dogmaticorum.

Et fanè si Ecclesia non esset infallibilis in interpretatione hujusmodi textuum, fieri posset, ut approbaret textum heterodoxum, & reprobaret orthodoxum. Atqui si approbaret textum heterodoxum, vel reprobaret orthodoxum, tunc malè doceret; quid enim est malè docere, nisi affirmare errorem revelationi divinæ contrarium, vel negare veritatem revelatam; sed approbare textum heterodoxum est affirmare errorem revelationi divinæ contrarium, & reprobare textum orthodoxum est negare veritatem revelatam, Ergo &c.

Resp. Jansenii defensores. Ecclesiam esse infallibilem in interpretatione textuum breviorum, qualis est propositio quædam extracta ex aliquo libro, non verò in interpretatione textuum longiorum, qualis est liber, ex quo propositio illa est extracta. Infallibilis enim assistentia Spiritus sancti Papæ & Ecclesiæ solùm à Christo promissa est in definiendis necessariis ad salutem Fidelium, cujusmodi non sunt definitiones Factorum particularium. Undè absurdum non est, inquiunt, dicere, quòd Ecclesia extra ea, quæ ad salutem sunt necessaria, ut v. g. in dijudicando germano sensu alicujus libri ab Auctore intento, malè quandoque doceat, id est, præposteram ferat sententiam; quia Fidelibus indè nullum evenit detrimentum; sive enim v. g. Jansenius docuerit, quòd *interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistatur*, sive non, parùm refert, nec enim propterea Fidelium Fides ullatenùs minuitur, dummodò cum Ecclesia prædictam damnent propositionem, quamvis ignorent, an à Jansenio prolata fuerit necne.

Argumentum 2dum. petitur ab auctoritate Ecclesiæ. Ecclesia enim hactenùs infallibilitatem sibi vindicavit, & constanter exercuit circa damnationem & approbationem textuum etiam longiorum. 272
Ergo verè habet infallibilitatem circa ejusmodi textus vel approbandos vel reprobandos. *Cons.* certa est; nam si Ecclesia falsò crederet hanc infallibilitatem sibi competere, gravissimè erraret

in

in rebus ad Fidem pertinentibus, cùm multa Fidelibus firmissimè credenda proponeret, quæ essent errori obnoxia. *Prob.* itaque *ant.* variis factis:

1mo. In Concilio Ephesino Act. 1. post lectum Symbolum Nicænum, lecta est Epistola Cyrilli ad Nestorium benè longa; omnes ad unum Episcopi, quisque nominatim suo ordine, Epistolam Cyrilli Symbolo Nicæno quoad omnia consentientem esse declarant. Post legitur Epistola Nestorii ad Cyrillum etiam benè longa; Patres Concilii eam ab orthodoxa Fide declarant alienam, omnesque simul exclamant: *Quicunque Nestorium non anathematizat, anathema sit, hunc recta Fides anathematizat.* Ergo exigebat Ecclesia, ut subscriberetur non tantùm condemnationi errorum sed etiam librorum.

2do. In Concilio Chalcedonensi judicatum est de Synodo habita Constantinopoli à Flaviano, de textibus Pseudo-synodi Ephesinæ, de Epistolis S. Cyrilli ad Nestorium & Joannem Antiochenum, de Epistola S. Leonis Papæ ad Flavianum, cui Concilium jussit subscribi tanquam regulæ Fidei. Adde, quòd Theodoretus post damnatam Nestorii hæresim, Act. 8. licèt anathema diceret cuilibet hæretico generatim, ipse tamē Hæreticus Nestorianusque dictus sit, donec apertè anathema diceret Nestorio ipsi. Ergo Ecclesia tunc censebat se posse damnare librum & Auctores, hoc ipso, quòd doctrinam Scripturæ & Traditioni repugnantem inducerent.

3to. In Concilio Oecumenico V. Can. 11. sic loquuntur Patres: *Si quis non anathematizat Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarem, Nestorium, Eutichetem, Origenem, cum impiis eorum conscriptis, & alios omnes Hæreticos, qui condemnati & anathematizati sunt à Sancta Catholica & Apostolica Ecclesia, & à prædictis quatuor Conciliis .... talis anathema sit.* Et in causa trium Capitulorum sic pronuntiant: *Si quis defendit impium Theodorum, & impia ejus conscripta .... & non anathematizat eum & impia ejus conscripta, & omnes, qui suscipiunt vel defendunt eum, & dicunt eum orthodoxè exposuisse, & qui scripserunt pro eo, vel impiis ejus conscriptis .... talis anathema sit.* Idem definiunt de Scriptis Theodoreti adversùs anathematismos Cyrilli, & de Epistola Ibæ ad Marim Persam. Hîc autem diligenter observandum est, hanc Synodum procul dubio Oecumenicam, & ut talem habitam ab universa Ecclesia non convenisse ad novam aliquam hæresim damnandam, sed ad examinandos tres textus (nempe scriptiones Theodori, Theodoreti, & Ibæ) qui tria Capitula nuncupati fuerunt, tresque illos textus damnasse, & eos, qui prædictos textus defenderent, anathemati subjecisse, idque, ut ipsa Synodus testatur, in virtute promissionum Ecclesiæ factarum. Ergo Ecclesia infallibilem se credit in damnandis textibus longioribus, iisque, qui hujusmodi textus defenderent; alioquin non posset obligare Fideles sub pœna æternæ damnationis, ut acquiescant judicio suo fallibili, ac proindè quod possit esse falsum & erroneum.

4to. Concilium Lateranense sub Martino I. Can. 18. sic loquitur: *Si quis non respuit & anathematizat animò & ore omnes, quos respuit & anathematizat nefandissimos Hæreticos cum omnibus eorum Scriptis usque ad unum apicem Sancta Dei Ecclesia Catholica & Apostolica .... talis condemnatus sit.* Item Concilium Constantiense tantæ apud Jansenii defensores auctoritatis præcipit interrogari quemque Catholicum, *utrum credat, teneat, & asserat Joannem Wicleff de Anglia, Joannem Hus de Bohemia, & Hieronymum de Praga, esse Hæreticos.*

cos. Quomodò autem cujusque Catholici assensum firmissimum & interiorem Ecclesia potest exigere circa hujusmodi Facta dogmatica, si in iis decidendis arbitretur se esse fallibilem & errori obnoxiam.

5to. Norunt omnes, annô circiter 400mô. ab Anastasio Papa damnatos esse errores Origenis unà cum impiis ipsius libris, licèt in sensu Catholico accipi eos posse quidam illius defensores contenderent. Sic enim de Didymo, qui certè de Trinitate Catholicè sentiebat, testatur S. Hieronymus Apol. 2. cont. Ruffin. quòd scilicet assereret Origenis sapientiam à multis simplicibus non rectè intelligi. *Non inficiatur ab Origene scripta, quæ scripta sunt, sed nos simplices homines*, inquit Hieronymus, *non posse intelligere, quæ dicuntur; & quo sensu in bonam partem accipi debeant, persuadere conatur.*

6to. Damnatô in Ephesina Synodo Nestoriô unà cum impia doctrina sua Joannes Antiochenus cum nonnullis aliis Episcopis, qui Nestorio favere visi sunt (non quòd communicarent ipsius erroribus, sed potissimùm, quia Nestorius ita hæresim suam dissimulabat, ut eum re ipsa innoxium, aut saltem sensuCatholico, quidquid in ipsius doctrina ab Adversariis reprehensum erat, interpretari posse autumarent) non priùs ad communionem Sanctæ Ecclesiæ recepti sunt, quàm absolutè Nestorium unà cum impiis ejus deChristo sermonibus & scriptis damnassent. Ex quibus clarè dignoscitur infallibilitas Ecclesiæ etiam circa textus longiores &c.

Resp. AA. Ad Argumentum cum distinctione. Ecclesia hactenùs sibi vindicavit infallibilitatem supernaturalem, *neg.* Moralem, *subdist.* in iis factis, quæ erant certa vel per evidentiam aut notorietatem, vel quæ per Argumenta moraliter infallibilia probari poterant, *conc.* in iis, quæ erant ambigua & obscura, & ideò controversa; quia argumentis moraliter infallibilibus non probabantur, *neg.* quia in iis Factis non semper est assecuta veritatem, prout ex Factis §. sequenti recensendis innotescet.

Ope autem hujus distinctionis facilè ac summatim allata Facta explicari ac resolvi posse ajunt, dicendo nimirùm, quòd errores, quos Ecclesia illis Hæreticis tribuit, & propter quos ipsorum libros & personas damnavit, certi fuerint certitudine notorietatis & quasievidentiæ; prout constat de erroribus Origenis, Arii, Nestorii, &c. item Wicleffi, Joannis Huss, & Hieronymi de Praga. Præterea quod attinet ad Synodum V. Resp. ex ea nihil evinci, cùm illam S. Columbanus, S. Secundinus, S. Isidorus, imò Episcopi ferè omnes Africæ, Istriæ, Galliæ, Hispaniæ, &c. deceptam crediderint; eò quòd tria Capitula damnaverit, quæ tamen à Concilio Chalcedonensi approbata fuêre. At hac de re infrà.

Inst. Summi Pontifices in suis Decretis ab universa Ecclesia receptis exigunt, ut Fideles acquiescant Judicio, quo declarârunt quinque propositiones ex libro Jansenii excerptas damnatas esse ut hæreticas, & in sensu ab Auctore intento: nam Alexander VII. in sua secunda Constitutione filios iniquitatis vocat eos, qui prædictas propositiones vel in libro Jansenii non reperiri, vel non in sensu ab eodem intento damnatas fuisse asserere cum magno Fidelium scandalo non reformidant. Posteà idem Pontifex formulam edidit, cujus subscriptione præscripta exigebat, ut Fideles cum juramento adhærerent Judicio, quo declaravit quinque propositiones ex Cornelii Jansenii libro excerptas, & in sensu ab eodem Auctore intento damnatas fuisse. 2do. Clemens XI. in Bulla, quæ incipit: *Vi-*

ne-

neam Domini Sabaoth, datâ an. 1705. die 15. Julii, definit, obedientiæ, quæ Apostolicis Constitutionibus debetur, obsequiosô silentiô minimè satisfieri, sed damnatum in quinque prædictis propositionibus Janseniani libri sensum, quem illarum verba præseferunt, ab omnibus Christi Fidelibus, ut hæreticum non ore solùm, sed & animô rejici ac damnari debere, nec alia mente, animô, aut credulitate supradictæ formulæ subscribi licitè posse.

Ex his sic Argumentum conficitur: Ecclesia non potest exigere à Fidelibus assensum interiorem firmissimum circa Factum dogmaticum, quin sibi circa illud tribuat & exerceat auctoritatem infallibilem. Atqui Ecclesia exigit ejusmodi assensum circa textum Jansenii longiorem. Ergo sibi tribuit & exercet circa illum textum Auctoritatem infallibilem.

Resp. Quòd Ecclesia, licèt ei denegetur infallibilitas in damnando germano sensu alicujus libri, nihilominùs meritò damnare possit & debeat eos sensus, quos perniciosos autumat, imò & obligare Fideles, ut & ipsi eosdem damnent: vigilantis enim Pastoris est à sibi creditis ovibus amovere non solùm id, quod verè malum est, sed etiam quod mali speciem præsefert; & huic solerti vigilantiæ tenentur subditi ex præcepto obedientiæ se subdere. Si tamen animô retineant ac existiment, non fuisse sensum germanum ab Auctore expressum, quem illi Ecclesia tribuit, non videntur esse digni reprehensione, cùm Ecclesia præcipere actus merè internos non possit, & aliundè, sequenti §. fusè probabitur, Ecclesiam tantùm esse infallibilem circa Facta dogmatica, quæ sunt revelata; non autem circa ea, quæ non sunt revelata, quale est Factum, quòd Sæculô præteritô circa Jansenium ejusque librum contigit.

Inst. 1mo. Authenticitas Vulgatæ v. g. quæ est mera versio sæpiùs descripta, Oecumenicitas Conciliorum, Authenticitas Symbolorum, Canonum, Decretorum, &c. quibus Traditio continetur, non sunt Facta immediatè revelata, & tamen in iis Ecclesia est infallibilis; alioqui nullo certo, firmoque fundamento niteretur fides nostra. Ergo &c.

2do. Quia ope illius Responsionis possent Hæretici quicunque eludere vim definitionum Ecclesiæ.

3tio. Quia hîc agitur de infallibilitate in interpretandis textibus, quæ sanè infallibilitas non est Factum novum, quod primùm Sæculô præteritô contigit; sed est veritas contenta in revelatione: nam Christus ait universitati Pastorum, *Docete omnes gentes*, hoc est, Fidei depositum servate admittentes formam sanorum verborum, & rejicientes profanas vocum novitates, *Ecce ego vobiscum sum usque ad consumationem sæculi.* Promissio procul dubio est veritas revelata, continet autem ejusmodi promissio infallibilitatem Ecclesiæ ad discernendos textus, qui servant formam sanam ab iis, qui continent profanas vocum novitates. Ergo infallibilitas Ecclesiæ in discernendis ejusmodi textibus est veritas revelata.

Resp. AA. Ad 1mum. Ecclesiam in iis infallibilem esse infallibilitate ac certitudine morali fundatâ in eorum notorietate, vel unanimi consensu totius Ecclesiæ plurimorum Sæculorum, non autem infallibilitate supernaturali; hanc enim necessariam non esse ad excludendum omne morale dubium saltem circa Conciliorum Oecumenicitatem indè probat Bellarminus tom. 3. l. 2. c. 9. quia ad hoc sufficit humana certitudo, in Facti notorietate fundata, prout eadem sufficit ad certum judicium, quòd v. g. Opera S. Athanasii, S. Augustini, &c. verè ip-

 so-

forum fint. Fatendum igitur Ecclefiam certò definire poffe Facta quædam non revelata certitudine omne rationabile dubium excludente fundatâ in eorum notorietate; etfi non certitudine fundata in promiffa fibi à Chrifto infallibili affiftentia Spiritus fancti.

Sed neque in ea Concilium Trid. fundavit fuam de authenticitate Vulgatæ definitionem, ipfiusque cum textu originali in rebus fubftantialibus & momentofis conformitatem, fed in unanimi SS. Patrum omniumque Ecclefiæ Latinæ Theologorum confenfu. Quod verò attinet ad Symbolum, Canones, Decreta, &c Dicendum, quòd eorum infallibilitas fundata fit in teftimonio ac unanimi confenfu totius Ecclefiæ plurimorum Sæculorum.

Refp. Ad 2dum. Fermè eodem modo: nam errores, quos Ecclefia tribuit Hæreticis, putà Luthero, Calvino, Zwinglio, &c. & propter quos ipforum libros ac perfonas damnavit, certi funt certitudine notorietatis & quafi evidentiæ, tantæ quidem, ut dogmata, quæ ipfis Ecclefia tribuit, ipfimet Hærefiarchæ illi pro fuis agnofcant; quod ipforum fectatores ultò fatentur.

Refp. Ad 3tium. Jam fuprà fe oftendiffe, quòd Ecclefia fervare poffit Fidei depofitum, ac proindè profanas vocum novitates devitare abfque eo, quòd fit infallibilis in dignofcendo proprio ac germano fenfu ab Auctore intento. Textus autem ex S. Scriptura adducti intelligi debent de definitionibus ac judiciis eorum, quæ funt neceffaria ad falutem, qualis non eft interpretatio textuum longiorum.

273 Argumentum 3tium. fubminiftrant ipfi Janfeniftæ. Nam Ecclefia eft infallibilis in approbandis S. Auguftini contra Pelagianos fcriptis, ut ipfimet docent, cùm agnofcant Ecclefiæ Judicium, quo approbavit Scripta S. Auguftini circa gratiam effe infallibile & irrevocabile. Ergo etiam Ecclefia eft infallibilis in profcribenda Janfenii doctrina. *Prob. conf.* Ecclefia non poteft effe magis infallibilis in approbandis textibus orthodoxis, quàm in reprobandis textibus hæreticis, tùm quia non legitur promiffa Ecclefiæ infallibilitas ad approbandos textus orthodoxos, quæ non extendatur ad profcribendos textus hæreticos. Tùm quia textus hæretici non funt minùs perniciofi ad corrumpendam Fidem, quàm textus orthodoxi falutares ad eam fervandam.

Refp. Ecclefiam potuiffe infallibiliter interpretari fenfum Auguftini, quia his temporibus nemo de vero fenfu ejus librorum dubitabat; fecùs verò de germano libri Janfenii fenfu, de quo nunc multi dubitant.

Equidem plura alia hìc afferre poffemus momenta, quibus Ecclefiæ infallibilitas in definiendis Facti dogmatici quæftionibus probari folet; verùm confultius arbitrati fumus ea §. 4. in medium proferre; ubi fcilicet hanc Ecclefiæ infallibilitatem magis ftabilire adlaborabimus. Præftat igitur modò oppofitæ fententiæ Argumenta expendere.

§. III.

Proponuntur Argumenta eorum, qui contrariam tuentur fententiam, feu qui cenfent Ecclefiam in decidendis Facti dogmatici quæftionibus non effe infallibilem. 274

ARgumentum 1mum. defumitur ex variis Hiftoriæ Ecclefiafticæ Factis.

1mum. Factum. Origenes damnatus eft in Synodo Oecumenica V. Act. 8. Atqui Origenes plurimos poftea defenfores habuit. Ergo omnibus Catholicis perfua-

suasum non est Ecclesiam esse infallibilem in definiendis Factis dogmaticis; alioquin damnatum ab Ecclesia hominem non defenderent.

Resp. *Dist. min.* Multos defensores habuit, qui cum illæsa Ecclesiæ auctoritate eum defendi posse crederent, *conc.* Qui sic defenderent, ut vellent etiam in eo damnando Ecclesiam errasse, *neg. min.* &c. Igitur si quis ita Origenem defenderet, ut vellet doctrinam, quam expressit, esse omninò Catholicam, & Ecclesiam errasse, cùm impiam ejus doctrinam esse judicavit, præsertim de pœnarum inferni finita duratione, & de animarum præexistentia, talis defensio rejicienda esset ut Ecclesiæ auctoritati apertè contraria. Qui autem Origenem defenderent; vel quòd ejus Scripta ab aliquo hæretico adulterata sint; vel quòd Anathematismus Concilii falsatus sit intruso nomine Origenis locô Dioscori, qui naturaliter jungi debebat cum Eutychete; vel quòd Origenes incautè & imprudenter locutiones minùs orthodoxas adhibuisset, quamvis eum aliud ab eo, quod expressit, in mente habuisse ex aliis locis verisimiliter conjiciatur. Qui, inquam, sic Origenem defenderent, ut multi Catholici fecère, non videntur Ecclesiæ auctoritati repugnare aut adversari, quamquàm ab ejusmodi librorum Ecclesiæ Decretô damnatorum defensione satiùs sit omninò abstinere, ne fortè detur occasio Hæreticis libros ab Ecclesia damnatos à censura vindicandi, iisque via aperiatur errores suos disseminandi. Si tamen quidam aliter censuerunt, ut fortè Didymus, &c. existimantes Origenem ab erroribus immunem esse, non sunt tantæ auctoritatis, ut infallibilitati Ecclesiæ quidquam derogare possint.

2dum. Factum. Marcellus Ancyranus à Julio Papa, & à Concilio Sardicensi tanquam Orthodoxus habitus est, & tamen à multis Patribus præsertim à S. Basilio habetur ut hæreticus; hic enim S. Doctor Julium & Concilium reprehendit, quòd Marcelli textibus se decipi permiserint, testaturque se habere autographum, quo demonstrari possit error Marcelli. Ergo &c.

Resp. *Neg. cons.* Nam Julius I. & 300. Episcopi, qui Concilio Sardicensi interfuerunt, quique causam Marcelli diligentiùs expenderunt, necnon ejus librum legerunt, atque ipsius professionem Fidei, & doctrinæ expositionem audierunt & acceptarunt Athanasii, Epiphanii, & Hilarii suffragia, S. Basilii testimonio præferri debent. Adde, quòd non constet, utrùm liber, quem S. Basilius testatur se habere in manibus, sit ille ipse, qui à Julio Papa & Concilio Sardicensi approbatus est.

Nec obstat, quòd à quibusdam aliis Patribus dicatur, Marcellum parùm sanæ Fidei compertum, ab Athanasio & ab ejus communione suspensum; nam testatur Hilarius in fragmentis, quòd Athanasius Marcellum à sua communione separaverit, ubi quædam alia nova miscere cœpit, & ambiguis prædicationibus ejus, in quam Photinus erupit, doctrinæ viam quærere. Quod certè diu post approbatum à Concilio Sardicensi Marcelli librum contigit.

3tium Factum. In Concilio Ephesino rejecta est vox *Christotôcos*, id est, *Mater Christi*; & tamen nunc in precipus vox ista, *Mater Christi*, adhibetur. Ergo &c.

Resp. Quòd à Concilio Ephesino rejecta sit vox *Christotôcos* in sensu Nestorii, seu cùm usurpatur vox illa sic, ut rejiciatur vox *Theotôcos*, id est, *Mater Dei*. Nunc autem sic dicitur *Mater Christi*, ut simul dicatur *Mater Dei*.

4tum.

4tum. Factum. Has Maxentii & aliorum Scythiæ Monachorum propositiones: *Christus est unus de Trinitate, & unus de Trinitate passus est.* damnavit Felix Papa III. & Hormisdas. At easdem tamen propositiones posteà Joannes II. approbavit, sicut & quinta Synodus Oecumenica. Ergo fieri potest, ut propositiones æquivocæ, quales sunt illæ, aliquando damnentur ab Ecclesia, cùm aliqui in perverso sensu illis abutuntur, & alio tempore ab ea approbentur in diverso sensu.

Resp. *Neg. maj.* Nam neque à Felice III. neque ab Hormisda ullum prodiit decretum, quo propositiones suprà dictæ damnarentur. Eas quidem ut novas & æquivocas improbârunt, sine ullo tamen Decreto. Quando tamen posteà Joannes II. has propositiones Latinis anteà incognitas à multis Ecclesiis contra Nestorianos usurpari, communesque fieri rescivit, ea Ep. 3. ad Senatores approbavit; iisque ut orthodoxis usa est Quinta Synodus. Sed hoc Factô Hormisdæ Judicio non contradicebatur; neque enim has propositiones damnaverat ut hæreticas, aut Scythiæ Monachos dixerat hæreticos, sed has propositiones ut tunc novas & suspectas usurpare vetabat, prædictosque Monachos superbiæ & obstinaciæ arguebat. Nihil autem ex hoc Facto contra infallibilitatem Ecclesiæ concludi posse, quin quod potiùs per illud magis corroboretur, optimè demonstrat Cardinalis Norisius in Apologia Monachorum Scythiæ.

5tum. Factum petitur ex negotio trium Capitulorum. 1mo. Epistola Ibæ Edesseni ad Marim Persam fuit damnata in Synodo V. Oecumenica, cùm tamen approbata priùs fuisset à Concilio Chalcedonensi. 2do. Vigilius Papa damnationi trium Capitulorum primùm vehementer obstitit, posteà tamen judicatum in eorum condemnationem protulit: rursùs ad pristinam suam opinionem rediit suppressô suô judicatô, suamque sententiam de non damnandis tribus Capitulis Constitutô exposuit. 3tio. Theodoreti Scripta adversùs S. Cyrillum in laudata Synodo V. damnata fuerunt, & tamen à gravissimis Theologis, inter quos Petavius & Sirmondus vindicantur ut Orthodoxa. 4to. In trium Capitulorum Controversia non de Fide, sed de quibusdam solummodò personis actitatum fuisse testantur Pelagius Papa II. & Gregorius Magnus: quin imò, ut ait idem Pelagius Papa in celebertima sua ad Istriæ Episcopos Epistola, *Præcipua Synodalium Conciliorum causa est Fides. Quidquid ergo præter Fidem agitur, Leone docente, ostenditur, quia nihil obstat, si ad judicium revocetur.* Quapropter ibidem asserit laudatus Pelagius, *etiamsi Epistola Ibæ in Concilio Chalcedonensi Episcoporum subscriptionibus esset firmata, licentèr tamen unumquemque eam reprehensurum.* Undè manifestum est Judicium Ecclesiæ in hujusmodi quæstionibus Facti errori esse obnoxium.

Resp. In negotio trium Capitulorum nihil reperiri, quod sit contra Ecclesiæ infallibilitatem.

Ad 1mum. igitur Resp. Epistolam Ibæ nunquam fuisse in quarta Synodo Oecumenica, seu Chalcedonensi approbatam simpliciter & absolutè, sed tantùm comparatè ad confessionem orthodoxam, quam Ibas Epistolæ dogmaticæ S. Leonis ad Flavianum, & quia Synodi definitioni consensit, omniaque improbavit, quæ in sua ad Marim Persam Epistola contra S. Cyrillum non rectè scripserat. Adde, quod ex omnibus Patribus in Concilio congregatis, præter tres Summi Pontificis Legatos, duo tantùm, scilicet Maximus Antiochenus & Anatolius Constantinopolitanus, qui de Epistola Ibæ, ut orthodoxâ, loquantur, alii verò nullâ Epistolæ hujus mentionem faciant, vel si quam faciant, testentur absolvi à se Ibam ob prædictam confessionem orthodoxam; prout patet ex ipsis Synodi hujus Actis.

Ad

Ad 2dum. Resp. Vigilium nunquam defendisse tria Capitula in se ipsis simpliciter & absolutè spectata; imò multa Theodori loca in suo Constituto anathematizasse, & quidquid in tribus Capitulis hæresi Nestorianæ faveret, disertis verbis damnavisse; sed tantùm contendisse non esse damnanda simul cum Auctorum nomine, ne scilicet Concilii Chalcedonensis Auctoritas lædi videretur. Igitur circa hanc quæstionem, quæ pertinet ad Fidem, utrum tria Capitula scilicet essent hæretica vel non? nunquam variavit Vigilius Papa; circa ea verò, quæ pertinent ad Oeconomiam, num videlicet tria Capitula damnanda essent cum Auctorum nomine? non idem semper sensit, sed aliter & aliter se gessit, prout nempè in diversis rerum circumstantiis prudentia dictabat. Hujus porro distinctionis ope facilè explicatur, quo sensu idem Vigilius liberam esse trium Capitulorum controversiam intellexerit.

Ad 3tium. Resp. Theodoretum non alio sensu à Theologis, præsertim à Sirmondo & Petavio, vindicari à Nestorianismo, quàm quòd mentem semper Catholicam retinuerit, licèt incautus & imprudens quasdam minùs orthodoxas locutiones in æstu disputationis contra S. Cyrillum adhibuerit. Undè de illo ait Petavius: *Pugnabat pro veritate contra veritatem; pro veritate quidem, quatenùs Apollinarismum insectabatur, cujus reum esse falsò S. Cyrillum existimabat; contra veritatem verò, quia falsam in Cyrillum accusationem conjiciebat;* Dum autem ita pugnaret, factum est, ut faventes Nestorianismo locutiones ipsi exciderint, quæ damnatæ sunt in quinta Synodo, licèt non exprimerent sensum Auctoris, qui fuit expers Nestorianismi, ut ex aliis ejus Scriptis colligunt prædicti Theologi.

Ad 4tum. Resp. Tria Capitula dupliciter posse considerari: 1mo. quidem simpliciter & absolutè in se ipsis, utrum sint orthodoxa necne? Deindè comparatè ad hanc quæstionem, an scilicet damnanda fuerint non celato Auctorum nomine, imò etiam Theodori Mopsuesteni, qui in communione Catholica obierat, personâ anathematizatâ? Quòd si hac posteriori ratione tria Capitula spectentur, & pro certo etiam supponatur, ea fuisse damnanda, quemadmodùm ante quintam Synodum jam consentiebant omnes Catholici Orientales, tùm non agitur de Fide, sed de quibusdam solummodò personis, utrùm scilicet illæsa Concilii Chalcedonensis Auctoritate, quorumdam Auctorum in Ecclesiæ communione defunctorum nomina exprimi potuerint in damnatione Capitulorum ab ipsis editorum; & utrum Theodorus Mopsuestenus post mortem suam anathemati subjici posset ut hæreticus. Ex quo sensu Pelagius II. & Gregorius Magnus dixerunt, *in trium Capitulorum horum controversia non de Fide, sed de quibusdam solummodò personis actitatum fuisse.* Quo etiam sensu Pelagius II. dixerit, *præcipuam Synodalium Conciliorum causam esse Fidem, Epistolamque Ibæ, etsi omnium Episcoporum subscriptionibus in Concilio Chalcedonensi firmata fuisset, nihilominùs reprehendi posse*, facilè ex dictis erui potest. Verùm de hoc infrà.

6tum Factum. Honorius Papa fuit damnatus ut Monothelita à Synodo Oecumenica VI. ob Epistolas, quas ad Sergium scripserat, quæ judicatæ sunt hæreticæ: & tamen eum illiusque Epistolas ab hæresi vindicant multi Doctores Catholici sic, ut videantur agnoscere Ecclesiam non esse infallibilem in quæstionibus Facti dogmatici. 1mo. Martinus I. & Agatho Pontifices Summi ab omni errore vindicant Honorium, pro cujus defensione Apologiam scripsit etiam Joannes Papa IV. 2do. Joannes de Turrecremata lib. 2. de Ecclesia c. 93. putat quosdam &

& homines & libros damnari posse ab Ecclesia ex falsa informatione; quod Honorio contigisse existimat. 3tio. Bellarminus lib. 4. de Summo Pontifice ait: *Quamvis generale Concilium legitimum non possit errare in dogmatibus Fidei definiendis, tamen errare potest in quæstionibus de facto. Itaque tutò dicere possumus hos Patres* (Sextæ Synodi) *deceptos ex falsis rumoribus, & non intellectis Honorii Epistolis, immeritò cum hæreticis enumerasse Honorium.* 4to. Baronius ad an. 681. n. 30. *In iis*, inquit, *quæ ad personas pertinent, & scripta ipsarum, non ita rigidè reperitur custodita censura, &c.* 5to. Cardinales Palavicinus, Richelius, Laurea, D' Aguire, & plurimi graves Theologi sentiunt Ecclesiam falli posse in quæstionibus Facti. Ergo &c.

Resp. 1mo. Falsum esse, quòd Honorius damnatus fuerit ut Monothelita; neque enim alia de causa damnatus est, quàm quòd molliori sua agendi ratione & conniventia Monothelitarum hæresim fovisset, ut nunc ferè omnes Theologi fusè probant in Tractatu de Incarnatione Verbi; quod & Leo Papa II testatur scribens ad Regem Hispaniæ his verbis: *Quia immaculatam Apostolicæ traditionis regulam maculari permisit*, ideò nempè damnatus est. Eadem scribit ad Hispaniæ Præsules: *Quia*, inquit, *flammam hæretici dogmatis non, ut decuit, auctoritate Apostolica incipientem extinxit, sed negligendo confovit.*

Resp. 2do. Nec Monothelitam fuisse Honorium; nec tamen Synodum VI. errasse Honorium Honoriique litteras ad Sergium scriptas damnando. Ratio est, quia eo tempore, quo scriptæ fuerunt hujusmodi Honorii ad Sergium litteræ, nullatenùs Fidei nocebant, saltem directè; quia causa sub Judice pendebat adhuc, nondumque contra Monothelitas definita erat. At tempore Sextæ Synodi, hoc est, post quadraginta circiter annos eædem litteræ Fidei nocebant etiam directè; quia Honorii hæsitationem & vacillationem in fide notabant; omnis autem hæsitatio vel vacillatio in Fide nocet Fidei. Undè potuêre tunc à Synodo damnari hæ litteræ unà cum earum Auctore Honorio, quin erraverit & Monothelita fuerit has scribens Honorius litteras, & quin pariter erraverit laudata Synodus has Honorii litteras Honoriumque ipsum propter eas damnando. Quapropter antequá hæc Sexta Synodus celebrata fuerit, excusatus ac defensus est Honorius à Joanne IV. Martino I. Agathone, Summis Pontificibus, & à nonnullis aliis. At post hanc Synodum, in qua simul cum Monothelitis Honorius damnatus est, neminem è Romanis Pontificibus habuit sibi patrocinantem.

Quod attinet ad Theologos hîc adductos, duo diligenter attendenda sunt: 1mum. Generale quidem est principium, quod velut omninò certum ponunt, Ecclesiam nempè & Romanos Pontifices in quæstionibus Facti particularibus ad doctrinam non pertinentibus errare posse. Alterum est hujusce principii applicatio ad Honorium ab hæresi vindicandum. Præthereà in memoriam revocare oportet, duplicem esse quæstionem Facti etiam doctrinalis, cùm aliquis auctor ab Ecclesia ideo damnatur, quòd impiam doctrinam in suis scriptionibus tradiderit: prior est, utrum Auctor ab Ecclesia damnatus re vera hæreticam, quæ ipsi attribuitur, sententiam in mente habuerit; quod tamen Factum personale potiùs quàm doctrinale est: posterior autem est, utrum in suis scriptionibus re ipsa expresserit impiam doctrinam, quæ ab Ecclesia ipsi adscribitur, quod Factum propriè est doctrinale.

His ità positis, haud difficilè evinci potest adductos Theologos aliosque nonnullos, quos hîc prætermittimus, sententiæ pro infallibilitate Ecclesiæ in damnan-

nandis perversis quibuscũque Scriptis stanti minimè adversari. Ii enim, qui tuentur Ecclesiæ infallibilitatem &c. ultrò fatentur Ecclesiam & Romanos Pontifices in quibusdam Facti quæstionibus, præsertim particularibus, quæ scilicet ab hominũ testimoniis omninò pendent, errare posse; nec diffitentur, Ecclesiam, quæ de occultis non judicat, certò & infallibiliter per se non discernere germanam sententiam in mente cujuspiam Auctoris delitescentem: at contendunt, Ecclesiæ Catholicæ Judicium in discernenda germana sententia, quam in scriptionibus suis expressit Auctor, nulli prorsùs errori esse obnoxium. Prædicti autem Theologi utplurimùm loquuntur de Factis personalibus & non necessariis ad mores aut doctrinam Ecclesiæ.

Nam ad ea, quæ ex Cardinali de Turrecremata referuntur, Resp. citata verba apud eum non legi, sed ista: *Undè creditur, quòd hæc fecerint Orientales ex mala & falsa ac sinistra informatione de præfato Honorio decepti.* Ex quibus verbis manifestum est, prædictum Cardinalem loqui de persona Honorii, non autem de ejus textu; absurdum enim esset dicere Concilium ex falsa informatione deceptum fuisse circa textum, quem legebat, & cujus autographum tenebat.

Eodem modo ac sensu intelligendus est Bellarminus ac Joannes de Turrecremata, cujus mox adducta verba ipse refert. Vult igitur Bellarminus duntaxat purgare Honorium à suspicione erroris personalis. Cùm autem ait, *Non intellectis Honorii Epistolis*, non loquitur de iis secundùm se spectatis, sed de iis secundùm sensum & intentionem Auctoris. Quòd autem Bellarminus faveat sententiæ infallibilitatem Ecclesiæ in definiendis Facti dogmatici quæstionibus propugnanti patet ex ejus lib. 3. c. 14. de Ecclesia militante, ubi probat *Ecclesiam errare non posse nec in rebus absolutè necessariis, nec aliis, quæ credenda vel facienda nobis proponit, sive habeantur expressè in Scripturis sacris, sive non.*

Baronius verò & nonnulli alii Theologi, qui Honorium ab hæresi vindicare nituntur, existimant, ob auctoritatem Summorum Pontificum suprà laudatorum, unanimem non fuisse in damnando Honorio Ecclesiæ sententiam. Etenim si hæc concordissima Ecclesiæ sententia ipsis visa fuisset, procul dubio ei subscribere nunquam recusassent, maximè verò, si id Ecclesia tanquam sinceræ Fidei testimonium exegisset. Adde, quòd Baronius meritò possit intelligi de quæstionibus Facti merè personalis; nempè non tam Honorii Scripta quàm ejus personam & interiora ejus sensa excusare adlaborat.

Quod spectat ad Cardinales Laurea & D'Aguire mirum est, hos quasi adversarios proferri. Prior enim in *suo voto* cùm asserit Ecclesiam definiisse dogma, quod expressit Jansenius, hæreticum esse, pro certo ponit à Jansenio re vera expressum fuisse illud dogma, quod ut hæreticum ab Ecclesia damnatum est, licèt ex ipsius sententia hujusmodi quæstiones Facti non quasi Fide divina credendæ ab Ecclesia definiantur; quod quidem hîc non asseritur neque defenditur. Posterior autem in sua Theologiæ S. Anselmi editione, si vel præfatio tom. 3. legatur, multis Capitibus demonstrat quinque Jansenii propositiones jure ac meritò damnatas esse, & in Jansenii Libro reperiri, nec cuiquam post Ecclesiæ judicium fas esse in dubium revocare, utrum doctrina illis quinque propositionibus contenta à Jansenio expressa fuerit.

Quòd si tamen contendas præmemoratos Theologos locutos fuisse de Facto doctrinali, & non tantùm personali, ac

& homines & libros damnari posse ab Ecclesia ex falsa informatione; quod Honorio contigisse existimat. 3tio. Bellarminus lib. 4. de Summo Pontifice ait: *Quamvis generale Concilium legitimum non possit errare in dogmatibus Fidei definiendis, tamen errare potest in quæstionibus de facto. Itaque tutò dicere possumus hos Patres* (Sextæ Synodi) *deceptos ex falsis rumoribus, & non intellectis Honorii Epistolis, immeritò cum hæreticis enumerasse Honorium.* 4to. Baronius ad an. 681. n. 30. *In iis*, inquit, *quæ ad personas pertinent, & scripta ipsarum, non ita rigidè reperitur custodita censura*, &c. 5to. Cardinales Palavicinus, Richelius, Laurea, D' Aguire, & plurimi graves Theologi sentiunt Ecclesiam falli posse in quæstionibus Facti. Ergo &c.

Resp. 1mo. Falsum esse, quòd Honorius damnatus fuerit ut Monothelita; neque enim alia de causa damnatus est, quàm quòd molliori sua agendi ratione & conniventia Monothelitarum hæresim fovisset, ut nunc ferè omnes Theologi fusè probant in Tractatu de Incarnatione Verbi; quod & Leo Papa II testatur scribens ad Regem Hispaniæ his verbis: *Quia immaculatam Apostolicæ traditionis regulam maculari permisit*, ideò nempè damnatus est. Eadem scribit ad Hispaniæ Præsules: *Quia*, inquit, *flammam hæretici dogmatis non, ut decuit, auctoritate Apostolica incipientem extinxit, sed negligendo confovit.*

Resp. 2do. Nec Monothelitam fuisse Honorium; nec tamen Synodum VI. errasse Honorium Honoriique litteras ad Sergium scriptas damnando. Ratio est, quia eo tempore, quo scriptæ fuerunt hujusmodi Honorii ad Sergium litteræ, nullatenùs Fidei nocebant, saltem directè; quia causa sub Judice pendebat adhuc, nondumque contra Monothelitas definita erat. At tempore Sextæ Synodi, hoc est, post quadraginta circiter annos eædem litteræ Fidei nocebant etiam directè; quia Honorii hæsitationem & vacillationem in fide notabant; omnis autem hæsitatio vel vacillatio in Fide nocet Fidei. Undè potuêre tunc à Synodo damnari hæ litteræ unà cum earum Auctore Honorio, quin erraverit & Monothelita fuerit has scribens Honorius litteras, & quin pariter erraverit laudata Synodus has Honorii litteras Honoriumque ipsum propter eas damnando. Quapropter antequã hæc Sexta Synodus celebrata fuerit, excusatus ac defensus est Honorius à Joanne IV. Martino I. Agathone, Summis Pontificibus, & à nonnullis aliis. At post hanc Synodum, in qua simul cum Monothelitis Honorius damnatus est, neminem è Romanis Pontificibus habuit sibi patrocinantem.

Quod attinet ad Theologos hîc adductos, duo diligenter attendenda sunt: 1mum. Generale quidem est principium, quod velut omninò certum ponunt, Ecclesiam nempè & Romanos Pontifices in quæstionibus Facti particularibus ad doctrinam non pertinentibus errare posse. Alterum est hujusce principii applicatio ad Honorium ab hæresi vindicandum. Præterea in memoriam revocare oportet, duplicem esse quæstionem Facti etiam doctrinalis, cùm aliquis auctor ab Ecclesia ideo damnatur, quòd impiam doctrinam in suis scriptionibus tradiderit: prior est, utrum Auctor ab Ecclesia damnatus re vera hæreticam, quæ ipsi attribuitur, sententiam in mente habuerit; quod tamen Factum personale potiùs quàm doctrinale est: posterior autem est, utrum in suis scriptionibus re ipsa expresserit impiam doctrinam, quæ ab Ecclesia ipsi adscribitur, quod Factum propriè est doctrinale.

His ità positis, haud difficilè evinci potest adductos Theologos aliosque nonnullos, quos hîc prætermittimus, sententiæ pro infallibilitate Ecclesiæ in damnan-

nandis perversis quibuscuique Scriptis stanti minimè adversari. Ii enim, qui tuentur Ecclesiæ infallibilitatem &c. ultrò fatentur Ecclesiam & Romanos Pontifices in quibusdam Facti quæstionibus, præsertim particularibus, quæ scilicet ab hominū testimoniis omninò pendent, errare posse; nec diffitentur, Ecclesiam, quæ de occultis non judicat, certò & infallibiliter per se non discernere germanam sententiam in mente cujuspiam Auctoris delitescentem: at contendunt, Ecclesiæ Catholicæ Judicium in discernenda germana sententia, quam in scriptionibus suis expressit Auctor, nulli prorsùs errori esse obnoxium. Prædicti autem Theologi ut plurimùm loquuntur de Factis personalibus & non necessariis ad mores aut doctrinam Ecclesiæ.

Nam ad ea, quæ ex Cardinali de Turrecremata referuntur, Resp. citata verba apud eum non legi, sed ista: *Undè creditur, quòd hæc fecerint Orientales ex mala & falsa ac sinistra informatione de præfato Honorio decepti.* Ex quibus verbis manifestum est, prædictum Cardinalem loqui de persona Honorii, non autem de ejus textu; absurdum enim esset dicere Concilium ex falsa informatione deceptum fuisse circa textum, quem legebat, & cujus autographum tenebat.

Eodem modo ac sensu intelligendus est Bellarminus ac Joannes de Turrecremata, cujus mox adducta verba ipse refert. Vult igitur Bellarminus duntaxat purgare Honorium à suspicione erroris personalis. Cùm autem ait, *Non intellectis Honorii Epistolis*, non loquitur de iis secundùm se spectatis, sed de iis secundùm sensum & intentionem Auctoris. Quòd autem Bellarminus faveat sententiæ infallibilitatem Ecclesiæ in definiendis Facti dogmatici quæstionibus propugnanti patet ex ejus lib. 3. c. 14. de Ecclesia militante, ubi probat *Ecclesiam errare non posse nec in rebus absolutè necessariis, nec aliis, quæ credenda vel facienda nobis proponit, sive habeantur expressè in Scripturis sacris, sive non.*

Baronius verò & nonnulli alii Theologi, qui Honorium ab hæresi vindicare nituntur, existimant, ob auctoritatem Summorum Pontificum suprà laudatorum, unanimem non fuisse in damnando Honorio Ecclesiæ sententiam. Etenim si hæc concordissima Ecclesiæ sententia ipsis visa fuisset, procul dubio ei subscribere nunquam recusassent, maximè verò, si id Ecclesia tanquam sinceræ Fidei testimonium exegisset. Adde, quòd Baronius meritò possit intelligi de quæstionibus Facti merè personalis; nempè non tam Honorii Scripta quàm ejus personam & interiora ejus sensa excusare adlaborat.

Quod spectat ad Cardinales Laurea & D' Aguire mirum est, hos quasi adversarios proferri. Prior enim in *suo voto* cùm asserit Ecclesiam definiisse dogma, quod expressit Jansenius, hæreticum esse, pro certo ponit à Jansenio re vera expressum fuisse illud dogma, quod ut hæreticum ab Ecclesia damnatum est, licèt ex ipsius sententia hujusmodi quæstiones Facti non quasi Fide divina credendæ ab Ecclesia definiantur; quod quidem hîc non asseritur neque defenditur. Posterior autem in sua Theologiæ S. Anselmi editione, si vel præfatio tom. 3. legatur, multis Capitibus demonstrat quinque Jansenii propositiones jure ac meritò damnatas esse, & in Jansenii Libro reperiri, nec cuiquam post Ecclesiæ judicium fas esse in dubium revocare, utrum doctrina illis quinque propositionibus contenta à Jansenio expressa fuerit.

Quòd si tamen contendas præmemoratos Theologos locutos fuisse de Facto doctrinali, & non tantùm personali, ac

circa illud erraſſe Sextam Synodum in cauſa Honorii.

Reſp. Quòd omninò ſint deſerendi; neque enim eorum auctoritas magis prodeſt Adverſariis, quàm profuit auctoritas Cypriani ad probandum non valere collatum ab hæreticis Baptismùm.

7mum Factum. Poſtquam Joachimi Abbatis librum de Trinitate Lateranenſe Concilium IV. unam ex eo extractam propoſitionem eſſe hæreticam declaravit, quod quidem Decretum in Corpus Juris tranſiit, & tamen Joachimi patrocinium ſuſcepit Gregorius de Laude anteà de Lauro dictus, nec proptereà ab Inquiſitione Romana reprehenſus fuit.

Reſp. Hoc exemplum nihil facere ad rem præſentem; nam Gregorius de Laude Joachimum non defendit, quaſi putet Concilium in eo condemnando erraſſe, ſed quòd velit libellum ipſius fuiſſe depravatum antequam Concilio offerretur examinandus; dicit enim in Apol. Abbatis Joachimi c. 67. damnatam de Trinitate ſententiam fuiſſe ſuppoſititiam & Florenſi Abbati ſeu Joachimo adſcriptam. Et eodem cap. ait, quosdam malevolos omnem induſtriam poſuiſſe, ut ille liber depravaretur, antequam Concilio offerretur. Hæc verba nullam patiuntur ambiguitatem, & difficultatem planè ſolvunt; neque enim hîc aſſeritur Eccleſiam eſſe infallibilem in dignoſcendo, utrùm aliquis liber adulteratus ſit necne.

275 Argumentum 2dum. deſumitur ab auctoritate SS. Patrum, qui negant Infallibilitatem Eccleſiæ in decidendis quæſtionibus Facti dogmatici. 1mo. Tertullianus lib. de veland. Virgin. c. 1. docet, *ea, quæ non pertinent ad Fidem, admittere novitatem correptionis.* 2do. S. Auguſtinus lib. 2. de Bapt. c. 3. aſſerit *Concilia plenaria priora ſæpe poſterioribus emendari, cùm aliquo experimento rerum aperitur quod clauſum erat, & cognoſcitur, quod latebat.* 3tio. S. Leo Ep. 92. c. 5. declarat, *in ipſis etiam Synodis generalibus, quidquid geſtum eſſe perhibetur præter id, quod ad cauſam Fidei ſpectat, nullius eſſe firmitatis, Fidem eſſe ſpecialem cauſam Conciliorum.* 4to. Pelagius II. in celeberrima Epiſtola ad Eccleſiam Aquilejenſem, & ad alios Epiſcopos Iſtriæ, poſt relata & approbata mox adducta S. Leonis verba ſic concludit: *Quidquid ergo præter Fidem agitur, Leone docente oſtenditur, quòd nihil obſtat, ſi ad judicium revocetur.* Hanc Epiſtolam Gregorius Magnus, quam ipſe juſſu Pelagii ſcripſerat cùm eſſet adhuc Diaconus, factus poſteà Pontifex approbavit. 5to. Anaſtaſius Bibliothecarius, ut habetur Tom. 3. Operum Sirmondi, Honorium contra latam à Synodo VI. ſententiam defendit. 6to. Innocentius III. *De Sentent. Excom. c.* 28. iſtud ponit diſcrimen inter Judicium Dei & Eccleſiæ, quòd divinum nec falli poſſit nec fallere, Judicium autem Eccleſiæ nonnunquam opinionem ſequatur, quam & fallere ſæpe contingit & falli. 7mo. S. Thomas Quodlib. 1. ſic loquitur: *In ſententiis, quæ ad Facta particularia pertinent, poſſibile eſt Eccleſiæ Judicium errare.*

Reſp. *Neg. ant.* Ad 1mum. Dicendum, quòd Tertullianus ipſemet loc. cit. difficultatem ſolvat, ait enim: *Lege Fidei manente, cætera jam diſciplinæ & converſationis admittere novitatem correptionis.* Quibus verbis docet in iis, quæ ſpectant ad meram diſciplinam aliquando Judicia Eccleſiæ mutari & corrigi poſſe ab aliis ſubſequentibus ejusdem Eccleſiæ Judiciis, quod ultrò conceditur.

Ad 2dum. Reſp. S. Auguſtinum ibi non loqui de Factis dogmaticis, ſed perſonalibus, ſeu merè particularibus, de

de quibus Ecclesia judicat ex testimonio hominum, ac proindè quod judicatum est in hujusmodi Factis ab uno Concilio etiam generali ab alio emendari potest (*u*).

Ad 3tium. Resp. S. Leonis testimonium nullam pati difficultatem. Ait enim S. Pontifex, *ea nullius esse firmitatis, quæ geruntur in Conciliis extra causas Fidei*: at certè vix negari potest, quòd quæstiones Facti dogmatici ullatenùs ad Fidem pertineant; quamvis enim non pertineant ad Fidem in se simpliciter & absolutè spectatam, pertinent tamen ad eam per accidens, in quantùm per orthodoxas locutiones antiqua traditione & Ecclesiæ Judiciô approbatas exprimi eam decet. Adde, quòd maximi momenti sit ad Fidem conservandam, ut libri continentes aliquam hæresim Ecclesiæ Judiciô proscribantur, ne per illos inducatur error, & mentes Fidelium corrumpantur.

Ad 4tum. Resp. Pelagium Papam eodem modo intelligendum, quo intelligitur S. Leo, quem citat. Undè patet, quòd, cùm ait *posse ad Judicium revocari quidquid in Concilio extra Fidem agitur*, non loquatur de Factis dogmaticis, cùm ejusmodi Facta, si non proximè ac per se, saltem remotè ac per accidens ad Fidem spectent. Nec refert, quòd Pelagius in eadem Epistola dicat: *Etiamsi Epistola Ibæ in Concilio Chalcedonensi Episcoporum subscriptionibus esset approbata, semper tamen unumquemque eam reprehensurum.* Non enim per hæc verba Pelagius infirmat auctoritatem Ecclesiæ infallibilem in decidendis Factis dogmaticis, sed tantùm significat, prout ipse posteà innuit, subscriptiones Episcoporum in hoc particulari casu valituras non fuisse, quòd Leo Papa suis Legatis mandasset, ne quidquam in Concilio Chalcedonensi statui permitterent, quàm quod in sua dogmatica Epistola ad Concilium missa statuerat.

Ad 5tum. Resp. Anastasium Bibliothecarium Honorii defensionem suscepisse hoc modô, ut eum nunquam intendisse hæresim velit. *Quis intentionem ejus investigabit*, inquit, *nolite judicare, & non judicabimini; sunt quædam facta, quæ ignoramus, quo animo fiant, quid autem hoc nobis officit?*

Ad 6tum. Resp. Manifestum esse, quòd Innocentius III. loquatur de Judiciis vel ex testimonio hominum, vel ex dispositione interna hominis, qui judicatur, pendentibus, non autem de Factis dogmaticis.

Ad 7mum. Resp. In ipso S. Thomæ textu, modò non mutiletur, prout ab Adversariis mutilatur, reperiri solutionem; sic enim loquitur S. Doctor: *In sententiis, quæ ad Facta particularia pertinent, ut cùm agitur de possessionibus vel de criminibus, vel de hujusmodi, possibile est Judicium Ecclesiæ errare propter falsos testes.* Undè, ut vides, S. Thomas agit tantùm ibi de Factis, de quibus Ecclesia judicat ex testimonio hominum; imò hoc principium, quo dicit Ecclesiam posse errare in iis Judiciis, quæ pendent à testimonio hominum, non ita universim admittit, quin excipiat Canonizationes Sanctorum, *quia*, ut ibidem ait, *divina providentia præservat Ecclesiam, ne in talibus per fallibile testimonium hominum fallatur.*

(*u*) Nos in Opere nostro, cui titulum dedimus *Auctoritas & Infallibilitas Summorum Pontificum in definiendis Fidei & morum quæstionibus stabilita &c.* & quod jam an. 1738. juris publici fecimus, c. 10. n. 32. contendimus S. Augustinum loqui hic de quæstionibus merè disciplinam spectantibus.

276 **Argumentum 3tium.** petitur ex variis rationibus, quibus probatur Ecclesiam esse fallibilem circa Facta dogmatica.

1ma. Ratio sic exponitur. Ecclesia nunquam definivit sibi competere infallibilitatem in definiendis Facti dogmatici quæstionibus. Ergo probabile est, quòd agnoscat eam sibi non competere.

Resp. 1mo. *Neg. conf.* qua, si valeret, probaretur etiam, quòd ne ipsa quidem infallibilitas in definiendis quæstionibus Juris Ecclesiæ competeret; cùm nullum extet super ea re Ecclesiæ decretum.

Neque dicas, Concilium Tridentinum id definiisse Sess. 24. Can. 6. cùm dixit anathema ei, *qui dixerit Ecclesiam errare, cùm docet Matrimonii vinculum propter adulterium alterius conjugum dissolvi non posse;* nam hæc definitio non dicit Ecclesiam errare non posse, sed duntaxat non errasse in casu particulari, qui exprimitur. Neque etiam dicas esse ex S. Scriptura evidens Ecclesiam esse infallibilem in Jure, ut cùm dicitur *columna & firmamentum veritatis;* nam hoc etiam videtur evidens de infallibilitate in quæstionibus Facti dogmatici; sicut enim Ecclesia infallibiliter judicat, utrùm aliqua propositio sit Catholica an verò hæretica, quia est *columna & firmamentum veritatis;* ita pariter & propter eamdem judicat infallibiliter, utrùm aliquis liber sit hæreticus an Catholicus.

Resp. 2do. *Dist. ant.* Ecclesia nunquam definivit verbô & explicitè sibi competere ejusmodi infallibilitatem, *conc.* Ecclesia nunquam definivit Factô & implicitè, *neg. ant.* &c. Itaque nulla quidem extat verbalis Ecclesiæ definitio, qua sibi tribuat expresè infallibilitatem, de qua hîc agitur, sed extat saltem practica; quia Ecclesia se in Factis dogmaticis infallibilem testata est ipsô usu potestatis, ut suprà dictum est.

Inst. 1mo. Si Ecclesiæ promissa sit infallibilitas circa sensum textuum exponendum, tunc hæc promissio debet esse universalis. Atqui talis non est. Ergo &c. *Prob. min.* Supponatur v. g. liber Jansenii *Augustinus* nuncupatus Arabicè aut Chaldaicè scriptus esse, tunc Ecclesia non poterit de verò illius sensu judicare, siquidem hunc non intelliget. Ergo &c.

Resp. Ecclesiam esse infallibilem circa omnes textus, qui connexionem habent cum doctrina & moribus Ecclesiæ. Undè *Neg. min.* Ad cujus *prob. Dist. ant.* Et tunc necesse erit, ut Ecclesia judicet de sensu illius libri, *neg.* & id necesse non erit, *conc. ant. &c.* Itaque Ecclesia dicitur esse infallibilis in interpretandis textibus, ex quibus sequitur Fidei conservatio aut corruptio, qualis non est liber ignoto scriptus idiomate.

Urg. Supponamus linguam Arabicam notam fieri Fidelibus, & librum hunc Arabicè scriptum ab iis legi, tunc periculum erit perversionis respectu Fidelium. Ergo &c.

Resp. Quòd in eo casu necesse futurum sit examinare sensum libri, & de eo infallibiliter judicare; nam linguæ v. g. Arabicæ notitia, quæ librum hunc Fidelibus perniciosum quodammodò redderet, faceret, ut nihil jam Ecclesiæ deesset, quin hunc librum expendere, ac de eo infallibiliter judicare possit.

Inst. 2do. Ponamus linguam illam notam esse uni tantùm Ecclesiæ parti; circa librum illum verò oriri graves controversias: quomodò tunc ejusmodi controversiæ poterunt dirimi ab universali Ecclesia?

Resp.

Resp. Universalem Ecclesiam de iis textibus judicaturam, quomodò judicavit de textibus Græcis & Latinis in variis Conciliis, quamvis textus græci Latinis, & textus latini Græcis hominibus ignoti essent; in his enim casibus ob specialem rei difficultatem specialiter Deus Ecclesiæ suæ assistit, quod ipsi Adversarii admittere debent; nam ab Ecclesia universali adoptatum est Symbolum Græcè editum, licèt Occidens Linguam Græcam non intelligeret.

2da. Ratio. Ecclesia non est infallibilis, nisi quando pronuntiat de rebus revelatis. Atqui Facta dogmatica non sunt quid revelatum; neque enim revelatum est e. g. quinque propositiones, quæ Jansenio adscribuntur, esse ex ejus libro excerptas, & in sensu ab Auctore intento damnatas. Ergo &c.

Resp. *Neg. maj.* Nam ut aliquid possit ab Ecclesia infallibiliter definiri, absolutè non est necesse, ut sit à Deo revelatum saltem immediatè; sed sufficit, ut sit revelatum mediatè, id est, sufficit, ut Deus aut Factô aut verbô revelaverit Ecclesiam habere auctoritatem infallibilem illud definiendi. Et certè Ecclesia infallibiliter judicat hanc esse Scripturam sacram, hanc Traditionem esse divinam, hoc Concilium esse Oecumenicum, & tamen hæc Facta non sunt revelata saltem immediatè. Adde hîc etiam ea, quæ §. 2. Argum. 2dô. dicta sunt.

Inst. 1mo. Ecclesiæ testimonium de ejusmodi Factis non est divina revelatio; nam Ecclesia non habet novas revelationes. Ergo ejus testimonium non est divinum. Ergo est humanum & fallibile.

Resp. *Neg. ult. conf.* Quia Ecclesiæ testimonium, licèt divinum non sit, supponit tamen divinam promissionem de infallibilitate Ecclesiæ in ejusmodi Judiciis, ac proindè ex assistentia & directione Spiritûs sancti certò novit sensum textûs, quem interpretatur & qualificat.

Inst. 2do. Ecclesiæ doctrina manet integra independenter ab illis textibus; nam sive Jansenius e. g. quinque famosas propositiones illas in suo libro docuerit sive non, semper est eadem Ecclesiæ doctrina circa Christi gratiam. Ergo necesse non est, ut certò quidquam definiat circa tales textus.

Resp. *Dist. ant.* Ecclesiæ doctrina manet integra &c. si spectetur in se & absolutè, *conc.* si spectetur relativè ad locutiones orthodoxas, quibus exprimi debet, aut ad heterodoxas, quibus corrumpi potest, *neg. ant. &c.* solutio constat ex dictis.

3tia. Ratio. Inter Doctores Catholicos non constat, utrum sit de Fide Ecclesiam esse infallibilem, dùm judicat de quæstionibus Facti dogmatici; nec inter eos convenit, qualis assensus hujusmodi Ecclesiæ definitionibus debeatur, an scilicet Fide divina, vel Ecclesiastica, vel humana tantùm credi debeant tales definitiones. Ergo circa illas sufficit religiosum & obsequiosum silentium.

Resp. 1mo. Retorq. arg. contra Adversarios ipsos. Non constat, utrum sit de Fide divina Ecclesiam esse infallibilem, dùm judicat de quæstionibus Facti dogmatici, ut vocant, *fundamentalis*, quale est, quòd hæc Traditio sit divina, quòd hoc Concilium sit Oecumenicum; nec inter eos convenit, qualis assensus talibus Ecclesiæ definitionibus debeatur. Quam autem huic argumento dederint solutionem, hæc eadem ad solvendum id, quod hîc objiciunt, adhibebitur.

Resp. 2do. *Neg. conf.* Enim verò apud omnes, si solos Jansenii defensores excipias, constat, atque certum est, qualiscunque sit illa certitudo, Eccles-

an

nullatenùs alterasse aut reformasse Constitutionem Alexandri VII. ac requiri omninò, ut quicunque subscriberent formulario Alexandri VII. damnent quinque propositiones in sensu obvio habito respectu sensûs obvii formularii, qua declaratione manifestum est obvium Jansenii sensum ex mente Innocentii XII. non alium esse à germano & proprio sensu, quem Jansenius in libro suo expressit; quicunque enim formulario Alexandri VII. subscribit, testatur expressè se damnare quinque propositiones in sensu Jansenii.

Inst. Ad subscribendum cuidam formulæ Fidei contra suam evidentiam nemo adigi potest. Atqui pluribus Theologis perspicacissimis evidens est quinque propositiones illas in Jansenii libro non reperiri. Ergo &c.

Resp. *Dist. maj.* Si illa evidentia sit communis omnibus, qui ratione utuntur, *conc.* Si sit privata de re aliqua particulari, & cui multi alii contradicunt, *neg. maj.* Talis est autem evidentia, quam habent Adversarii; cùm enim Ecclesia existimet quinque famosas propositiones illas in Jansenii libro reperiri, si non quoad singulas voces, saltem quoad æquivalentes, & quoad eundem sensum, quivis Catholicus privatim suum judicium Ecclesiæ Judicio subjicere tenetur, ac proindè suam fictitiam evidentiam suspectam habere.

6ta. Ratio. Ecclesia secundùm nos non est infallibilis in Factis personalibus, v. g. utrùm Jansenius habuerit in mente sensum hæreticum. Ergo nec est infallibilis in Factis dogmaticis.

Resp. *Neg. conf.* Disparitas est, quòd ex Factis personalibus nullum oriatur periculum in Fide, secus verò ex Factis dogmaticis; promissa est autem Ecclesiæ infallibilitas ad servandum Fidei depositum, illud autem conservare Ecclesia non posset, si non esset infallibilis in interpretandis & qualificandis textibus; forsitan enim approbanda respueret, & improbanda approbaret.

Inst. Ecclesia Auctores quandoque & eorum Scripta anathematizat, atque eodem modo procedit circa Facta personalia ac dogmatica. Ergo si non est infallibilis in Factis personalibus, neque erit in dogmaticis.

Resp. Quòd Ecclesia personas anathemati subjiciat relativè ad eorum Scripta hæretica, quæ directè ipso anathemate feriuntur, indirectè autem personæ, in quantùm meritò præsumuntur, quòd non aliter scripserint, quàm crediderint. Itaque Ecclesia in hoc casu circa personas habet certitudinem tantùm legalem, circa eorum Scripta verò etiam supernaturalem, seu fundatam in promissionibus divinis.

7ma. Ratio. Clemens IX. quatuor Galliæ Episcopos, Henricum Arnaldum Andegavensem, Nicolaum Choüart Bellovacensem, Franciscum Stephanum Apaniensem, & Nicolaum Pavillon Alectensem, ad pacem admisit, licèt formulario Alexandri VII. subscripsissent factâ in Actis verbalibus distinctione Juris & Facti, ita, ut, quantùm attinet ad Jus, testarentur se credere, quantùm verò ad Factum dogmaticum spectat, religiosum duntaxat silentium pollicerentur; quod tamen obsequiosum silentium insufficiens esse declaravit Clemens XI. in Bulla, quæ incipit, *Vineam Domini Sabaoth.* Ergo.

Resp. *Neg. ant.* Nam Clemens IX. putavit illos Episcopos formulario purè & simpliciter subscripsisse sine ulla restrictione & exceptione; id enim hic Pontifex ipsemet testatur in suo Brevi ad Regem Galliæ an. 1668. ubi ait, *se cognovisse ex simplici ac pura subscriptione formularii quatuor illorum Episcoporum*

rum obedientiam & obsequium; tùm in Brevi ad illos ipsos quatuor Episcopos an. 1669. in quo supponit eos simpliciter ac sincerè subscripsisse ac subscribi fecisse formulario in Alexandri VII. litteris edito. Asserit prætereà se Constitutionibus Innocentii X. & Alexandri VII. firmissimè inhærere; additque se nullam circa illud formularium exceptionem aut restrictionem admissurum unquam esse. Ait denique, se tribuere ipsis Episcopis paternæ benevolentiæ suæ argumentum, quia accepit documenta veræ & totalis eorum obedientiæ, qua formulario sincerè subscripserunt. Undè, ut vides, supponit hic Summus Pontifex hos Episcopos, qui subscribere formulario primùm detrectaverant, tandem sincerè ac simpliciter, seu sine restrictione & exceptione subscripsisse, veram que ac totalem obedientiam præstitisse. Quomodò autem ita loqui potuisset Pontifex, si appositam ab iis restrictionem & exceptionem in Actis verbalibus certò cognovisset.

Inst. Clemens IX. hanc restrictionem ignorare non potuit, cùm Episcopus Catalaunensis hac de re ipsum certiorem fecerit. Ergo &c.

Resp. *Neg. ant.* Cujus falsitas meliùs ostendi non potest, quàm verbis Cardinalis Rospigliosi, qui fuit Clementis IX. ex fratre Nepos. Sic autem ipse in relatione eorum, quæ in negotio Jansenismi gesta sunt, loquitur num. 159. & seq. „ Galliam imò tùm Romam quo„ que pervasit opinio variis scriptis vul„ gata, quatuor Episcopos in verbalibus „ Synodi Actis asseruisse à Summo Pon„ tifice hæresis notam inuri non posse „ quinque propositionibus in sensu Jan„ senii. Accepto hujusmodi rumore „ retardatus est Pontifex, ne statim qua„ tuor Episcopis rescriberet, deque eo„ rum sibi obsequio constare profitere„ tur, sed Nuntium interim jussit in rei „ veritatem non acriter magis quàm dis„ simulanter inquirere. Curæ erat Pon„ tifici ritè cognoscere, quid tandem „ continerent declarationes illæ Actis ver„ balibus additæ; si enim nihil affirma„ tum ibi fuisset præterquàm posse Pon„ tificem falli in quæstionibus de facto, „ prout suprà n. 153. explicavimus (hoc „ est, quænam Jansenii occulta mens „ aut cogitatio fuisset circa quinque il„ las propositiones) prudenti dissimula„ tione rem supprimendam existimabat; „ sin verò asseruissent Episcopi nolle se „ pro hæreticis agnoscere quinque pro„ positiones in sensu Jansenii, quemad„ modùm ab Apostolica Sede fuerunt „ damnatæ, id sanè nullatenùs ferre, „ neque in re tanti momenti connivere, „ quin imò acerrimè obviam ire sta„ tuerat. Hæc mandata Pontificis pro „ eo, ac par erat, accuratè ac fideli„ ter exequenda Nuntius suscepit, quid„ que Actis illis verbalibus continere„ tur, ex Episcopi Catalaunensis relatu „ cognovit. Summa porro testificatio„ nis illius erat: *quod ad Pontificiam „ de Facto sententiam pertineret, videri „ eam Episcopis cum reverentia excipi„ endam; sed intra eos fines, quos in „ ejusmodi causis Cardinales Baronius, „ Bellarminus, Richelius, Palavicinus, „ & PP. Sirmondus & Petavius deter„ minant, nimirùm ne quid pronuntie„ tur, scribatur, doceaturvè ipsi contra„ rium. De formula verò eos profiteri „ sinceritate & fide, quæ esse maxima „ posset, ei se subscripsisse, & quinque „ propositiones tùm damnasse, tùm dam„ nandas curasse sine nulla exceptione aut „ limitatione, in quolibet sensu, in quo „ ab Ecclesia damnatæ fuissent.*

Ita hactenùs Cardinalis Rospigliosi, qui addit, *Pontificem iis, quæ de formula deque propositionibus Episcopi testabantur, permotum, aliam partem sibi dissimulandam putasse, & quatuor præfatos Episcopos in suam gratiam restituendos duxisse.* Ex quibus manifestum est Clemen-

mentem IX. sibi persuasum habuisse plenam obedientiam à quatuor Episcopis exhibitam fuisse, &c.

§. IV.

277 *Declaratur, quænam sententia alteri sit præferenda.*

QUamvis posterior hæc sententia validis fulciri videatur argumentis & rationibus, meritò tamen prior ei præponenda est, dummodò dicatur, quòd infallibilitas, de qua hìc est sermo, non fide divina, sed inferiori assensu, quocunque tandem nomine eum appellare volueris, credi debeat; nam necdum satis constat, quòd S. Scriptura eodem modo loquatur de infallibilitate Ecclesiæ circa quæstiones Juris, ac circa quæstiones Facti dogmatici. Undè cùm circa illud nihil adhuc expresfsè ab Ecclesia definitum sit, quilibet poterit absque Fidei periculo, non tamen erroris, contrariam sectari opinionem.

Præstat autem, præter ea, quæ §. 2. adduximus, præcipua adhuc hìc exhibere momenta, quibus movemur, ut potiùs priori, quàm posteriori faveamus sententiæ.

278 1ma. est; quia hodiedum communi Doctorum consensui innititur, à quo recedere periculosum est; cùm communis consensus Doctorum in aliquam sententiam eam moraliter certam facere censeatur.

279 2da. Quia, ut ait Bellarminus lib. 3. de Eccles. milit. c. 14. „ obligamur sub „ anathematis pœna credere Ecclesiæ „ in omnibus, ut patet Matth. 18. „ *Quòd si Ecclesiam non audierit, sit* „ *tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Et „ Concilia omnia dicunt anathema „ non assentientibus Ecclesiæ Decretis. „ At iniquum esset sub tam gravi pœna „ obligari ad assentiendum rebus incer„ tis & interdùm falsis.

Hæc Bellarminus, quæ inprimis notatu digna sunt. Bellarminus enim existimat, Ecclesiam non posse sub anathematis pœna obligare ad assentiendum rebus incertis & interdùm falsis, atque adeò nulli errori obnoxia esse putat decreta illa, quæ unanimi Ecclesiæ consensu sub anathematis pœna feruntur. Atqui ex hoc principio evidenter sequitur Synodi V. Judicium de tribus Capitulis (in cujus pertensa fallibilitate adversarii inprimis suam stabiliunt opinionem) nulli errori obnoxium fuisse; Nam quinta hæc Synodus sub pœna anathematis disertè prohibuit, ne tria Capitula, quacunque demùm ratione, defenderentur ut orthodoxa. At, si hoc Judicium foret incertum ac errori obnoxium, ex Bellarmini sententia iniquum foret sub tam gravi pœna obligari ad assentiendum huic Ecclesiæ decreto. Quòd si verò iniquè egit hæc Synodus; qua ergo mente S. Gregorius Magnus Epist. 24. ad Joan. Constant. dicere potuit? *Quintum quoque Concilium pariter veneror, in quo Epistola, quæ Ibæ dicitur, erroris plena reprobatur, & Theodorus personam Mediatoris Dei & hominum in duabus subsistentiis separans ad impietatis perfidiam cecidisse convincitur, & in quo Scripta quoque Theodoreti, per quæ beati Cyrilli fides reprehenditur, ausu dementiæ prolata reperiuntur; cunctas verò, quas præfata veneranda Concilia personas respuunt, respuo, quas venerantur complector, &c.* Planè non videmus, an ad stabilienda dicta nostra aliquid efficacius adduci potuisset; nam si Concilium Chalcedonense, ut volunt Adversarii, approbasset tria Capitula, quæ tamen reprobavit Synodus V. qua ratione hanc reprobationem veneraretur S. Gregorius, cùm secundùm Adversarios iniqua fuerit.

280 Ratio 3tia. est; quia Jus habet Ecclesia censuram ferendi in libros. Ergo hoc ipso potest judicare, an liber aliquis contineat sanam doctrinam, necne; non enim sufficit ad damnandum librum aliquem, quòd in eo sint quædam propositiones, quæ videantur hæresim sapere, sed oportet, ut discutiatur, an in sensu expresso ab Auctore tales sint, an solùm in alieno; nam si in sensu ab Auctore expresso haud heterodoxæ sed potiùs orthodoxæ sint, totus liber sanam doctrinam continebit, ac consequenter immunis erit ab omni censura.

281 Ratio 4tà. est; quia germanus ac proprius sensus propositionum cujuscunque libri ad fidem pertinentium non pendet à mero Auctoris arbitrio, ut constat, sed ab usitata ac manifesta vocum apud Ecclesiam Catholicosque significatione, & certè alloquin mox perversis locutionibus, si tolerarentur, fides sensim destrueretur. Ergo de earum propositionum cujuscunque libri germano sensu Ecclesia infallibiliter ac certò certitudine saltem notorietatis aut evidentiæ judicare poterit.

282 Ratio 5ta. est; quia alioquin, quomodò Ecclesia pascua salubria discerneret à noxiis? quomodò formam servaret sanorum verborum, & profanas vocum devitaret novitates, quæ non minùs reperiri possunt in longioribus, quàm in brevibus textibus.

283 Ratio 6ta. est; quia Responsiones defensorum Jansenii ad Argumenta §. 2. allata minùs solidæ sunt & convincentes. Nam ad Responsionem ad Arg. 1mum. qua dicunt Ecclesiam esse infallibilem in interpretatione textuum breviorum, secùs in interpretatione textuum longiorum, &c. dicimus distinctionem hanc gratis fingi; nec enim ulla vel Conciliorum vel Patrum auctoritate nititur: quis enim seriò dicat, Christum Dominum, cùm præcepit Apostolis, *Euntes docete &c.* item cùm eisdem dixit, *Ecce vobiscum sum usque ad consummationem &c.* ut interpretemini textus breves, non verò longos. Deindè nulla est ratio potiùs tribuendi infallibilitatem Ecclesiæ, quando propositio dijudicanda spectatur seorsim ac secundùm se ipsam, quàm quando spectatur in libro; nam, omisso, quòd facilius sit conspicere, quid propriè significet propositio, in libro quàm extra librum; quia in libro comparatur cum antecedentibus & consequentibus, ex qua comparatione lux affulget, & obscuritas propulsatur; cùm è contra extra librum hoc præsidium non suppetat, inconsequens est ac prorsus nugatorium asserere, quòd stet Ecclesiæ infallibilitas, si propositio dijudicanda separetur à contextu libri, id est, si remaneat intra mensuram duarum vel trium linearum; derepentè autem tota illa infallibilitas evanescat, si propositio incipiat comparari cum contextu, id est, si mensuram decem aut viginti linearum impleat.

Ettereà ad servandum Fidei depositum non minùs imò magis necessaria est Ecclesiæ infallibilitas in interpretandis & qualificandis textibus longis, quàm in interpretandis & qualificandis textibus brevibus; sicut enim Fideles meliùs instruuntur magisque in Fide confirmantur per textum orthodoxum longiorem, quàm per breviorem, ita faciliùs in errorem inducuntur ac pervertuntur per textum heterodoxum longiorem quàm per breviorem; cùm igitur non minùs, imò sæpe plus timendum sit à libris quàm ab extractis inde propositionibus, quia sub elegantia styli ac sermonis venustate venenum tegitur, ac propinatur suaviùs potandum, parùm prodesset errorem proscribi in propositionibus, si in libris maneret illæsus, ibique degeret securus. Vide hîc Rationes 3tiam 4tam. & 5tam. quibus cætera, quæ in hac responsione ab

Ad-

Adversariis opposita sunt, prorsus enervantur,

284 Responsiones item ad Argumentum 2dum ejusqueInstantias datæ falsò nituntur supposito, quasi nimirùm asseveremus Ecclesiæ infallibilitati in Factis dogmaticis deberi assensus Fidei; id enim nunquam diximus, nec tueri intendimus, cùm potiùs contrarium autumemus. Undè operæ pretium non est, ut in illis Responsionibus confutandis diutiùs immoremur; palam enim est, ex falso supposito necesse esse ut Responsiones, quæ ei innituntur, minùs quoque firmæ sint & validæ. Aliundè etiam ex Rationibus in hoc, & ex responsis priori §. adductis facilè eliduntur.

285 Tandem contra Responsionem ad Argumentum 3tium. qua dicunt, Ecclesiam potuisse infallibiliter interpretari sensum S. Augustini, quia illis temporibus nemo de vero sensu ejus librorum dubitabat, secùs autem de vero sensu libri Jansenii, de quo nunc multi dubitant.

Contra hanc, inquam, Responsionem est, quòd ex ea sequeretur, Ecclesiam non habere infallibilitatem in interpretando vero sensu alicujus libri, hoc ipso, quòd ab aliquibus dubitaretur de illius sensu. Hoc autem quàm absurdum sit, patet ex eo, quòd Ecclesia careret infallibilitate tunc potissimùm, cùm eâ vel maximè indigeret; necnon à Spiritu sancto desereretur in iis circumstantiis, in quibus ejus speciali assistentiâ omninò opus haberet. Nunquam enim magis est necessaria Ecclesiæ infallibilitas, quàm cùm oriuntur controversiæ, ac proindè cùm aliqui dubitant de vero sensu alicujus textus.

Quòd si verò nonnulli è Recentioribus liberiùs, quàm par est, de hujusmodi quæstionibus Facti dogmatici locuti sint, & adhuc loquantur, ipsamque Ecclesiam in iis dijudicandis re vera errasse aut errare potuisse dicant; iis id respondebimus, quod Natalis Alexander Hist. Eccles. Sæcul. 6. dissert. 5. huic reponit objectioni: „ Objicies ultimò, „ inquit, viros doctrinâ & pietate insi- „ gnes edidisse Apologias pro Origene, „ pro Theodoreto, pro Abbate Joachi- „ mo, &c. & libros eorum, quamvis „ ab Ecclesia in Conciliis Oecumenicis „ damnatos ab erroribus, quos in ipsis „ Ecclesia damnavit immunes probasse. „ Istosne verò temerarios vocabimus, „ & anathematis periculum subiisse di- „ cemus? Respondeo, inquit, teme- „ rarios esse hujusmodi Apologistas, „ quicunque sint, cùm Ecclesiæ Judici- „ um, ut par est, non revereantur, se- „ que Synodis, Pontificibus, & Patri- „ bus perspicaciores putent. Ægrè hanc „ notam viris eruditis inuro, sed cogit „ amor veritatis & Ecclesiæ, quibus „ nullum hominum unquam anteponam. „ Sanè si hac defendendi auctores, quo- „ rum damnata est doctrina, libertate „ impunè fruantur Litterati, & Nesto- „ rium & Eutychetem defendere licebit: „ quod ausus est Lutherus, teste Jan- „ senio in *Spongia.* quod etiam tentavit „ tam infelici quàm impio conatu qui- „ dam Calvini catulus nostra ætate. „ Quos Auctores non licuit olim defen- „ dere cur modò liceat, cùm nihil præ- „ scribere possit veritati, non spatia tem- „ porum, non intervalla regionum, „ non patrocinia personarum? Hæc Natal. Alexander.

Idem Auctor in eadem dissertatione occurrens Argumento ex communi consensu antiquorum Theologorum petito, quo evinci videtur, Ecclesiam esse fallibilem in quæstionibus Facti, respondet cum hac distinctione: „ Ecclesiæ Judici- „ um in quæstionibus Facti non est in- „ fallibile, si causæ cognitio instruatur

„ ex homlnum teſtimoniis & inſtru-
„ mentis criminis vel innocentiæ proba-
„ tionem continentibus , *conc.* tunc
„ enim teſtes nonnunquam fallere poſ-
„ ſunt , & nova poſteà proferri inſtru-
„ menta , quibus probetur crimen anteà
„ non omninò prolatum ; aut innocentia
„ vindicetur. In privatis hujuſmodi
„ negotiis Facta perſonalia & crimi-
„ nalia ſpectantibus , *ipſa plenaria Con-*
„ *cilia priora poſſunt à poſterioribus emen-*
„ *dari , cùm aliquo experimento rerum*
„ *aperitur , quod clauſum erat , & co-*
„ *gnoſcitur , quod latebat* , ut ait S. Au-
„ guſtinus lib. 2. de Bapt. c. 3. Si de
„ Facto doctrinali quæſtio ſit , & cogni-
„ tio cauſæ inſtruatur ex libris Aucto-
„ ris , qui erroris accuſatur , *neg.* Enim-
„ verò cùm Eccleſiæ ſanam doctrinam
„ ab hæretica Judiciô ſuô diſcernere da-
„ tum ſit à Chriſto , operæ pretium
„ erat , ut Eccleſia in Judicio , quod de
„ libris , in quibus de Fidei & moralis
„ Chriſtianæ rebus agitur , unanimi
„ conſenſu tulerit , deficere non poſſet.
„ Ut enim Paſtorem , qui noxia paſcua
„ à ſalubribus certò diſcernere nequeat ,
„ ſed in eorum delectu errare poſſit ,
„ nemo dixerit ad oves paſcendas ido-
„ neum ; ut Medicum , qui venena ab
„ antidotis certò diſtinguere non poſſit,
„ ſed in eorum cognitione fallatur , ne-
„ mo dixerit curandis ægrotis adhiben-
„ dum eſſe , nemo prudens elegerit ; ut
„ Ducem , cui interdùm ita caligent
„ oculi , ut Reipublicæ milites ab hoſtibus
„ diſcernere non valeat , nemo ad re-
„ gendum exercitum aptum judicaverit :
„ ita ſi Eccleſia Chriſti ovibus paſcen-
„ dis , ſanæ Fidei conſervandæ , Chri-
„ ſtiano populo regendo præfecta , in
„ cenſura & damnatione librorum falli
„ poſſet , nec Spiritûs ſancti lumine ad
„ eorum pravum ſenſum erroresque co-
„ gnoſcendos illuſtraretur , non videre-
„ tur à Chriſto ſponſo iis omnibus in-
„ ſtructa dotibus , nec aucta privilegiis,
„ quæ ad paſcendos , ſanandos , regen-
„ doſque Fideles neceſſaria ſunt „ Hæc
Natalis , quæ commentariô non indi-
gent.

287 # EXERCITATIO DECIMASEXTA.

De ignorantia invincibili Juris naturalis.

Ad Cap. 1. §. 1. num. 29. & 30. Tractatûs I. Tom. 3. Theol. Univ.

Quidam Doctores Catholici contendunt nullam dari ignorantiam invincibilem Juris naturalis , ſed omnem eſſe vincibilem , ac proindè omnem actionem , quæ eſt contra Jus naturæ , ſemper eſſe formaliter peccaminoſam , quibus tamen communiùs contradicunt alii Doctores , quorum momenta hîc primò proferimus.

§. I.

Proponuntur ac ſolvuntur Argumenta admittentium ignorantiam invincibilem præceptorum naturalium. 288

Argumentum 1mum. petitur ex S. Scriptura & SS. Patribus. 1moquidem ex S. Scriptura ; nam Joan. 15. v. 22.

v. 22. dicit Christus: *Si non venissem & locutus eis fuissem peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* & v. 24. *Si opera non fecissem in eis* (hoc est inter illos) *quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* At undè illud, nisi quia ignorantia eos excusasset?

2do. Ex SS. Patribus; nam S. Chrysostomus hom. 13. in Ep. ad Rom. ait: *Nemo ignoranter peccavit* Atqui multæ sunt conclusiones præceptis naturalibus deductæ, quæ à multis invincibiliter ignorantur, qualia sunt præcepta, quæ prohibent aliquos contractus, qui re vera usurarii ac Simoniaci sunt; at tales evidenter non apparent, imò à multis Doctoribus, ut tales, non admittuntur. Concordat S. Augustinus lib. 3. de lib. arb. c. 16. ubi sic loquitur: *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quòd negligis quærere, quod ignoras.* Idem videtur docere S. Thomas; nam hìc q. 76. a. 3. inquirens an ignorantia excuset à peccato, sic articulum concludit: *si sit talis ignorantia, quæ omninò sit involuntaria, sive quæ est invincibilis, sive quæ est ejus, quod quis scire non tenetur, talis ignorantia omninò excusat à peccato.*

Resp. Adversæ partis Theologi, hæc testimonia tùm Sacræ Scripturæ, tùm SS. Patrum non esse ad propositum, eò quòd loquantur de ignorantia Juris positivi, non verò de ignorantia Juris naturalis; cùm enim ea, quæ sunt Juris naturalis, omnes scire teneantur, eorum nulla invincibilis ignorantia esse potest.

289 Argumentum 2dum. petitur à Ratione. 1mo. Nisi admittatur aliqua ignorantia invincibilis Juris naturalis, sequitur incredibilis conscientiæ perplexitas, imò & peccandi hìc & nunc inevitabilis & dura necessitas, quotiescunque aliquis probabiliter & bona Fide judicat aliquid sibi agendum esse, neque posse omitti sine peccato, & tamen Jure naturali illicitum est; nam si illud eligat agendum peccabit contra Jus naturale, si verò omittat, iterùm peccabit, quia aget contra proprium dictamen conscientiæ. Ergo &c.

Resp. Præfatam conscientiæ perplexitatem esse voluntariam, ac proindè neutiquam necessitatem nuncupari debere; nam, inquiunt, ignorantia Juris naturalis non aliundè proficiscitur, quàm ex perverso & pertinaci creaturarum amore, quo peccator se ab illo lumine continenter avertit, quod *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, cujus ductum si sequeretur, dùm affulget, nihil est in Jure naturali tàm abstrusum, quod esset clausum vel ignotum; sed quia mavult post concupiscentias suas ire, quàm illi oculos aperire, quid mirum, si imputetur ad culpam, quidquid ex illius Juris ignorantia perperam operatur.

2do. Arguitur. Potest contingere, ut nulla præcedat notitia obligationis sciendi aliquas remotiores Juris naturalis conclusiones, ratione cujus eam vincere possimus; si enim nulla cogitatio aut dubitatio præcesserit, non magis erit in nostra potestate earum cognitio, quàm sit Fides mysteriorum supernaturalium, quorum ignorantiam invincibilem dari posse constat. Ergo tunc dabitur harum conclusionum ignorantia invincibilis; cùm non sit in nostra facultate de ulla re deliberare, an amplectenda sit vel rejicienda, de qua nulla in mentem cogitatio venerit.

Resp. Inter Fidei mysteria, ac Juris naturalis præcepta hanc esse disparitatem, quòd illa lumine naturali non consentent, hæc verò ita hominum cordibus insculpta sint, ut non possint unquam oblitterari, & licèt vitiis pravisque moribus

ribus obscurari possint, ipsis tamen imputandum est, qui conscientiam se suique officii admonentem audire noluerunt, vel, ne moneret, voluntarium obicem posuerunt.

Arguitur 3tio. Nullum est peccatum, nisi sit voluntarium. Atqui nisi praecedat cognitio peccati, actus malus non erit voluntarius. Ergo neque peccatum. *Prob. min.* Voluntarium est à principio intrinseco cum cognitione. Ergo nisi praecedat cognitio iniquitatis, actus non poterit dici voluntarius.

Resp. Fatendum quidem esse actionem non posse vitio verti, si sit involuntaria; sed falsum omninò esse actionem definere esse voluntariam, si desit illa commentatio & reflexio actualis intellectûs considerantis & inquirentis bonitatem vel pravitatem ejus rei, in qua animus occupatur; tunc enim actio est satis superque voluntaria & à principio intrinseco, quando operans novit quid agat, nec ob aliud facit, nisi quia vult: etenim qui ex vehementi passionis impetu inter ludendum jurat, in comessationibus luxuriat, vix ac ne vix quidem de rerum, quibus occupatur, nefandarum malitiâ cogitat, & tamen voluntariè agit, & peccat.

Arguitur 4to. Quia, si omnis ignorantia circa Jus naturae sit vincibilis. Ergo, cùm juxta Adversarios etiam sit culpabilis, SS. Patres peccaverunt mortaliter, qui circa illud errarunt, adeoque probabiliter damnati sunt, quia istis suis ignorantiis probabiliter creduntur esse immortui. Sic S. Augustinus Ep. 8. ad S. Hieronymum docet simulationem non esse licitam, è contrà S. Hieronymus docet esse licitam, & pro se citat Origenem, S. Chrysostomum, Dydimum (*x*), & alios, ut refert S. Thomas in Ep. ad Galat. c. 2. lect. 3.

Resp. SS. Patres propter levitatem materiae fuisse à mortali excusatos, aut saltem pro peccatis gravioris ignorantiae poenitentiam egisse.

Arguitur 5to. Quia sequeretur peccare eum, qui probabilissimam sententiam eligit, cùm saepe falsa sententia sit probabilior verâ, ut omnes concedunt. Ergo hoc admitti nequit. Ergo &c.

Resp. Mirum non esse, si opinio relativè ad judicium peccatô corruptum sit saepe probabilissima, cùm eidem certa frequenter etiam videatur. Et tamen conscientia erronea Legi naturali adversa, teste S. Thoma, nunquam excusat; quia error ille ex voluntariè offusa mentis caligine nascitur. Laboranti etiam ignorantiâ vincibili saepè opinio sua videtur probabilissima. Ergo nec excusat à peccato.

§. II.

Proponuntur & solvuntur Argumenta negantium ignorantiam invincibilem circa praecepta naturalia. 29

ARgumentum 1mum. petitur ex S. Scriptura. Genes. 20. v. 3. habetur, quòd ignorantia non excusasset Abimelech à peccato, si Saram Abrahae uxorem duxisset in conjugem. *Custodivi te*, ait sacer textus, *ne peccares in me*, du-

(*x*) Didymus Alexandrinus Seculô 4tô. floruit. 5tô. aetatis annô oculis orbatus, eò tamen in divinis aequè ac profanis scientiis profecit, ut aevi sui miraculum haberetur. Multa, scripsit, quamvis pauca admodum supersint. S. Gregorius Nazianzenus ipsius fuit Discipulus. Ultra 83. annos vitam portraxit. Jam provectae aetatis ab Origene seductus illius opiniones amplexus est.

ducendo videlicet Saram in uxorem. Ergo &c.

Resp. 1mo. Ex eodem loco probari ignorantiam invincibilem; nam v. 4. respondet Abimelech, *Domine num gentem ignorantem & justam interficies?* En ignorantiam invincibilem.

Resp. 2do. *Dist. ant.* Ignorantia non excusasset Abimelech à peccato materiali, *conc.* Non excusasset ipsum à peccato formali, *neg. ant.*

291 Argumentum 2dum. desumitur ex SS. Patribus. 1mo. S. Augustinus Ep. 154. sic ait: *Si quis putaverit bonum esse, quod malum est, hoc putando utique peccat: ea sunt omnia peccata ignorantiæ, quando quisque benè fieri putat, quod malè fit.* 2do. Tertullianus de Spectaculis c. 20. *Erramus,* inquit, *nusquam, & nunquam excusatur, quod Deus damnat: nusquam & nunquam licet, quod semper & ubique non licet.* 3tio. S. Bernardus lib. de præcepto & dispens. c. 14. hæc eloquitur: *Sive itaque malum putes bonum, quod fortè agis, sive bonum malum, quod operaris, utrumque peccatum est.*

Resp. Sanctos Patres locis adductis solùm significare voluisse, eos, qui ex errore crasso aut vincibili, qui oritur ex negligentia addiscendi, putant bonum esse quod malum est, aut vicissim, peccare ex conscientia vincibiliter & scienter erronea, quæ non excusat à peccato. Undè quando Tertullianus dicit, *nunquam excusari, quod Deus damnat,* intelligi debet, quando adest error vincibilis.

Inst. S. Augustinus lib. 3. de grat. & lib. arb. c. 2. sic ait: *Aliud est nescire, aliud scire noluisse, voluntas quippè in eo arguitur, de quo dicitur: Noluit intelligere, ut benè ageret. Sed & illa ignorantia, quæ non est eorum, qui scire nolunt, sed eorum, qui tanquàm simpliciter nesciunt, neminem sic excusat, ut sempiterno igne non ardeat.* Ergo ex S. Augustino nulla datur ignorantia invincibilis, saltem circa præcepta naturalia, sed omnis ignorantia est vincibilis & culpabilis.

Resp. S. Doctorem loqui hîc de illis hominibus, quibus Evangelium non fuit prædicatum, adeoque de peccato infidelitatis negativæ, aitque eos, qui Legem Dei non audierunt, quamvis inculpabiliter, non tamen propterea esse excusabiles ab æterna damnatione, quia sunt obstricti saltem peccatô originali. Quare quoquo modo res fiat, legitimè & justè damnantur vel reatu originis, ut loquitur S. Augustinus, vel additamentô propriæ voluntatis. Ex quo ergo non sequitur, non dari ignorantiam invincibilem Juris naturalis; alioquin certè neque ignorantia invincibilis Juris positivi daretur.

Urg. S. Augustinus lib. 1. Retract. c. 15. expressè dicit, peccatum etiam ignoranter factum non posse esse sine voluntate; *quia,* inquit, *quod nesciens fecit, volens tamen fecit.* Ergo juxta S. Augustinum non datur ignorantia invincibilis.

Resp. *Dist ant.* Peccatum ignoranter commissum non potest esse sine voluntate vel Facti vel peccati, *conc.* tàm Facti quàm peccati, *neg. ant.* Voluntas Facti est, qua volumus Factum aliquod seu opus præcisè abstrahendo, utrum illud prohibitum sit vel non, v. g. comedere carnes, laborare serviliter, &c. voluntas verò peccati est, qua volumus Factum seu opus aliquod non præcisè secundùm se spectatum, sed etiam quatenùs cognoscimus illud esse prohibitum & illicitum, v. g. comedere carnes die Veneris, laborare die festo, &c.

292 Argumentum 3tium. petitur ab auctoritate S. Thomæ. Nam Quodlib. 9. a. 15. ait; *Error, quo non creditur esse peccatum mortale, quod est peccatum mortale, conscientiam non excusat à toto, licèt fortè à tanto.* Item Quodlib. 8. a. 13. *Illud*, inquit, *quod agitur contra Legem* (æternam vel naturalem) *semper est malum, nec excusatur per hoc, quod est secundùm conscientiam.* Et hîc q. 19. a. 6. ad 1. hæc habet; *Ad hoc, ut aliquid sit malum, sufficit, si re vera sit tale, sive credatur esse tale.* Ergo juxta S. Thomam nullum probabile falsum & Legi naturæ dissonum excusat à peccato, quod est contra Jus naturæ, quamvis appareat & existimetur verum.

Resp. S. Doctorem intelligendum esse de errore & ignorantia culpabili, prout interpretatur S.Antoninus 1.p. tr. 3. c. 10.§.10. ubi sic ait; *Hæc verba D. Thomæ* (quibus quodlib. 8. asserit, illud, quod est contra Legem, semper esse malum) *non possunt intelligi, nisi de his, ubi manifestè patet ex Scriptura, vel determinatione Ecclesiæ, quòd sint contra legem Dei, & non de illis intelligit, ubi non apparet, aliàs sibi contradiceret.*

293 Argumentum 4tum. petitur ab auctoritate antiquorum Theologorum, quales sunt Alensis, S. Bonaventura, Albertus Magnus, Durandus, Hugo Victorinus, Guillelmus Parisiensis, Altisiodorensis, & alii, qui docent nullam dari ignorantiam invincibilem Juris naturalis. Undè Gerson expressè ait: *Concors est sententia in his, quæ legis divinæ sunt, nullam cadere ignorantiam invincibilem.* Et Gratianus 1. q. 5. *Ignorantia*, inquit, *Juris naturalis omnibus adultis damnabilis est.*

Pro hujus Argumenti solutione Not. præcepta Legis naturalis ad tres classes reduci posse. Prima sunt universalissima, quæ non tam sunt dicenda præcepta, quàm præceptorum omnium principia; ut bonum faciendum, &c. Alia sunt, quæ ex istis per facilem discursum deducuntur: ut sunt præcepta non furandi, non fornicandi &c. Alia denique sunt, quæ ex his non nisi longo ac difficili discursu deducuntur. Hoc notatô

Resp. Memoratos Auctores non esse intelligendos de præceptis tertiæ classis, seu de remotioribus juris naturalis conclusionibus; sed solùm de præceptis primæ & secundæ classis.

Inst. S. Thomas hîc q. 94. a. 6. nonnisi duplicis generis admisit præcepta naturalia. Ergo prior divisio non subsistit. Deinde de præceptis secundariis ibidem ita loquitur: *Præcepta secundaria non delentur à cordibus, nisi propter pravas consuetudines & habitus pravos.* Ergo eorum ignorantia non est inculpabilis.

Resp. S. Doctorem ibidem vocare *præcepta secundaria* ea, *quæ sunt quasi conclusiones propinquæ principiis.* At certū est, etiam fatentibus Adversariis præter conclusiones principiis propinquas etiam dari remotiores Juris naturalis, quod nunquam negavit S. Thomas. Quando autem idem S. Thomas dicit; *præcepta secundaria non deleri à cordibus nisi propter pravas consuetudines, &c.* addit etiam, *propter malas persuasiones*, quæ aliundè sine culpa advenire possunt. Vel dicendum, quòd S. Doctor loquatur de præceptis secundariis magis propinquis, non verò de remotioribus, seu quæ sint tertiæ classis

Argumentum 5tum. sumitur ex Cap. 293 *T. Ex tuarum.* de Sortilegio. Nam ibi exaggeratur crimen Presbyteri, qui forte divinaverat furem, quamvis ex bono zelo & simplicitate id se fecisse diceret. Ergo &c.

Resp. In foro externo præsumebatur se fecisse cum sufficienti cognitione malitiæ

litiæ ; videbatur enim advertere inspectionem astrolabii ab infami homine factam esse illicitam.

294 Argumentum 6tum. sumitur ex rationibus. Itaque Arguitur 1mo. Ignorantia Juris naturæ est pœna peccati originalis, quod in Adamo nobis fuit voluntarium ; imò quandoque est pœna peccati nostri personalis. Ergo non excusat, ac proindè non datur ignorantia invincibilis Juris naturalis. Et ideò dicit S. Thomas in c. 1. ad Rom. lect. 7. *Ignorantia nata ex culpa non excusat.*

Resp. 1mo. Hoc Argumentum nimium probare, quia indè sequeretur nullam Juris positivi dari ignorantiam invincibilem.

Resp. 2do. *Neg. conf.* Quia alioquin peccata ex stultitia commissa etiam imputarentur ad culpam, eò quòd stultitia sit pœna peccati originalis, ac consequenter nobis voluntaria. Sed hoc est absurdum, & contrarium facilè patet ex propositione 1ma. ab Alexandro VII. damnata, quæ sic sonat: *In statu naturæ lapsæ ad peccatum mortale & demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in causa sua peccatô originali & voluntate Adami peccantis.*

Dices. Commune est adagium: *Quod sequitur ex voluntario est voluntarium.* Ergo &c.

Resp. *Dist. ant.* Si sequatur ex voluntario per propriam voluntatem & non retractatô, *conc.* secùs, *neg. ant.* Porro Originale peccatum nonnisi per voluntatem Adami nobis fuit voluntarium; insuper ab eo & à Christo fuit retractatum.

Inst. Saltem ignorantia Juris naturæ vinci posset per lumen gratiæ, quam quisque tenetur petere, & dabit Deus, ut habet S. Thomas Opusc. 73. in procem.

Resp. 1mo. Idem valere de ignorantia Juris positivi; cujus tamen datur ignorantia invincibilis.

Resp. 2do. Non omnes ignorantias illas vinci posse per gratiam ordinariam ; licèt autem vinci possint per extraordinariam, non tamen ideò desinit esse ignorantia invincibilis, aliàs nec Jus positivum posset invincibiliter ignorari, quia vinci posset hæc ignorantia per gratias extraordinarias.

Argumentum 7mum. Si detur ignorantia invincibilis legis naturalis, hæc lex frustra erit, quia erit incognoscibilis, adeoque observatu impossibilis. 295

Resp. 1mo. Idem valere contra ignorantiam invincibilem legis positivæ.

Resp. 2do. *Neg. seq.* Nam saltem aliqui eam agnoscunt, vel agnoverunt, vel suo tempore agnoscent. Undè ejusmodi Lex nec per se, nec absolutè est incognoscibilis, quamvis non sit proximè observabilis respectu illorum, qui ignorant, quòd per accidens est, & eam reddit aliquibus tantùm hîc & nunc inobservabilem.

Inst. Lex naturalis est simul divina, stultum autem est cogitare, quòd Deus aliquid velit fieri à nobis, & simul nolit id à nobis sciri. Ergo cùm sit sapiens, nec possit velle finem obtineri nisi subministratis mediis necessariis, etiam dedit nobis, ut scire possimus, si faciamus, quod in nobis est. Ergo talis ignorantia nobis non est invincibilis.

Resp. 1mo. Omnia ista valere de ignorantia Legis positivæ, quæ tamen potest esse invincibilis.

Resp. 2do. Deum non velle aliquid fieri à nobis, nisi supposita cognitione illius, & agnita obligatione faciendi ; talem autem cognitionem non semper dat, nec dare tenetur, quamvis sit infinitè sapiens.

296 Argumentum 8vum. Qui agit contra particularem legem naturæ, etiam agit contra universalem, sub qua illa particularis continetur; non potest autem dari ignorantia invincibilis talis legis universalis. Ergo nec illius particularis sub ea contentæ.

Resp. 1mo. Idem valere de Lege positiva, v. g. qui agit contra qualecunque præceptum particulare humanum, etiam agit contra illam Legem universalem: *parendum est præcepto legitimi Superioris*; & tamen dari potest ignorantia invincibilis particularis præcepti humani, licèt dari non possit illius universalis legis.

Resp. 2do. *Neg. conf.* Quia licèt aliquis sciat Legem universalem, tamen potest errare in applicatione illius ad particulare operabile.

297 Argumentum 9num. Natura ipsa refugit illa, quæ sunt contra Jus naturæ, hinc Tertullianus contra Marcion. lib. 5. c. 13. ait: *Ipsa nos docet natura, quæ legis est instar ignorantibus legem.* Et ideò etiam actus, qui fiunt contra legem naturæ, tales sunt, ut coram aliis non audeamus facere illos. Ergo convincimur nos satis eorum agnoscere inhonestatem.

Resp. Id tantùm valere de illis, quæ sunt clarè contra prima principia Juris naturæ, non autem de aliis, de quibus prudenter dubitatur, sintne licita nec ne, qualia sunt innumera; & talia non refugit natura agere, quamvis fortè sint contra Jus naturæ. Et licèt quis nollet aliquid agere coram alio, non ideò statim agnoscitur moralis illius inhonestas; nam honesta & naturalis verecundia vetat quædam fieri publicè, quæ tamen non sunt moraliter inhonesta, uti per se patet.

§. III.

Verior sententia eligitur. 298

PRior sententia est communissima nostri ævi Theologorum, adeoque posteriori meritò præferenda videtur, præsertim cùm Responsiones Adversariorum ad Argumenta prioris sententiæ facili negotiò dissolvi possint.

Itaque contra Responsionem ad Argumentum 1mum. est, quia SS. Patres loquuntur de iis, quæ scire nequeunt, aut quæ quis scire non tenetur. Atqui multæ sunt conclusiones deductæ ex primis principiis, quas non omnes scire tenentur; quod sic evincitur: Multæ sunt conclusiones, quæ nonnisi magno labore ac difficili discursu ex primis principiis, aut potiùs ex præceptis Juris naturalis eruuntur. Atqui has conclusiones scire non tenentur rustici & indocti, aut saltem eas scire nequeunt; nam homines isti hujusmodi discursûs sunt incapaces, ac proindè præfatas conclusiones seu veritates neutiquam scire possunt, minùs tenentur, cùm ad impossibile nulla sit obligatio, impossibilis autem sit hujusmodi hominibus harum veritatum notitia, cùm media ad eam necessaria in eorum potestate non sint.

Dices: possunt hujusmodi homines instructionem petere à doctioribus, præsertim à suis Parochis. Ergo &c.

Resp. Ad eos non semper patere aditum. Deindè datô, quòd via nunquam occlusa sit, sæpè sæpiùs tamen dubia circa legem naturalem resolvere nequeunt, cùm de his inter Magistros & Doctores non infrequenter lis sit & controversia, aliis affirmantibus, aliis verò negantibus.

Prætereà hæc nostra responsio magis corroborari videtur ex verbis S. Augusti-

ni

ni dum ait Ep. 105. *In illis, qui non audierunt, neque potuerunt, pœna peccati est non credere.* Non dicit *peccatum*, sed *pœna peccati.* Atqui similiter in Jure naturæ aliqui rustici sunt, qui non audierunt, neque potuerunt aliquem consulere de remotioribus Juris naturæ consectariis. Ergo in illius ignorantia non est peccatum, sed solùm pœna peccati.

299 Contra Responsionem ad Argumentum secundum est; quia licèt id, quod in Responsione dicitur, verum sit, quantùm scilicet ad eos attinet, qui peccant ex ignorantia Juris naturalis, prout continet præcepta secundaria; falsum tamen est quoad eos, qui ignorant conclusiones Juris naturalis remotiores; nam harum ignorantia non tollitur per piam vitam, sed potiùs per studium; alioquin rusticus aliàs justus scire posset omnia Juris naturalis dubia resolvere, quod tamen viri sanctissimi simul & doctissimi non potuerunt. Sic S. Hieronymus, ut jam alibi dictum, existimabat simulationem esse licitam; sic Cassianus vir doctrina & sanctitate conspicuus, item Marulus, & alii putaverunt mendacium officiosum aliquando esse licitum, v. g. si per illud possem patriam ab interitu, aut hominem ab æterna damnatione eripere, &c.

300 Contra Responsionem ad Argumentum 3tium. seu potiùs ad Inst. Argumenti 2di. à ratione petiti est, quia sicut mysteria sciri nequeunt, nisi prædicatione Evangelizantium innotescant, ita pariter multæ conclusiones Juris naturalis remotiores sciri nequeunt, nisi in his indocti à doctioribus instruantur. Ergo sicut ob defectum prædicationis mysteria Fidei invincibiliter ignorari possunt, ita similiter veritates quædam Juris naturalis remotiores ob defectum instructionis invincibiliter ac inculpabiliter ignorari poterunt, & quidem à fortiori, cùm hujusmodi veritates non sint scitu necessariæ necessitate medii, quemadmodum mysteria Fidei.

Præterea vult Deus, quantùm est in se, omnes ad agnitionem Fidei venire; undè qui non illuminantur, suâ culpâ lumine Fidei privantur, quia videlicet lumini ponunt obicem. Et tamen juxta S. Augustinum & S. Thomam, ut fatentur Adversarii, in hujusmodi hominibus, qui non audierunt, non est peccatum, sed pœna peccati, non credere. Ergo pariter licèt etiam concederetur, quòd multi suâ culpâ, utpote creaturarum amore, obcœcati Juris naturalis remotiores ignorent conclusiones, nihilominùs, si tamen de iis nihil prorsus unquam audierunt aut audire potuerunt, peccatum non erit eas non audire, sed pœna peccati.

Contra Responsionem ad Inst. 3tiam. est; quia facilè conceditur, quòd homo ex vehementi passionis impetu jurans ex voluntario imperfecto juret; negatur autem, quòd tunc liberè seu ex voluntario perfecto juret: deest enim hîc libertas, quia abest indifferentia, ac proindè omnis culpa tunc abesse necessum est. Falsum ergo est ad malitiam peccati non requiri actualem reflexionem intellectûs; si enim hæc absit nec esse possit, actio, licèt alioquin peccaminosa, formaliter talis jam esse non poterit. 301

Contra Responsionem ad Inst. 4tam. est; quia si materiæ levitas excusat à peccato. Ergo etiam negligentiæ levitas excusabit à peccato saltem mortali. Ergo ubi nulla est negligentia, nullum quoque erit peccatum, ac consequenter cui nunquam incidit dubitare, aut, si incidit, dummodò moralem diligentiam adhibuerit in inquirenda veritate, hac non inventâ, si bona fide perrexerit, perget ex ignorantia invincibili. 302

Præterea in multis quæstionibus Juris naturæ, quæ praxim respiciunt, Schola Thomistica docet hanc partem Scotisticæ con-

contradictoriam, atque necesse est alterutram partem errare. Idem est de Doctoribus, Advocatis, Consiliariis sæpe in materiis Juris naturalis diversa docentibus & suadentibus, si omnis error hîc est vincibilis. Ergo errantes graviter peccant, & plerique damnantur; quia suis opinionibus immoriuntur. Sic ergo omnes tenebuntur dimittere munus Advocati, Consiliarii, Judicis, &c. ne exponant se periculo proximo errandi circa Jus naturæ.

303 Porrò tota ratio Responsionis ad Argumentum seu Inst. ultimam vel ex hoc corruit, quòd licitum sit sequi sententiam probabilissimam; nam contraria propositio damnata est ab Alexandro VII. nempè: *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.* Imò quod adhuc magis est, Romæ an. 1685. die 8. Augusti hæc propositio, quam quidam Lovanienses Theologi defenderant confixa est: *Nullam admittimus ignorantiam invincibilem Juris naturæ in ullo homine, dum hîc & nunc contra Jus naturæ agit.*

Cæterùm malè censurâ afficeretur posterior sententia ex eo, quòd scilicet videatur quodammodò favere opinioni Lutheri & Jansenii, illius quidem dum ait: *Scholastici dicunt invincibilem ignorantiam reddere excusabiles; tanta cæcitas est in Papæ Scholis.* Jansenii verò, qui tuetur ignorantiam invincibilem Juris naturalis nunquam excusare à peccato, benè tamen ignorantiam Juris positivi. Nam hujus sententiæ Patroni ajunt se nullatenùs asserere nullam ignorantiam invincibilem excusare à peccato, sed solummodò nullam dari ignorantiam Invincibilem Juris naturalis.

304 EXERCITATIO DECIMASEPTIMA.

De Actibus humanis indifferentibus.

Ad Cap. 3. §. unic. num. 156. & seq. Tractatûs I. Tom. 3. Theol. Univers.

Dari actus humanos, qui secundùm speciem sint indifferentes, communissima est sententia. At maior controversia est Thomistas inter & Scotistas de Actibus humanis in individuo, an scilicet indifferentes esse possint. Affirmant Scotistæ, negant verò Thomistæ.

§. I.

305 *Proponuntur ac solvuntur Argumenta Thomistarum.*

Argumentum 1mum. petitur ex S. Scriptura. Eccles. ult. dicitur: *Cuncta, quæ fiunt, adducet Deus in Judicium.* In quem locum sic ait S. Hieronymus: *Quidquid à nobis gestum est, stabit sub Judice & ancipitem spectabit sententiam.* Atqui solummodò pro actibus bonis aut malis fertur Judicium ac sententia. Ergo &c.

Resp. AA. Actus humanos indifferentes etiam adducendos esse in Judicium, ut innotescat, an fuerint facti secundùm regulam rationis illos permittentis, vel an fuerint vitiati per aliquam malam circumstantiam.

Ar-

306 Argumentum 2dum. petitur ab auctoritate SS. Augustini & Thomæ. S. Augustinus lib. 2. de remiss. & merit. c. 18. sic ait: Mirum, si voluntas potest in medio quodam ita consistere, ut nec bona nec mala sit; *aut enim justum diligimus, & bona est; aut justum non diligimus, & bona non est.*

Resp. S. Doctorem hîc non accipere voluntatem pro volitione, sed pro ipsa potentia voluntatis, & negare medium inter voluntatem bonam & malam, nimirum justam & injustam.

S. Thomas q. 2. de malo, a. 5. in ⊙. sic loquitur: *Si loquamur de actu morali secundùm individuum, sic quilibet particularis actus moralis, necesse est, quòd sit bonus vel malus propter aliquam circumstantiam, &c.* Idem docet 1. p. q. 18. a. 9. in ⊙. & alibi.

Resp. Fatendum esse S. Thomam sibi contrarium esse. Undè ab ipsis hîc deferendum esse.

307 Argumentum 3tium. petitur ex variis Rationibus. Itaque Arguitur 1mo. Dum homo agit liberè & advertenter, agere debet ut homo, seu conformiter ad rectam rationem. Atqui recta ratio dictat præfigendum esse actualiter vel virtualiter finem honestum actionibus nostris. Ergo &c.

Resp. *Dist. maj.* Debet agere conformiter ad rectam rationem, id est, nihil debet agere contrà, *conc.* Debet agere secundùm rectam rationem, *subdist.* Debet agere positivè vel permissivè, *conc.* necessariò & semper positivè, *neg. maj.* Itaque recta ratio aliquos actus præcipit, aliquos prohibet, aliquos permittit: dùm præcipit aut prohibet, tenemur positivè agere secundùm ipsam; aliàs actus noster esset ipsi positivè disconveniens, adeoque malus. Quando autè aliquid permittit, id est, præcipit nec prohibet, quod accidit in actionibus, quæ valdè leviter aut quasi nihil conferunt ad vitæ conservationem, satis est, ut non peccemus, si rectæ rationi negativè conformemur, seu nihil contra ipsam agamus.

Inst. Homo debet etiam positivè agere conformiter ad rectam rationem. Ergo &c. *Prob. ant.* Quia alioquin operabitur præcisè ut animal, scilicet propter naturæ commoditatem.

Resp. *Neg. ant.* ad ejus *prob. Dist.* operabitur propter naturæ commoditatem, liberè tamen & moderatè ac sine excessu, seu secundùm regulam à ratione præscriptam, quod non convenit brutis, *conc.* aliter, *neg.*

Inst. Indignum est homine ad cœlum nato quòd agat propter solam delectationem ac naturæ commoditatem.

Resp. Hoc verum esse, si ejusmodi delectatio sit immoderata, secus si sit moderata.

Inst. Damnata est ab Innocentio XI. sequens propositio: *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpâ ac defectu veniali.* Ergo sive delectatio moderata sit, sive non, semper tamen peccaminosa erit actio propter solam delectationem exercita.

Resp. *Dist. cons.* Ergo actio semper peccaminosa erit, si delectatio sit finis à natura intentus, *neg.* Si non sit & assumatur, *conc. cons.* Hoc autem fit in dicta propositione, ubi voluptas assumitur tanquam finis operis conjugalis, ut patet ex illis verbis: *propter solam voluptatem*, qui tamen ejus finis non est, sed solùm procreatio prolis. Nos autem, inquiunt, quando asserimus licere quandoque operari propter delecta-

lectationem moderatam, id tantum volumus tunc, quando delectatio est finis à natura intentus, ut delectatio oculorum ex visione pulchri, aurium ex musica, &c.

Inst. Saltem tunc prodigitur tempus. Ergo &c. Resp. Sicut non est prodigus temporis, qui paululum quiescit ab omni actu, ita à fortiori nec qui agit interdum ob moderatam delectationem.

Inst. Facta hujusmodi sunt otiosa. Ergo mala. Resp. sunt otiosa in ordine ad vitam æternam, *conc.* Sunt otiosa absolutè & simpliciter, *neg.* Habent enim suam utilitatem naturalem, seu cedunt in bonum naturæ, cui quandoque succurrendum est.

Inst. Similia non conducunt ad finem ultimum. Ergo sunt otiosa simpliciter.

Resp. *Dist. ant.* Non conducunt ad finem ultimum proximè, *conc.* Remotè, *neg. ant.* Conducunt enim ad naturæ utilitatem aut recreationem, quæ recreata ac refocillata faciliùs Dei obsequia exequitur.

Inst. Hujusmodi actus, qui ita conducunt ad finem ultimum saltem remotè sunt boni. Ergo hoc ipso non dantur actus indifferentes. *Prob. ant.* Quia tales actus sunt conformes rectæ rationi. Ergo &c.

Resp. cum distinctione: sunt conformes rectæ rationi dictanti rem esse commodam, *conc.* dictanti rem esse honestam, *subdist.* quando notabiliter confert ad vitæ conservationem aut naturæ levamen, *conc.* quando nonnisi levissimè aut ferè nihil confert ad naturæ levamen, *neg. ant.* Quia recta ratio non judicat aliquid honestum, nisi sit laude dignum, quale non reputatur v. g. fricare manus, barbam scalpere, spuere, &c.

Arguitur 2do. Si darentur Actus indifferentes, darentur & habitus. Atqui omnis habitus in voluntate residens vel est virtus, vel vitium. Ergo &c.

Resp. *Dist. min.* Habitus, qui est alicujus considerationis, vel est virtus vel vitium, *conc.* qui nullius est considerationis aut ferè nullius in ordine ad mores componendos, qualis est habitus indifferens, *neg. min.*

§. II.

Proponuntur ac solvuntur Argumenta Scotistarum. 308

Argumentum 1mum. petitur ab auctoritate S. Hieronymi Ep. 89. ad Augustin. ubi *Bonum est*, inquit, *continentia, malum est luxuria, inter utrumque indifferens ambulare, sputis rheumata jacere, hoc nec bonum nec malum est.* Et ne quis dicat S. Doctorem loqui duntaxat de actibus secundùm speciem indifferentibus, subjungit: *Sive enim feceris sive non feceris, nec justitiam habebis nec injustitiam.* quibus verbis significat actus in individuo positos, quidquid enim fit, utique fit in individuo, cùm actiones sint singularium.

Concordat S. Gregorius Nazianzenus Orat. 3. in Julianum, ubi admittit medium inter dignum pœnâ & laude, quod est admittere medium inter bonum & malum morale, adeoque indifferens.

Resp. 1mo. ad 1mum. S. Hieronymum plùs non voluisse, quàm actus hujusmodi non habituros justitiam vel injustitiam, nec esse bonos vel malos moraliter, quantùm præcisè est ex specie & objecto. Nec obstat, quòd addatur, *Sive feceris, &c.* nam actus quoad speciem indifferentes, licèt contrahantur ad esse individuale, nunquam tamen amittunt hanc indifferentiam. Undè eo sensu verum est dicere, *si quis eos fecerit vel non fecerit, nunquam tamen indè habiturum justitiam vel injustitiam;* at per hoc non negatur, quòd ex fine vel circumstantiis, quæ objecto accidunt, hujusmodi actus non possint esse boni vel mali moraliter.

Resp.

Resp. 2do. S. Doctorem agere quidem de actibus in individuo, sed tamen velle duntaxat exercentem illos nec justitiam nec injustitiam habere ex eò præcisè, quòd illos exerceat, quod verissimum est, quia si hujusmodi tantùm appetantur ut bonum rationi consonum, neque ab operante in finem supernaturalem directè referantur, licèt tunc quidem sint honesti, nunquam tamen justitiam, utpotè quæ ordinis supernaturalis est, conferre poterunt: quòd si verò in nullum prorsus finem ordinentur, quamquàm tunc sint otiosi, nunquam tamen ad rationem injustitiæ pertingent, quia alioquin sequeretur, quòd Justus actum otiosum exercens justitiam amitteret (ubi enim injustitia, ibi justitia locum habere nequit) quod tamen nemo sapiens dixerit.

Ad Auctoritatem S. Gregorii Resp. eum esse intelligendum non de statu aliquo medio inter bonum & malum, sed de medio inter perfectum & peccaminosum: loquitur enim loc. cit. de viro perfecto, qui non tantùm ea, quæ præcipiuntur, sed etiam ea, quæ non præcipiuntur & sunt de consilio tantùm, facit, ex quo laude & præconio dignus est. Ex hoc autem gratis deducitur dari actum in individuo indifferentem.

309 Argumentum 2dum. Dantur actus indifferentes secundùm speciem. Ergo etiam in individuo. *Prob. cons.* Non datur species, quæ sub se non habeat aliquod individuum saltem possibile, ut dicitur in Logica. Ergo si datur actus indifferens quoad speciem, datur etiam quoad individuum.

Resp. *Neg. cons.* Ad ejus *prob. Dist. cons.* Ergo si &c. datur etiam actus indifferens quoad individuum consideratus præcisè in ratione objecti, *conc.* consideratus etiam in ratione finis & circumstantiarum, *neg. cons.* Vel aliter *dist. cons.* Ergo etiam datur actus hominis indifferens quoad individuum, *conc.* Actus humanus deliberatè & cum advertentia rationis factus, *neg. cons.*

310 Argumentũ 3tium. Datur objectum ex natura sua indifferens, quod nec honestatem nec malitiam involvit. Ergo potest quis circa illud ut tale operationem suam exercere. *Subsum.* Atqui talis operatio nec erit bona, ut per se patet, nec mala; non enim mala erit ex objecto, quia illud nullam in se continet malitiam; nec ex carentia finis honesti, cùm homo non semper teneatur suam operationem positivè ad finem honestum dirigere, sed solùm illam non exercere propter finem malum. Ergo &c.

Resp. *Dist. ant.* Datur objectum ex natura sua indifferens &c. si præcisè ratione sui attenditur, *conc.* Si in ordine ad finem & intentionem operantis consideratur, *neg. ant. &c.* Præterea negatur, quòd homo suam operationem non teneatur ad finem honestum dirigere; cùm enim homo sit naturâ rationali præditus, ideò quoties operatur cum consilio & deliberatione rationis, tenetur operari ut homo & convenienter suæ naturæ, ac proinde juxta exigentiam & inclinationem naturæ rationalis. Ergo tenetur operari in ordine ad bonum rationis seu honestum, quod est finis talis naturæ; alioquin non agit ut homo, sed ut animal, & assimilatur jumentis insipientibus, quibus non est intellectus.

Argumentum 4tum. Si teneremur actiones nostras semper dirigere ad finem honestum, sequeretur, quòd peccaremus omni ferè momentô in omni opere, quia rarò certè de hujusmodi relatione cogitamus. Atqui hoc esset nimis rigidum, & nimiam torturam conscientiis imponeret. Ergo &c. 311

Resp. *Dist seq. maj.* Sequeretur, quòd omni ferè momentô peccaremus, si semper ageremus deliberatè & cum adverten-

tentia rationis absque fine honesto, *conc.* Si sæpissimè non agimus deliberatè, &c. *neg. seq. maj.* Valdè autem frequenter contingit, quòd agamus omninò inadvertenter, adeoque non peccemus. Prætereà non est tanta conscientiæ tortura obligari hominem omnes suos actus referre ad finem honestum, quantam fortè sibi imaginantur Adversarii; non enim necessariò requiritur actualis relatio in bonum honestum, sed sufficit virtualis. Undè etsi quis accedens v. g. ad mensam non cogitet de conservatione vitæ, sed solùm de corporis refectione, non tamen propterea peccat; quia talem refectionem propter vitæ conservationem, quæ finis honestus est, saltem virtualiter vult, sicque non inordinatè eam appetit: *Nam hoc ipsum, quod aliquis agit ordinatè ad sustentationem vel quietem sui corporis, ad bonum virtutis ordinatur in eo*, ut ait S. Thomas hîc a. 9. ad 3. Et in 2. dist. 40. quæst. unic. a. 5. in fin. ☉. dicit, *quòd comedere servatò modò temperantiæ, ludere servatò modò eutrapeliæ, sint opera bona virtutis.* Ex quo patet, ejus sententiam non esse nimis rigidam & austeram, nec jugum importabile, nec labyrinthum scrupulosis conscientiis inextricabilem, ut causantur Adversarii, imponere.

312 Argumentum 5tum. Ex his sequeretur, quòd opera ob solum commodum naturæ facta essent bona. Atqui hoc est falsum. Ergo &c. *Prob. min.* 1mo. ex eo, quia opera bona solùm sunt objectum virtutis non naturæ. 2do. Possent esse materia voti & Juramenti. 3tio. In homine justo possent esse meritoria vitæ æternæ. Atqui hæc omnia falsa sunt & absurda. Ergo &c.

Resp. *conc. seq.* quòd scilicet opera ob commodum naturæ rationalis nempe, & rationabiliter facta, sint bona & honesta. *Neg. min.* Ad ejus *prob.* quoad 1mum. Resp. negativè conformiter ad doctrinam S. Thomæ paulò antè citatl. Quoad 2dum. & 3tium. Resp. iterùm negativè; quia votum & juramentum debent esse de meliori bono, & ad meritum supernaturale plus requiritur, quàm ad meritum tantùm morale ordinis naturalis, uti per se constare videtur.

Argumentum 6tum. Si Actus humani, quos dicimus esse secundùm speciem indifferentes, toties essent moraliter mali, quoties in finem honestum non referuntur, deberent etiam esse materia confessionis: quis autem unquam cogitavit, aut quis non velut scrupulosus à Confessario repelleretur, si nihil aliud confiteretur, quàm præcisè tantùm, se v. g. lavasse manus, fricasse barbam, &c. Ergo signum est hujusmodi actus non esse malos, etiamsi non dirigantur ad finem honestum. 313

Resp. Actus tales esse materiam confessionis, si deliberatè ab agente procedunt, nec tamen vel actualiter vel saltem virtualiter in finem honestum diriguntur & ordinantur. Quòd autem hujusmodi actus à Fidelibus non soleant in Confessionali explicari, id ideò fit, quia plerumque fiunt indeliberatè, & sunt actus hominis potiùs quàm actus humani; nequè adeò facile est in praxi discernere, an hujusmodi actus aliquis suo debito fine caruerit, & an non, saltem virtualiter, fuerint relati in finem honestum; undè ordinariè sunt materia dubia, & ideò prudens Confessarius debet rarò ab iis absolvere, sed potiùs pœnitentem eo adducere debet, ut peccatum certum, quamvis jam semel confessum confiteatur, ut absolutionis beneficium percipere possit.

Argumentum 7mum. Alexander VIII. 314 an. 1690. 24. Aug. damnavit hanc propositionem num. 7mam. *Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio vel mundi; si Dei, charitas Patris est; si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est.* Rur-

Rursus Gregorius XIII. damnavit hanc propositionem Michaëlis Baji num. 38. *Omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas, aut mundus diligitur; aut laudabilis illa caritas, qua per Spiritum sanctum in corde diffusâ Deus amatur.* Ergo datur amor præscindens ab his ambobus amoribus, consequenter indifferens.

Resp. Ad salvandam damnatis istis propositionibus oppositam veritatem non requiritur dari actum in individuo indifferentem, sed sufficit dari actum moraliter bonum & honestum intra ordinem naturæ; talis enim actus nec esset actus charitatis supernaturalis, nec peccatum. Undè hoc Argumentum nihil evincit.

315 Argumentum 8vum. Ubi non datur Lex obligans, ibi etiam non datur prævaricatio Legis. Atqui non datur Lex obligans hominem, ut omnem actum suum ex deliberatione rationis procedentem ordinet ac referat in finem honestum alicujus virtutis. Ergo in tali homine non ordinante omnes actus suos in finem honestum non datur prævaricatio Legis; consequenter possunt dari actus humani, qui in individuo nec boni nec mali moraliter sunt, sed merè indifferentes. *Prob. maj.* Illa Lex ejusque obligatio non datur, quam tot Sapientes ignorant. Atqui universa subtilis Schola, multique alii sapientes juxtà & doctissimi viri Legem hanc ignorant. Ergo &c.

Resp. Ad hoc, ut Lex obliget, necessarium haud esse, quòd ejus existentia illique annexa obligatio sit lumine naturæ evidenter nota, sed sufficere, quòd quis prudenter judicare possit dari talem Legem, & consequenter obligare ad id, quod præcipit, faciendum, eò quòd pro obligatione talis Legis inveniat majus ac urgentius fundamentum auctoritatis & rationis. Undè cùm habeamus, inquiunt, auctoritatem SS. Augustini & Thomæ necnon aliorum, ac insuper urgentissimum fundamentum seu rationem in ipsa natura Agentis rationalis & moralis fundatam, multò probabilius est dari talem Legem seu præceptum referendi omnem actum humanum ex deliberata ratione procedentem in honestum finem.

Argumentum 9num. Qui sequitur opinionem totius Scholæ Scotisticæ, quam probabiliorem existimat, & ex deliberatione rationis elicit actus indifferentes ex objecto, nullum alium finem sibi præstituendo; talis utique operatur citra peccatum. Ergo saltem dependenter ab usu licito opinionis magis probabilis dantur actus indifferentes. 316

Resp. Operationem in eo casu fore simpliciter bonam & honestam; quia, licèt operans judiciô remotô & speculativô, seu in actu signato existimet se elicere actum indifferentem, nihilominùs tamen, cùm judiciô practicô & proximô judicet se licitè ac prudenter talem actum elicere, adeò ut licitas objecti & ejus conformitas cum regulis prudentiæ sit ipsi proximum operandi motivum, hinc in actu exercito amplectitur motivum honestum seu consonum rectæ rationi; consequenter elicit actum moraliter bonum & honestum.

Inst. Opinio probabilis talem facit actum, qualis ab ea proponitur; cùm censeatur illum prudenter proponere. Atqui opinio in tali casu actum illum proponit ut indifferentem, non verò ut bonum & honestum. Ergo talis actus est indifferens & non bonus.

Resp. *Dist. min.* Opinio probabilis in tali casu actum proponit ut indifferentem non verò ut bonum in actu signato, *conc.* in actu exercito, *neg. min.* &c. solutio patet ex priori.

317 ## §. III.

Verior sententia eligitur.

INter oppositas binas has sententias, quamvis Scotistica sua probabilitate haud careat, præferenda tamen est S. Thomæ sententia utpotè probabilior.

Fundamentum est; quia quidquid appetit voluntas necessariò appetit ut bonum; bonum autem cùm triplex tantùm sit, honestum videlicet, delectabile & utile; sic quidquid ipsa appetit, illud necessariò appetere debet propter unum ex his tribus bonis. Atqui nullum ex his potest respectu voluntatis esse indifferens ad bonitatem & malitiam moralem, sed necessariò vel erit bonum rationi consonum, vel malum rationi dissonum; nam bonum honestum nequit esse indifferens, cùm ex se sit rationi maximè consentaneum. Nec bonum delectabile, quà delectabile est formaliter, potest esse indifferens; quia semper includit negationem ordinis debiti à natura præscripti. Nec bonum utile potest esse indifferens; quia, cùm hoc non appetatur nisi vel ut conducens ad bonum honestum, vel ad delectabile; aut erit bonum ex fine honesto; aut malum ex fine delectabili.

318 Una aut altera tantùm superest difficultas, in qua fundamentum præcipuè ponunt Scotistæ, ut visum est §. 1. 1mo. Dicunt, quòd sint aliquæ actiones per se tantùm ordinatæ ad oblectandum, ut visio pulchri ad oblectandos oculos, olfactio odoris ad oblectandas nares, musica ad aures recreandas. Ergo saltem istæ poterunt propter solam delectationem licitè exerceri. 2do. Multæ sunt operationes humanæ non necessariæ, sed tantùm utiles & commodæ naturæ rationali, ut deambulare, fricare manus, &c. Hæc & similia nec honesta sunt, cùm non sint ad naturam conservandam necessaria; nec mala, cùm ex objecto suo nullam habeant malitiam; erunt igitur indifferentia.

Verùm contra 1mum. est, quia nulla operatio ad solam delectationem tanquam ad ultimum finem ordinatur, sed ultrò semper tendit ad finem commodum & utilem naturæ. In visio pulchri, auditio concentûs finaliter ordinantur ad excitandos exhilarandosque spiritus, qui deserviunt ad operationes humanas obeundas; olfactio odoris ordinatur ad cerebrum confortandum.

Contra 2dum est; quia, cùm hæc ipsa naturæ commoda à voluntate appeti non possint, nisi vel propter puram delectationem, quam secum afferunt, & sic erunt mala, minimè autem indifferentia; quia semper malum est operari propter solam operationis delectationem; vel propter bonitatem utilem, quam afferunt naturæ illam in suo esse meliùs conservando; & sic erunt bona & honesta, quia semper bonum est operari ea, quæ & quà utilia eidem sunt. Quod sic

Probatur: Licitè & honestè possumus hæc naturæ commoda aliis procurare & intendere. Ergo & nobis, qui nobis ipsis arctiori vinculo tenemur vitam conservare quàm aliis. *Ant.* patet; quia non solùm honestè operamur, dùm proximo in gravi necessitate constituto subvenimus, verùm etiam dùm commoda naturæ amicis liberaliter subministramus. Ergo non solùm honestè operamur, dùm propriæ naturæ quasi graviter laboranti subvenimus, sed etiam dùm commoda juxta prudentiæ præscriptum illi procuramus. Et ex his facilè solvi poterunt omnia responsa Scotistarum ad Instantias Argumenti 3tii. data.

Porrò Responsio ad ultimam rationem prædicti argumenti 3tii. vel ex eo non subsistit; quia Philosophi habitum in genere definire solent cum Aristotele in Categ. c. 8. quòd sit qualitas, secundùm quam subjectum determinatur ad benè vel

vel malè, hoc est, convenienter vel disconvenienter ad suam naturam. Ergo in genere moris nullus omninò dabitur habitus indifferens. Præterea in ordine ad illud, ad quod voluntas per se determinata ac completa est, superfluit omnis habitus. Undè Theologi communiter docent in voluntate nullum dari habitum virtutis in ordine ad actus tendentes in bonum honestum ut sic; eò quòd ad id jam per se determinata sit voluntas; sed voluntas in ordine ad actus indifferentes, si darentur, per se determinata & completa esset; quia objectum talium actuum esset tantùm bonum physicum delectabile, ad quod attingendum voluntas per se completa est; quemadmodùm appetitus sensitivus per se completus est ad bonum sensibile.

319 Cæterùm Argumenta ex S. Scriptura & ex S. Augustino adducta equidem minùs convincentia videntur; nihilominùs contra Scotistarum Responsa sic replicari posset 1mo. Quòd non rectè dicatur actum indifferentem fieri secundùm regulam rationis; nam actum indifferentem, quem recta ratio nec præcipit nec prohibet, dictamen rationis practicæ non regulat; nihil enim disponit, nec curat de illo, sive exerceatur, sive non exerceatur. 2do. Quidquid pertinet ad Judicium divinum, pertinet ad illud ut examinandum vel ad pœnam vel ad præmium, si non susceptum in tempore, procul dubio suscipiendum in æternitate. Atqui actus indifferentes nec examinantur ad præmium nec ad pœnam, sed tantùm actus moraliter boni vel mali. Ergo &c.

Contra Resp. ad auct. S. Augustini dici potest, quòd voluntas, prout est potentia, nonnisi ratione operationis bonæ vel malæ nuncupari possit bona vel mala, nam ratione sui nec bona nec mala est. Deinde ratione actûs indifferentis voluntas nec bona nec mala esset, sed consisteret in medio. Præterea justum vel injustum diligere importat actionem: cùm igitur S. Doctor loquatur de voluntate prout diligit, de ea ergo loquitur non prout est in potentia, sed prout est in actu.

320 EXERCITATIO DECIMAOCTAVA.
De Promulgatione in ordine ad constituendam Legem.
Ad proœm. n. 11. Tractatûs 2. Tomi 3. Theologiæ Universalis

CErtum est, quòd, ut Lex vim habeat obligationis necessariò promulgari debeat; nam Lex est quædam ordinatio præceptiva, quæ nisi in notitiam subditorum devenerit, eos obligare non poterit. At controvertitur, an Promulgatio ingrediatur essentiam Legis, an verò se tantũ habeat per modũ conditionis *sine qua non?*

§. I.

321 *Proponuntur ac solvuntur Argumenta eorum, qui tuentur Promulgationem esse de essentia Legis.*

ARgumentum 1mum. petitur ab auctoritate S. Thomæ; nam 1. 2. q. 90. a. 4. postquam sibi objecisset *Videtur, quòd Promulgatio non sit de ratione Legis*, tamen oppositum concludit. Atqui ratio alicujus in sensu proprio est idem ac essentia illius; sic ratio Sacramentorum est idem ac essentia Sacramentorum. Ergo &c.

Resp. AA. Per rationem nonnunquam intelligi aliquod necessariò requisitum per modum conditionis *sine qua non*; sic intentio Ministri ad Sacramentum est etiam de ratione Sacramenti, non tamen tanquam constitutivum essentiale, sed tantùm velut conditio essentialiter requisita.

Inst. Idem S. Doctor ibid. in ⊙ ait: Promulgatio ipsa necessaria est ad hoc,

quòd Lex habeat suam virtutem. Ergo ante Promulgationem non habet suam virtutem completam. Ergo Promulgatio ex mente S. Thomæ non se habet eo modo, quo se habet applicatio respectu ignis, ut volunt Adversarii. Ergo &c.

Resp. *Dist. ant.* Promulgatio est necessaria ad hoc, ut Lex habeat suam virtutem obligativam in actu primo, *conc.* In actu secundo, *neg. cons.*

322 Argumentum 2dum. Lex est essentialiter quoddam intellectûs imperium non privatum sed publicum pertinens ad communitatem. Atqui in esse imperii publici formaliter constituitur per intimationem seu promulgationem communitati factam; aliud enim constitutivum hujus denominationis non est assignabile. Ergo promulgatio essentialiter & per se requiritur ad substantiam Legis.

Resp. *Dist. maj.* Lex est essentialiter imperium publicum publicatione seu promulgatione ingrediente velut conditione essentiali, *conc.* velut essentiali constitutivo & per modum compartis intrinsecæ, *neg. maj.* Sicut enim objectum Fidei, quamvis essentialiter sit obscurum, obscuritatem tamen non importat velut essentiale constitutivum, sed solùm velut intrinsecam conditionem, ita pariter loquendum est de Lege in ordine ad promulgationem.

Argumentum 3tium. Lex non obtinet virtutem suam obligativam nisi applicetur, & prout subditis intimata. Atqui *applicatio fit per quod in notitiam subditorum deducitur ex ipsa promulgatione*, ut ait S. Thomas hîc a. 4. in ☉. Ergo Lex per promulgationem obtinet virtutem obligandi. Sed hæc virtus est Legi essentialis. Ergo & promulgatio, per quam ea virtus habetur.

Resp. *Dist. maj.* Non obtinet virtutem obligativam in actu secundo, nisi promulgetur, *conc.* Lex non obtinet &c. in actu primo, *neg. maj.* &c. Virtus obligativa in actu secundo, seu actualis obligatio non datur quidem ante promulgationem, hæc tamen non pertinet ad essentiam Legis in recto; sed tantùm virtus obligativa in actu primo: essentiæ rerum enim non important actum secundum sed solùm primum.

Argumentum 4tum. Si promulgatio non esset de essentia Legis, sequeretur, quòd ante promulgationem Lex humana obligaret subditos. Falsum consequens. Ergo &c. *Prob. seq. maj.* Si promulgatio non est de essentia Legis, Lex humana ante suam promulgationem formaliter erit Lex. Ergo si subditis alio modo quàm per promulgationem innotesceret, jam hoc ipso ad eam obligarentur, & sic promulgatio neque dici posset conditio ad Legem essentialiter requisita. 323

Resp. Quòd licèt Lex humana ante promulgationem habeat omnem suam rationem formalem, deest tamen ei applicatio, quæ fit per promulgationem, & sic non habet vim actualem obligandi.

§. II.

Proponuntur ac solvuntur Argumenta oppositæ sententiæ. 324

Argumentum 1mum. Lex est essentialiter actus intellectûs, prout docet S. Thomas 1. 2. q. 9. a. 1. Atqui si essentialiter & per modum constitutivi intrinseci involveret promulgationem, tunc non esset actus solius intellectus & rationis practicæ; quia promulgatio & publicatio Legis est rationi & intellectui practico omninò extrinseca. Ergo Lex non involvit promulgationem tanquam formale constitutivum pertinens ad essentiam ejus extrinsecam.

Resp. 1mo. Promulgationem dupliciter sumi posse & debere, *activè* scilicet & *passivè*: *activè* sumta est imperium Legislatoris, quatenùs parit & essentialiter connotat signum manifestivum

Le-

Legis, nimirùm Scripturam aut vocem Præconis. *Passivè* verò sumta est ipsum signum manifestativum Legis in subditis moraliter receptum. In hoc secundo sensu asserunt promulgationem esse tantùm essentiale connotatum; in primo sensu verò contendunt esse essentiale constitutivum.

Resp. 2do. Quòd Lex essentialiter sit quoddam intellectûs Legislatoris imperium non privatum, sed immediatè ad plures pertinens; sicut autem imperium propriè dictum intellectûs privatum, quod vocant practicè practicum, quod videlicet immediatè nonnisi voluntatem ipsius Imperantis respicit, non est completè & essentialiter tale, nisi sit simul intimativum, adeoque voluntati aliquid promulget, ita quoque illud commune imperium propriè legale non erit, nisi intimetur quoquo modo iis, ad quos pertinet. Ex quo palàm fit Legem in genere naturæ nunquam esse unicum actum, sed ad minimum duos, scilicet immanentem in Legislatore, actum intellectûs imperantis; & transeuntem à Legislatore, promulgationem Legis; qui plures in genere naturæ actus censentur unicus in genere moris, ut ita Lex sit morale quoddam complexum ex duobus actibus, uno immanente, & altero transeunte.

Undè in forma *Dist. maj.* Lex esset essentialiter actus solius intellectus per exclusionem actûs voluntatis ceu constitutivi essentialis, *conc.* per exclusionem actûs intimativi & transeuntis à Legislatore, promulgationis scilicet, *neg. maj. &c. &c.*

325 Argumentum 2dum. Priùs est esse Legem, quàm eam promulgari. Ergo ad promulgationem supponitur jam Lex essentialiter constituta. Ant. patet; quia quod non est, non potest promulgari, Ergo &c.

Resp. *Neg. ant.* Ad rationem adjectam *Dist. ant.* Quod non est neque completè neque incompletè non potest promulgari, *conc.* Quod non est completè, est tamen aliquid incompletè, non potest promulgari, *neg. ant.* Itaque Lex, antequam promulgetur, nondùm est in sua essentia completa, quia nondum habet vim obligandi, quæ tamen est de essentia Legis; accedente verò ipsa promulgatione vim hanc consequitur, undè & per promulgationem completur.

Argumentum 3tium. Actus ille manifestativus est merum signum voluntatis obligandi. Atqui merum signum non pertinet ad rationem formalem Legis; signum enim non habet aliam vim, quàm quæ est in re significata. Ergo tota vis obligandi in ipsa Superioris voluntate ac imperio continetur, cui nihil superaddit promulgatio seu exterior expressio. 326

Resp. *Neg. maj.* Talis enim actus est signum, ut simul sit complementum virtutis obligandi, quæ in sola voluntate incompleta est & inefficax; completur autem & redditur efficax per intimationem, quæ est veluti signum practicum obligationis, & medium absolutè necessarium ad illam inducendam.

Ad id, quod in conclusione dicitur, *Dist. cons.* Tota vis obligandi est in sola voluntate incompletè & in actu primo, *conc.* completè & in actu secundo, *neg. cons.* Hoc enim accipit per manifestationem; quia voluntas Superioris, donec inferiori sufficienter sit intimata, non habet vim completam & proximam illum movendi ad operandum.

Inst. Illa exterior manifestatio est tantùm applicatio voluntatis Superioris tanquàm regula ejus, cui conformari debent inferiorum seu subditorum actiones. Ergo manifestatio illa est tantum applicatio Legis; cùm voluntas Superioris sit ipsa Lex & regula, cui conformari debent inferiorum seu subditorum actiones.

Resp.

Resp. *Dist. ant.* Est tantùm applicatio passiva se tenens ex parte subditi, *neg. ant.* Hæc enim est cognitio, quam subditus habet de Lege. Applicatio activa & impulsiva se tenens ex parte principii, *conc. ant.* & *neg. conf.* Ad id, quod dicitur, quòd voluntas Superioris sit ipsa Lex & regula, cui conformari debent inferiorum seu subditorum actiones, verum est, si intelligatur de voluntate Superioris præsupposita ad actum intellectûs, ac subditis intimata & manifestata; falsum verò, si intelligatur de voluntate Superioris in se ipsa independenter ab imperio ac promulgatione.

327 Argumentum 4tum. Si Princeps haberet voluntatem efficacem subditos obligandi, nec tamen eam illis denuntiaret, sed hæc eisdem aliâ viâ sufficienter innotesceret, putà per revelationem à Deo immediatè vel mediatè factam, in tali casu exurgeret in subditis vera obligatio se conformandi voluntati Principis. Ergo hæc se solâ habet adæquatam vim obligandi; aut saltem non requirit manifestationem sui ab ipso Legislatore fieri.

Resp. *Neg. ant.* Nam probabilius est, quòd in illo casu nulla oriretur obligatio, vel saltem non oriretur per modum Legis, nec tam esset à voluntate Legislatoris humani, quàm à voluntate illam notificantis in ordine ad obligandum subditum; videtur enim Legi humanæ essentiale esse, ut adæquatè feratur ab homine ac humanô modô, & non tantùm concipiatur sed etiam intimetur, quod in illo casu non fieret; sicut & ad essentiam contractûs humani pertinet non solùm consensus internus, sed etiam exterior illius significatio.

328 Argumentum 5tum. Promulgatio Legis se habet ad subditos, sicut appropinquatio ignis ad lignum. Atqui hæc est tantùm conditio *sine qua non*. Ergo etiam Promulgatio Legis est tantùm conditio *sine qua non*.

Resp. *Neg. maj.* & *parit.* Neque enim Promulgatio est applicatio Legis jam completæ, sed est ipsum ultimum completivum Legis; è contrà quando ignis approximatur ligno, jam est in suo esse completo. Undè paritas nulla est.

Inst. Promulgatio est applicatio Legis ad illos, qui per eam obligantur. Atqui applicatio alicujus rei supponit rem jam in sua ratione formali constitutam. Ergo &c.

Resp. *Dist. maj.* Promulgatio est applicatio Legis completæ ac perfectæ, *neg. maj.* incompletæ ac per promulgationem complendæ, *conc. maj.* Sanè, inquiunt, si Promulgatio supponeret Legem jam in se completam, quomodo subsistere posset illud Gratiani: *Leges instituuntur, quando promulgantur.*

Argumentum 6tum. Ad essentiam Legis sufficit quod habeat aptitudinem ad obligandum. Atqui Lex nondùm promulgata apta est ad inducendam obligationem. Ergo habet veram rationem Legis. 329

Resp. 1mo. *Dist. maj.* Ad essentiam Legis sufficit, quòd habeat aptitudinem quomodocunque, *neg. maj.* Quòd habeat aptitudinem proximam, *conc. maj* & *Dist. min.* Atqui Lex nondùm promulgata apta est ad inducendam obligationem remotè, *conc.* proximè, *neg. min.* &c. Nam hanc primùm consequitur per Promulgationem.

Resp. 2do. *Dist. maj.* Nisi essentia Legis sit de genere actûs secundi, *conc.* Si sit de genere actûs secundi, *neg. maj.* Itaque de ratione Legis est, ut, quantùm est per se, obliget, licèt quandoque per accidens, ex defectu notitiæ illius Promulgationis, actu non obliget.

Argumentum 7timum. Datur quædam Lex, quæ obligat, quin promulgetur. Ergo promulgatio non est de essentia Legis. *Prob. ant.* Lex naturalis maximè habet rationem Legis atque summè ob- 330

obligat. Atqui hæc non promulgatur. Ergo &c.

Resp. *Neg. ant.* ad ejus *prob. Dist. min.* Atqui hæc non promulgatur promulgatione conveniente Legi positivæ, *conc.* promulgatione conveniente Legi naturali, *Neg. min. &c.* Nam talis promulgatio est ipsum naturale dictamen rationis juxta illud Apostoli Rom. 2. *Ostendunt opus Legis scriptum in cordibus suis.*

§. III.

331 *Verisimilior sententia eligitur.*

Videtur prior sententia magis esse de mente S. Thomæ quàm posterior, undè huic illam præferendam putamus.

Itaque contra Responsiones ad Loca ex S. Thoma adducta est, quia Angelicus Doctor suam conclusionem probat ex Cap. *In istis.* Dist. 4. ubi dicitur: *Leges instituuntur dum promulgantur.* quibus sufficienter innuit, quòd Promulgatio sit ita de ratione Legis, ut etiam sit de essentia illius: nam si Leges primùm instituuntur dum promulgantur, seu primùm constituntur dum promulgantur, tunc ante promulgationem deest aliquod constitutivum essentiæ Legis, ac proindè ipsa Promulgatio erit quædam ratio constitutiva essentiæ Legis. Prætereà S. Doctor ex memorato Cap. ait *Leges institui tunc, cùm promulgantur.* Adversarii verò docent Leges jam esse institutas, priusquàm promulgentur. Ergo eorum sententia magis recedit à Doctrina S. Thomæ, quàm opposita.

Contra Responsum ad Inst. est; quia, ut suprà dictum est, essentia Legis est de genere actûs secundi, ac proinde Lex, quæ non habet virtutem, quantùm est ex se, obligandi in actu secundo, nondum est Lex completa & perfecta.

Contra Responsionem ad Argumentum 2dum. est; quia S. Thomas, definiens Legem, inserit definitioni illius *promulgationem* non in obliquo, sed in recto; quod indicio est, *promulgationem* non solùm ingredi rationem Legis veluti conditionem *sine qua non*, sed potiùs veluti constitutivum essentiale. Prætereà imperium, quod est de essentia Legis, nihil est aliud, quàm præceptiva intimatio. Atqui hæc intimatio est ipsa promulgatio. Ergo &c. 332

Contra Responsionem ad Argumentum 3tium. jam dictum est, essentiam Legis esse de genere actûs secundi, quod vel ex eo patet, quòd Lex sit quædam Regula, eique essentialis. Atqui Regula pertinet ad actum secundum ut patet. Ergo. 333

Tandem contra Responsionem ad Argumentum ultimum est; quia si semel instituta & constituta sit Lex per suam rationem formalem, jam sufficienter applicatur per notitiam, quam de ea habent subditi, quomodocunque demum eam acquisierint; non enim ex alia ratione requiritur applicatio, nisi ut Lex iis innotescat, pro quibus lata est. 334

335

EXERCITATIO DECIMANONA.

De ratione formali constitutiva ipsius peccati.

Ad Proœm. n. 13. & c. 2. n. 174. part. 2. Tract. 6. Theol. &c.

Controversia est inter Theologos, an peccatum commissionis quoad suum esse formale consistat in positivo, an verò in privativo. Quod priusquam expendamus, quædam prænotanda veniunt.

§. I.

Quædam præmittuntur ac præsupponuntur tanquam certa.

SUppon. 1mo. Malum dupliciter considerari posse; 1mo. prout est tale *simpliciter*, & sic opponitur bono transcendentali, omnisque bonitatis & perfectionis carentiam importat. 2do. considerari potest prout est malum secundùm quid, seu respectivè: & illud triplex est, scilicet *naturale*, *artificiale*, & *morale*. 1mum dicitur illud, quod privat subjectum perfectione quadã sibi naturaliter debita, sic cœcitas est malum naturale respectu oculi. 2dum. dicitur, quod privat artefactum perfectione aliqua sibi debita juxta regulas artis; sic se habet statua defectuosa. 3tium verò est illud, quod privat actionem creaturæ à rectitudine sibi debita.

Suppon. 2do. Peccatum commissionis, in ratione mali, simpliciter in privatione consistere, & nullatenùs in aliquo positivo, cujus ratio est; quia omne positivum bonitatem saltem transcendentalem importat. Atqui malum simpliciter omnem omninò excludit bonitatem. Ergo malum simpliciter nonnisi in privativo constitui potest. *Min.* constat ex eo, quòd malum simpliciter opponatur bono transcendentali. Ergo hoc ipso est exclusivum ipsius. *Maj. prob.* quia omne positivum est transcendentaliter Ens. Ergo etiam est bonum transcendentale; bonitas enim transcendentalis est passio Entis.

Suppon. 3tio. In peccato commissionis plura reperiri. 1mo. ipsum *esse materiale*, seu ipsa entitas actûs humani, quo peccator se avertit ab ultimo fine suo. 2do. *Conversionem* seu tendentiam in objectum quà Legi dissonum. 3tio. plures *privationes* ex hac tendentia & ordine dimanantes, putà privationem rectitudinis debitæ, privationem gratiæ, privationem conversionis ad Deum ceu ultimum finem, & tandem privationem gloriæ saltem causaliter.

Suppon. 4to. Hîc quæstionem non moveri de peccato omissionis; nam communiùs docent Doctores rationem formalem constitutivam peccati omissionis in privativo repositam esse, eò quòd peccatum omissionis soleat definiri, quòd sit *Carentia seu privatio alicujus actus debiti, & Lege praecepti.* Undè tota difficultas versatur circa peccatum commissionis.

§. II.

Proponuntur Argumenta eorum, qui 336
rationem formalem constitutivam peccati commissionis reponunt in positivo.

ARgumentum 1mum. petitur ab auctoritate S. Thomæ. Qui 1. p. q. 48. a. 1. ad 2. postquam docuisset bonum & malum in moralibus tantùm esse differentias specificas, tandem sic concludit: *Malum morale est differentia constitutiva speciei; quia malum in moralibus positivè aliquid dicitur.* Atqui nulla privatio *positivè aliquid* dicitur, nec est *constitutiva speciei.* Ergo &c. Et q. 2. de malo a. 11. ad 13. sic ait: *Peccatum non est privatio pura sicut tenebræ, sed est aliquid positivè.* Item hîc q. 72. a. 9. ad 1. *Malum*, inquit, *in quantùm hujusmodi privatio est, & ideò diversificatur specie secundùm ea, quæ privantur, sicut & cæteræ privationes. Sed peccatum non sortitur speciem ex parte privationis vel aversionis, ut suprà dictum est, sed ex conversione ad objectum.*

Resp. AA. S. Doctorem non loqui de malo morali in abstracto, sed de malo morali in concreto, prout scilicet etiam involvit tendentiam physicam ac materialem regulis morum difformem.

Inst. Angelicus Doctor locis citatis intendit facere discrimen inter malum morale & malum simpliciter. Atqui si peccatum

tum involveret aliquid positivum tantùm ratione substrati & materialis, discrimen illud non subsisteret; cùm etiam malum simpliciter in bono fundetur, & pro materiali substrato aliquid positivum importet.

Resp. Discrimen, quod S. Doctor constituit inter malum morale & malum simpliciter, consistit in eo, quòd malum morale habeat sibi adjunctam positivam tendentiam in ordine ad objectum Legi æternæ dissentaneum, quæ peccato tribuit speciem; consequenter quoad rationem specificandi se habet ut formale, quod in aliis malis, nimirùm cœcitate aut tenebris non contingit; licèt cæteroquin ratio mali formaliter habeatur per privationem. Sic enim docet idem S. Doctor in 2. Sent. Dist. 34. ubi sic ait: *Mala actio specificatur ex ordine ad finem indebitum, cui admiscetur privatio finis debiti, ex quo ratio mali incidit.*

337 Argumentum 2dum Actus humanus v. g. odii Dei, habet rationem mali moralis, priusquàm in eo concipiatur privatio rectitudinis. Ergo in ea constitui nequit ratio formalis peccati. *Cons.* patet. *Prob. ant.* Antecedenter ad omnem privationem rectitudinis debitæ dicit ille actus ordinem tendentiæ ad objectum prohibitum seu Legi dissonum. Atqui ut sic est malum morale & peccaminosum. Ergo &c. *Maj.* constat; quia talis privatio resultat tanquàm ex causa ex eo, quòd actus humanus terminetur ad objectum positivum. *Min. prob.* Quia actus ille odii, quatenùs præcisè pro illo priori terminatur ad suum objectum, antecedenter ad privationem accipit ab illo aliquam speciem in genere moris. Atqui non accipit speciem boni & virtutis, ut patet. Ergo accipit speciem mali & peccati.

Resp. 1mo. Positivum hunc ordinem tendentiæ ad objectum Legi dissonum, prout prioritate naturæ antecedit privationem rectitudinis tantùm esse malum fundamentaliter, non verò formaliter.

Verùm hæc Responsio planè non sufficit; nam contrà sic urgeri potest: Pro illo priori intelligitur tendentia esse mala formaliter, & non solùm fundamentaliter, pro quo intelligitur non solùm fundamentaliter, sed etiam formaliter dissona Legi: sed pro priori ad privationem debitæ rectitudinis tendentiæ intelligitur non solùm fundamentaliter, sed etiam formaliter dissona Legi & rationi. Ergo &c. *Maj.* patet; quia ad formalem malitiam plus non requiritur, quàm formalis difformitas ac dissonantia ad Legem. *Min.* verò prob. Pro illo priori tendentia intelligitur formaliter dissona Legi, pro quo intelligitur tendere in objectum Legi dissonum; nam ex objecto refunditur formalis consonantia aut dissonantia in actum. Atqui pro illo priori intelligitur tendere in objectum dissonum Legi. Ergo. &c. Missâ hac ergo Responsione

Resp. 2do. Non posse intelligi, quòd humanus actus tendat in objectum dissonum Legi, nisi simul intellecta privatione aut negatione tendentiæ ad objectum consonum Legi; quia concipitur ut defectuosus, ac proindè debita rectitudine privatus, & ita pro nullo priori posse actum illum sumere speciem ab objecto dissono, quin etiam sumat à privatione.

Argumentum 3tium Si malitia peccati formaliter in positivo reponi non debet, 338
tunc ideò, quia hujusmodi malitia in Deum refunderetur ceu in causam. Atqui hæc ratio nulla est; quia hoc ipsum Adversariis solvendum incumbit. *Prob. min.* Fundamentum privationis rectitudinis reduplicativè ut tale est aliquid positivum. Ergo si Deus est causa omnis positivi in peccato, etiam erit causa hujus fundamenti, ac proindè etiam privationis debitæ rectitudinis, cùm illa necessariò resultet ad positionem fundamenti.

Resp. *Neg. suppos.* Quòd scilicet aliquid positivum in peccato commissionis repertum sit fundamentum privationis; nam totum fundamentum privationis est ipsa voluntas ex nihilo facta ac deficiens. Undè cùm ista non terminet causalitatem Dei, consequens est, quòd, licèt Deus suo concursu positivo attingat omne positivum in peccato commissionis repertum, non tamen attingat fundamentum malitiæ privativæ.

339 Argumentum 4tum. Dantur peccata, in quibus nulla potest esse privatio rectitudinis. Ergo dantur peccata, quorum ratio formalis in privativo consistere nequit. *Prob. ant.* v. g. Odium Dei, Blasphemia, &c. sunt incapacia debitæ rectitudinis; nunquam enim Deum justè odisse, aut blasphemare possumus. Ergo privatio debitæ rectitudinis in illis esse non potest.

Resp. 1mo. Non deberi quidem huic actui v. g. Odio Dei rectitudo, quatenùs est formaliter odium Dei; sed tantùm deberi quatenùs est actus humanus in genere; & sic propterea privari debita rectitudine.

Resp. 2do. Subjectum privationis rectitudinis debitæ non esse ipsum actum odii, sed solùm hominem aut voluntatem. Undè dicunt carentiam rectitudinis in illo actu odii, si consideretur respectu ipsius actus secundùm se, habere quidem rationem negationis & non privationis: at respectu voluntatis habere rationem privationis moralis, quoniam voluntas, cui actus est malus, est capax rectitudinis moralis, v. g. dilectionis divinæ, quam tenetur habere.

§. III.

340 *Proponuntur ac solvuntur Argumenta opposita Sententiæ.*

Argumentum 1mum petitur ex testimoniis SS. Patrum. 1mo S. Dionysius c. 4. de div. nom. dicit, *Malum esse privationem*, & toto illo Capite sæpè nominibus *privationem* importantibus illud appellat, qualia sunt, *infirmitas*, *vacuitas*, *defectus*. 2do. S. Basilius in Constit. Monast. c. 7. sic ait: *Vitium omne & improbitas in boni privatione suam habet formam.* 3tio. suffragatur S. Augustinus lib. 12. de Civ. Dei c. 7. 4to. S. Damascenus lib. 2. de fide c. 24. ait: *Malum nihil est aliud nisi boni privatio, haud secus nimirùm ac tenebræ nihil aliud sunt, quàm luminis orbitas.* Eadem loquuntur multi alii Patres.

Resp. AA. SS. Patres, ut efficaciùs nos à peccato avertant, plerumque de illo loqui modò Oratoriò: & magis attendere ad effectus, qui ex eo sequuntur, quàm ad quidditatem illius in rigore metaphysico spectatam. Quare, quando vocant peccatum *privationem*, loquuntur in sensu causali non formali, ut vel ex eo patet, quia sæpè agunt de privatione gratiæ & gloriæ æternæ, in qua utique ratio formalis peccati non consistit. Deindè SS. Patres dicunt peccatum esse *privationem* ac *nihil*, tùm quia parit varias privationes, quæ sunt *nihil*; tùm quia moraliter facit, ut homo sit *nihil* seu nullius sit pretii juxta illud Psal. *Ad nihilum redactus sum, & nescivi.* Possunt præterea intelligi de peccato habituali, quod consistit in privatione.

Argumentum 2dum. petitur speciali- 341 ter ab auctoritate S. Thomæ. Qui 3. cont. Gent. c. 7. expresè dicit: *Malum nihil est aliud, quàm privatio ejus, quod quis natus est & debet habere.* Et q. 1. de malo, a. 1. *Malum*, inquit, *non est aliquid, sed est ipsa privatio alicujus particularis boni.* Item 1. p. q. 48. a. 1. dicit, quòd *nomine mali significetur quædam absentia boni.*

Resp. S. Doctorem intelligendum esse de malo simpliciter quod in sola privatione consistere patet ex not. seu suppos. 1mò. §. 1. non verò de malo respectivè, sive physicô sive morali; qua ratione etiam sunt

sunt explicandi SS. Patres priori Argumentô adducti.

Præterea dici potest, quòd tùm S. Thomas, tùm alii SS. Patres loquantur de privatione, ut est *in fieri*, non ut est *in facto esse*. Pro quo sciendum est, quòd sicut mors dupliciter considerari potest, 1mo. prout est *in fieri*, qua ratione est aliquid positivum; est enim ipsa causa, ad quam sequitur mors, cujusmodi est v. g. morbus. 2do. Ut est *in facto esse*, & sub hac ratione est pura privatio vitæ. Ita similiter privatio rectitudinis alicujus actûs potest considerari vel prout est *in fieri*, & hoc modô est aliquid positivum, ipse videlicet ordo tendentiæ in objectum ut Legi dissonum; vel prout est *in facto esse*, & sic est pura privatio. De primo igitur modo intelligendi sunt SS. Patres, non de secundo.

Inst. S. Thomas q. 18. a. 1. asserit, *Actum esse malum*, *in quantùm aliquid ei deficit de plenitudine essendi.* Et hîc q. 71. a. 6. dicit, *quòd actus humanus habeat*, *quòd sit malus*, *ex eo*, *quòd careat debita commensuratione*, id est, rectitudine. Ubi vides, nullam hîc fieri mentionem malitiæ positivæ.

Resp. S. Thomam intelligendum esse in sensu illativo ac consecutivo, non autem in sensu formali; ita ut velit, exindè dignosci actum esse malum, si careat debita rectitudine, sicuti dicitur, quòd Sol lucere dignoscatur, quia dies est.

Dices S. Thomas q. 85. a. 4. expressè ait: *quòd privatio sit essentialiter ipsum peccatum.* Ergo saltem hîc loquitur in sensu formali.

Resp. S. Doctorem hîc tantùm sermonem habere de peccato omissionis, non verò commissionis. Juvat ejus verba referre; *Est etiam*, inquit, *quoddam bonum*, *quod est ipse actus ordinatus*, *quod etiam habet suum modum*, *speciem*, *& ordinem*; *& bujus* (nempè prædicti actûs) *privatio est essentialiter ipsum peccatum.* At privatio actûs peccatum omissionis constituit, non verò commissionis. Ergo ibi Angelicus Doctor loquitur de peccato omissionis duntaxat, & non commissionis.

Inst. S. Doctor 3. p. q. 86. a. 4. ad 1. docet, quòd *culpa mortalis utrumque habeat & aversionem à Deo*, *& conversionem ad bonum creatum*: *sed aversio à Deo est ibi sicut formale*, *conversio autem ad bonum creatum sicut materiale.* At ibi loquitur de peccato commissionis. Ergo &c.

Resp. S. Thomam ibi non loqui de peccato actuali, sed de habituali duntaxat, quòd est *terminus à quo* justificationis, & consistit in privatione gratiæ sanctificantis, quæ est aversio à Deo *in facto esse*.

Argumentum 3tium. petitur ex præ- 342
cipuo Adversariorum fundamento. Si peccatum commissionis in aliquo positivo consisteret, sequeretur peccatum in ratione peccati Deum propriè causam habere, seu Deum proprie illius esse causam. Atqui hoc repugnat divinæ Sanctitati. Ergo &c. Prob. *seq. maj.* Omne Ens reale & positivum efficienter est à Deo, Deusque illius est causa efficiens. Ergo si peccatum commissionis in aliquo Ente reali & positivo consistit, erit propriè efficienter à Deo, seu Deus erit propriè illius causa efficiens.

Resp. 1mo. Cùm Distinctione *ult. ant.* Omne reale positivum physicum seu per physicam actionem productum efficienter est à Deo, *conc.* Omne reale positivum resultans tantùm ex ipso actu, & prout est tantùm aliquid oppositum Enti ficto & nihilo, *neg. ant.* Ad hoc enim non concurrit Deus; concursus namque Dei est influxus physicus, formalitates verò non producuntur physicè, ut patet in relationibus.

Resp. 2do. *Neg. seq. maj.* Ad ejus prob. *Dist. ant.* Omne Ens reale & positivum efficienter est à Deo secundùm quod est

quid physicum, *conc.* Secundùm quod est quid defectuosum morale, neg. ant. &c. Ad hoc enim ut Deus sit causa peccati formalis, non sufficit, ut sit causa entitatis actûs, prout entitas physica est, sed requiritur, ut sit causa illius secundùm quod est malitia moralis. Ratio autem, ob quam Deus non sit causa illius, prout est malitia moralis, hæc est; quia Deus concurrit ad illum actum ut causa prima & universalis, non verò ut causa moralis & cum debito morali non operandi.

Inst. 1mo. Ut est moralis Entitas & contraria Deo, est positiva. Ergo ut sic est effectus Dei, qui est causa positivæ Entitatis.

Resp. Quòd, ut verificetur Deum esse causam totius Entitatis positivæ, non requiratur, ut sit causa totius Entitatis sub omni modo, quo ipsa Entitas producitur à parte rei etiam à causa secunda; sed satis est, si producatur à Deo quidquid positivum est in illa entitate sub alia ratione & sub alio modo, nempè sub ratione boni transcendentalis. Undè in forma *Dist. cons.* Ut sic est effectus Dei secundùm rationem Entitatis physicæ, quam includit, *conc.* secundùm rationem Entitatis moralis defectuosæ, *neg. cons.*

Dices. Ergo aliquod Ens morale erit independens à Deo tanquam à prima causa.

Resp. *Dist. Illat.* Ergo aliquod Ens morale, quod sit effectus, *neg.* quod sit defectus seu potiùs deformitas, *conc. Illat.* quia defectus & deformitas non potest reduci nisi in causam deficientem.

Inst. 2do. Malitia moralis peccati commissionis in nostra sententia dicit in recto ipsam entitatem physicam actûs furti v. g. connotando in obliquo debitum carendi tali actu. Atqui Deus est causa illius Entitatis physicæ & etiam debiti moralis carendi illâ; quia hoc debitum est tantùm denominatio desumta à Lege, cujus Deus est auctor. Ergo Deus est causa actûs furti non solùm secundùm quod Entitas physica est, sed etiam secundùm quod est Entitas moralis; est enim causa illius, quod dicit in recto & in obliquo.

Resp. *Dist. min.* Atqui Deus est causa Entitatis physicæ furti & debiti moralis carendi illo per aliquam actionem, per quam unum conjungatur per se cum alio, *neg.* per actionem qua ex intentione Dei disjungi, aut dissociari debuissent, *conc. min.* & *neg. cons.* Ut enim Deus diceretur causa peccati quà talis, non sufficit eum esse causam recti & obliqui, in quibus ipsum consistit; sed ulteriùs requiritur, ut actio, per quam est causa unius, conjungatur per se cum alio ex intentione operantis. Atqui actio, qua Deus est causa Legis non furandi v. g. vel debitum morale ex illo ortum non conjungitur ex natura sua cum Entitate physica furti, sed potiùs cum omissione illius, neque ex intentione Dei; quia Deus imponens tale debitum non furandi non intendit actum furti, sed potius omissionem illius.

Inst. 3tio. Omnis Entitas positiva debet habere aliquam causam per se. Atqui voluntas creata non est causa per se, sed tantùm per accidens, malitiæ moralis, ut docet S. Thomas hìc q. 75. a. 1. Ergo si illa malitia consistit in positivo, debet habere Deum tanquam causam per se, cùm alia non possit assignari.

Resp. Voluntatem creatam non esse causam per se physicam malitiæ moralis; quia hæc tantùm per accidens sequitur ad actionem hominis secundùm se consideratam; & aliundè homo, ut nunc supponitur, illam non intendit per se: idque tantùm voluit S. Thomas loc. cit. Interim voluntas, ut Lege obligata, est causa moralis malitiæ per se; quia actio hominis moraliter considerata dicit omnia accidentia & circumstantias, quibus investitur, adeoque dicit prohibitionem: at malitia moralis per se conjungitur cum actione ut induta omnibus circumstantiis, & prout subest Legi prohibenti.

Inst.

Inst. 4to. Ex hac doctrina sequitur has contradictorias simul esse veras : *Omnis Entitas positiva, quæ est in actu furandi à Deo producitur*; *aliqua Entitas positiva, quæ est in actu furandi à Deo non producitur.* Nam malitia moralis, quæ est in illo actu, est Entitas positiva, & tamen à Deo non producitur.

Resp. *Neg. seq.* Nam licèt omnis Entitas physica & naturalis, quæ est in illo actu à Deo producatur, non tamen omnis Entitas defectuosa moralis, cujusmodi est malitia; & in hoc nulla apparet implicantia.

Dices. Inter rationem Entitatis physicæ ac rationem Entitatis moralis in malitia non datur nisi distinctio virtualis. Atqui hæc distinctio in rebus creatis non sufficit, ut una formalitas virtualiter tantùm distincta producatur aut destruatur, altera formalitate non productâ aut non destructâ; sola enim virtualis distinctio in divinis reperta ad hoc est sufficiens propter infinitam eminentiam Entis divini. Ergo &c.

Resp. *Dist. min.* Distinctio virtualis in rebus creatis ad hoc non sufficit, si utraque formalitas virtualiter distincta sit æquè ab operante producibilis, *conc.* Si verò una sit producibilis & altera improducibilis, sicut malitia nequit à Deo produci, *neg. min.* Tunc enim distinctio virtualis sufficit, ut una sine altera quà tali producatur.

Inst. 5to. Omne Ens physicum est bonum, cùm bonum & Ens convertantur. Atqui formale peccati non est bonum, cùm sit ipsa malitia & deformitas. Ergo &c.

Resp. *Dist. maj.* Omne Ens physicum est bonum bonitate transcendentali, *conc.* bonitate morali, *neg. maj. &c.*

Dices. Omne Ens physicum est bonum bonitate physica. Ergo omne Ens morale, quale est peccatum, etiam erit bonum bonitate morali.

Resp. *Neg. conf.* & *parit.* Disparitas est, quòd bonitas physica non sit quædam specialis ratio Entis, sed tantùm passio Entis, ac proindè omnem Entitatem physicam consequatur; at bonitas moralis non est passio Entis moralis, sed quædam peculiaris ratio seu species moralitatis. Undè necesse non est, ut sequatur omnem Entitatem moralem.

Argumentum 4tum. sumitur ex aliis 343 variis rationibus. Itaque Arguitur 1mo. Quia peccatum adeò non cognoscitur in se per se ipsum, sed per bonum oppositum, ut docet S. Thomas 1. p. q. 15. a. 3. ad 1. Ergo non est quid positivum. *Prob. conf.* Quia in Deo sunt ideæ omnium rerum positivarum, quamvis sint talis naturæ, ut ad eas aliquæ privationes vel negationes naturaliter sequantur, ut patet in Fide, ad quam consequitur privatio visi; & in Spe, ad quam sequitur privatio possessi.

Resp. Doctrinam S. Thomæ verissimam esse; quia intelligenda est de peccato, quantùm ad Entitatem moralem defectuosam, quam habet; non tamen quantùm ad Entitatem naturalem, quæ intimè imbibita est in ipsa moralitate & malitia constitutiva peccati.

Dices. Illa moralitas & malitia est positiva. Ergo alicujus positivi idea non est in Deo.

Resp. In illa moralitate positiva includi rationem Entis transcendentalis, & ita illius moralitatis idem esse in Deo, in quantùm Entitas quædam est; non autem in quantùm est moralitas peccaminosa.

Arguitur 2do. Ratio formalis peccati in communi, ut abstrahit à peccato commissionis & omissionis consistit in sola privatione. Ergo etiam ratio formalis peccati commissionis. *Conf. patet*; quia gradus superior consistens in privatione non potest contrahi per gradum inferiorem positivum, sed à fortiori debet contrahi per gradum ejusdem rationis, nempè per privationem; atque ita peccatum commissionis nequit constitui in sua specie ex privativo & positivo, sed ex solo privativo.

Prob.

Prob. ant. Quia peccatum omissionis consistit essentialiter in sola privatione actûs debiti. Atqui in peccato omissionis includitur integra ratio formalis peccati in communi, sicuti in homine includitur integra ratio animalis. Ergo &c.

Resp. *Neg. ant.* Ad ejus prob. *Neg. min.* & *parit.* Disparitas est, quòd animal respectu hominis, ac cætera animalia sint genus univocum; è contrà peccatum in communi respectu peccati commissionis & omissionis est genus analogum. Unde non est necesse, ut ratio per illud significata sit prorsus eadem in suis inferioribus, quo fit, ut alio modo contrahatur à peccato commissionis, & alio modo à peccato omissionis: ab illo quidem per modum alicujus positivi, ab hoc verò per modum privationis.

Arguitur 3tio. Peccatum in genere Entis artificialis solùm consistit in privatione conformitatis ad regulas artis. Ergo peccatum in genere moris etiam consistit in privatione conformitatis ad regulas morum.

Resp. 1mo. *Neg. ant.* Quia ejusmodi peccatum & illius malitia consistit in ordine positivo ad effectum producendum contra regulas Artis, ad quem ordinem consequitur privatio conformitatis ad regulas Artis.

Resp. 2do *Neg. conf.* & *parit.* Disparitas est; quia effectus artificialis mensuratur in se per regulas artium, actio verò humana non mensuratur in se regulis morum, sed mediante objecto, ad quod talis actio terminatur; nam ex eo, quòd objectum sit consonum vel dissonum Legi, dicitur consonus vel dissonus Legi actus, quo tale objectum attingitur.

Arguitur 4to. Peccatum habituale, à quo quis denominatur peccator, postquam transit actus peccati, consistit in pura privatione, ut docet S. Thomas hîc q. 86. a. 1. ad 3. Ergo etiam peccatum actuale commissionis. *Prob. conf.* quia aliàs peccatum habituale, quod, transactô actuali, manet, esset specie diversum ab ipsô actuali, quod implicat.

Resp. *Neg. conf.* Ad ejus *prob.* dicunt, quòd licèt in genere naturæ peccatum habituale distinguatur ab actuali sicut privativum à positivo, in genere tamen moris constituit cum eo unum & idem peccatum numerô integrum & ultimò terminatum, utpotè complementum peccati actualis.

Inst. Sunt unum & idem etiam in genere naturæ. Ergo &c. *Prob. ant.* Quia peccatum habituale & actuale habent se sicut *factum esse* & *fieri*. Ergo eadem privatio, quæ *ut in facto esse* est peccatum habituale, *ut in fieri* est peccatum actuale: sicut eadem qualitas, quæ *in facto esse* est calor, *in fieri* est calefactio.

Resp. *Neg. ant.* Ad ejus prob. *transf. ant.* & *Neg. conf.* ac *parit.* Disparitas est, quòd, cùm calor sit Entitas positiva, *fieri* illius potest identificari formaliter cum ipsô calore *in fieri*: at verò *fieri* privationis non potest esse formaliter ipsa privatio *in fieri*, sed debet esse aliquid positivum, ad quod ipsa privatio consequatur, quia privatio non fit per se primò, sed per accidens & secundariò sequitur. Et est exemplũ in tenebris, quæ fiunt in uno loco per motum localem luminosi in alium locum, ubi *fieri* tenebrarum non est, formaliter loquendo, privatio luminis, nec est ipsæ tenebræ *in fieri*; sed est ipse motus localis.

§. IV.

Verior sententia eligitur. 344

PRæsens difficultas ex auctoritate S. Thomæ certè decidi nequit, nam pro utraque parte valida sunt ejusdem S. Doctoris testimonia, ita, ut secundùm speciem utramque sententiam docuisse videatur. Sed neque testimonia ex aliis SS. Patribus adducta sufficienter convincunt adversùs 1mam. sententiam; nam omissô, quòd eis satis convenienter responsum sit, insuper ad-

advertendum est, primarium horum SS. Patrum institutum fuisse, Manichæorum confutare hæresim, qui duos fingebant Deos: unum bonum, principium bonorum; alterum malum, principium malorum. Contra quos demonstrant, naturam, hoc ipso quòd sit, bonam esse & à Deo conditam; malum verò non esse naturam, sed naturæ corruptionem, pro *natura* non intelligentes actum accidentalem, qualis est peccatum, sed rem subsistentem, qualem intelligebant Manichæi naturam malam, ut apertè colligitur ex S. Augustino Tom. 7. lib. de perfect. justit. Ratioc. 4. Undè, ut constare videtur, tota hujus controversiæ definitio magis pendet à ratione, quàm ab auctoritate. Et quia prima sententia firmioribus stabiliri videtur Argumentis, quàm secunda, ideò illam huic præferendam esse existimamus. Porrò primam sententiam gravioribus momentis præ secunda suffultam esse exinde liquet, quia vis 2di. Argumenti, quod sanè hujus sententiæ palmarium est, per responsa Adversariorum neutiquam infirmatur. Nam

345 ContraResponsionē 2dam. obstat 1mo. Auctoritas S. Thomæ in 4. Dist. 16. q. 3. a. 2. quæstiunc. 1. ad 2. dicentis: *Fundamentum aversionis est conversio in peccato.* Et q. 2. de malo. a. 7. ad 1. ait: *Incordinata conversio ad bonum commutabile est causa aversionis.* Ergo ex S. Thoma prior est conversio seu tendentia in objectum Legi dissonum, quàm sit ipsa aversio seu privatio debitæ rectitudinis.

Contrà est 2do. Quia carentia tendentiæ actûs humani in objectum debitum fundatur in tendentia ejusdē actus ad objectum indebitum. Ergo hæc est prior, ac proindè priùs concipitur actum humanum tendere in objectum dissonum, quàm esse privatum debita rectitudine.

Dices. Hoc ipso, quòd terminetur ad objectum Legi dissonum, terminatur ad illud, ut est causa privationis rectitudinis; & ideò intelligi nequit tale objectum, nisi intellecta privatione.

Contrà est; quia licèt ita sit, adhuc tamen manet Argumentum; illa enim tendentia & terminatio ad objectum Legi dissonum, ut est causa talis privationis, est quid positivum. Sed ut sic, est prior. Ergo pro priori, prioritate scilicet naturæ, concipitur ipsa tendentia, quàm privatio ex ipsa resultans.

Contra Responsionem ad Argumentum 346
3tium. sic conficitur Argumentum: Vel illa voluntas deficiens seu destituta debitâ directione rationis practicæ dicit aliquid positivum, vel solùm aliquid privativum seu negativum. Si primum, tunc redit argumentum. Si secundum, ergo privatio in negatione fundari poterit, quod non admittitur.

Contra 1mam. Respons. ad Argum. 347
4tum. & ultimum est; quia actus ille consideratus præcisè secundùm rationem communem actûs humani non est neque potest esse subjectum illius rectitudinis particularis, v. g. dilectionis divinæ. Ergo neque est subjectum privationis talis rectitudinis; sicut quia homo secundùm gradum corporis non est subjectum potentiæ visivæ, ideò neque secundùm eum est subjectum cœcitatis. *Ant.* in quo est difficultas sic prob. Quia illa rectitudo particularis non est debita actui humano sumto in communi, alioquin nullus actus humanus posset esse bonus sine ea. Ergo actus odii Dei, de quo loquimur, consideratus præcisè secundùm rationem communem, neque est neque esse potest subjectum illius rectitudinis particularis. Ergo nec subjectum privationis illius rectitudinis. Patet hæc ultima consequentia; quia carentia rectitudinis actualis non habet rationem privationis moralis, nisi ut ipsa rectitudo est debita.

Contra 2dam. Responsionem est; quia in persona aut voluntate, quando operatur contra præceptum negativum, nullum aliud debitum intelligimus esse, nisi non operandi v. g. debitum, quod habebat, qui odiô habebat Deum, & non habendi tale odium; minimè verò esse ali-

aliquod debitum rectæ operationis.

Confirmatur. Quia negatio, quæ est in actu, non excludit immediatè rectitudinem à potentia, sed ab actu. Ergo non est privatio immediata respectu potentiæ, sed respectu actûs, atque adeò actus erit capax rectitudinis moralis, & ad illam obligatus, quod jam constat esse falsum.

347 EXERCITATIO VIGESIMA.

De peccato habituali, ac ejus formali constitutiva ratione.

Ad part. 2. Tract. de Peccatis. *Item ib. c. 1. §. 4 n. 166. & 173. Tom. 3. Theologiæ Universalis Tract. 6.*

CONstat post patratum actuale peccatum in anima peccatoris remanere maculam ex illo productam, per quam anima dicitur abominabilis, maculata, ac Deo invisa. *Tota pulchra es amica mea*, inquit sacer textus Cantic. 4. & NB. *macula* (en peccatum habituale) *non est in te.* Item *Usque in præsentem diem macula hujus sceleris in vobis permanet.* Josuë 22.

Disceptant autem hìc inter se Thomistæ, & ii, quos Recentiores vocant, an hujusmodi macula consistat in privatione gratiæ sanctificantis, in quantùm connotat actum præteritum ceu causam, prout volunt Thomistæ; an verò in peccato præterito non retractato, quatenùs tamen connotat duplicem privationem, nimirùm condonationis divinæ, & condignæ satisfactionis, ut censent Recentiores.

§. I.

348 *Proponuntur ac solvuntur Argumenta sententiæ Thomisticæ.*

ARgumentum 1mum. sumitur ab auctoritate Concilii Trid. Sess. 6. c. 7. ubi dicitur, quòd Justificatio nihil aliud sit, quàm *translatio hominis è statu peccati in statum gratiæ;* id est formaliter remissio peccatorum. Ex quo sic arguitur: Illud formaliter constituit maculam peccati mortalis, quod in justificatione per se primò è subjecto expellitur. Atqui in justificatione impii per se primò è subjecto expellitur privatio gratiæ sanctificantis. Ergo hæc formaliter constituit maculam peccati mortalis. *Maj.* constat ex cit. textu Concilii Trid. *Min. prob.* Justificatio fit formaliter per ipsam gratiam sanctificantem; est enim effectus formalis illius formæ, quæ nos reddit Deo gratos, quod tantùm gratiæ sanctificanri convenit. Atqui gratia per se primò expellit sui privationem, quemadmodùm quælibet alia forma sui privationem per se primò è subjecto expellit. Ergo in justificatione per se primò è subjecto expellitur privatio gratiæ sanctificantis.

Resp. AA. *Dist. maj.* Illud constituit maculam, quod in justificatione per se primò expellitur per modum extremi contrarii ipsius gratiæ, quæ de novo infunditur, *conc.* per modum extremi privativi, *neg. maj. &c.* Nam justificatio, ajunt, expellit peccatum per infusionem gratiæ tanquam formæ incompossibilis cum omni peccato: gratia autem in peccatore duo habet opposita; unum privativum, nimirùm sui carentiam; alterum verò contrarium, scilicet peccatum præteritum moraliter perseverans. Non ergo consistit peccatum in eo, quod primariò per justificationem expellitur ratione oppositionis privativæ; sed in eo, quod primariò expellitur per modum extremi contrarii ipsius gratiæ.

Argumentum 2dum. Peccatum habituale in ratione maculæ formaliter constitui debet per aliquid animæ intrinsecum. 349
Atqui actus peccati actualis præteritus connotans privationem condonationis & condignæ satisfactionis, ac non retractatus

non

non est aliquid animæ intrinsecum. Ergo formaliter non constituit peccatum habituale. *Maj.* constat 1mo. ex illo Josuë 22. *Macula hujus sceleris in vobis permanet*, ubi *in vobis* denotat aliquid intrinsecum. 2do. Peccatum habituale originale est aliquid intrinsecum parvulis, ut patet ex Concil. Trid. Sess. 5. Can. 3. ubi, *Adæ peccatum*, inquit, *inest unicuique proprium*. Ergo etiam peccatum habituale personale erit aliquid intrinsecum personis. 3tio. Nitor animæ est aliquid illi intrinsecum. Ergo etiam defectus nitoris seu macula erit aliquid animæ intrinsecum. *Min. prob.* Nam actus præteritus est aliquid extrinsecum, & cùm jam præterierit, certè non ampliùs existit, quod tamen necessarium erat ad formalem effectum maculationis & infectionis intrinsecæ. Ergo &c.

Resp. AA. Quòd, licèt peccatum actuale præteritum realiter & physicè non sit aliquid animæ intrinsecum, sit tamen aliquid illi moraliter intrinsecum; quamvis enim physicè non ampliùs existat, cùm jam transierit, habet tamen existentiam & permanentiam moralem; quia ratione actûs peccaminosi præcedentis anima censetur esse maculata & infecta, ac si peccatô præteritô actu informaretur.

350 Argumentum 3tium petitur ab auctoritate S. Thomæ. Nam q. 3. de malo, a. 7. ad 1. sic ait: *Dicendum, quòd privatio gratiæ habet rationem culpæ secundùm quod accipitur simul cum causa sua, quæ pertinet ad genus actûs.* Item 1. 2. q. 86. a. 1. ad. 3. *Macula*, inquit, *non est aliquid positivè in anima, nec significat privationem solam; sed significat privationem quamdam nitoris animæ in ordine ad suam causam, quæ est peccatum.*

Resp. AA. Juxta S. Thomam cit. q. 3. de malo, a. 7. in ⊙ *privatio gratiæ habet rationem pœnæ, si secundùm se consideretur, & non habet rationem maculæ nisi secundùm quod ex actu præcedenti inducitur.* ut ait in 2. dist. 42. q. 1. a. 2. ad 4. Ergo in actu peccaminoso præcedenti non retractato potiùs situm est peccatum habituale, quàm in privatione gratiæ; quia *propter quod unumquodque tale, & illud magis tale.*

Plura adhuc Argumenta adducentur inf. §. 3. Hæc modò sufficiant.

§. II.

Proponuntur ac solvuntur Recentiorum Argumenta. 351

Argumentum 1mum. Totum illud pertinet ad rationem peccati habitualis, à quo mundat & liberat justificatio. Atqui justificatio nos non tantùm mundat & liberat è privatione gratiæ, sed etiam à peccato actuali præterito; quia quod ante justificationem propter non retractationem moraliter permanebat, illud postmodùm omninò tollitur, & nullo modo permanet. Ergo saltem partialiter peccatum non retractatum ad rationem peccati habitualis pertinet.

Resp. AA. *Dist. maj.* Totum illud pertinet ad peccatum habituale vel per modum connotati, vel per modum constitutivi essentialis, à quo mundat & liberat justificatio, *conc.* semper per modum constitutivi, *neg. maj. &c.* Quamvis terminum *à quo* justificationis ingrediatur utrumque, scilicet tam privatio gratiæ sanctificantis, quàm actus peccati præteritus, non tamen utrumque ingreditur æqualiter, sed privatio gratiæ ingreditur velut essentiale constitutivum maculæ *in recto*, peccatum verò præteritum tantùm ingreditur *in obliquo* & per modum connotati essentialis. Sicut in sententia Adversariorum peccatum præteritum moraliter perseverans ingreditur maculam *in recto* & per modum constitutivi, negatio verò condonationis divinæ & condignæ satisfactionis tantùm ingreditur *in obliquo*, & per modum connotati.

Argumentum 2dum. Peccatum commissionis actuale formaliter constituitur in quodam positivo respectu ad objectum ut regulis morum difforme, prout suprà dictum est. Ergo etiam peccatum habi- 352

 tuale

tuale in simili tendentia consistere debet, ac proindè non consistit in privatione gratiæ.

Resp. *Neg. conf.* ac *parit.* Disparitas est, quòd in actuali peccato positiva tendentia sit id, quod primò & per se intelligitur, & ideò in ea meritò consistit ratio formalis peccati actualis. At in peccato habituali, quod primò & per se intelligitur, est privatio gratiæ, non verò tendentia in objectum ut regulis morum difforme. Ergo in illa, non autem in hac, constituenda est ratio formalis peccati habitualis.

353 Argumentum 3tium. Ex hac sententia plura sequuntur absurda. 1mo. Quòd omnia peccata habitualia forent ejusdem rationis; nam privatio desumit omnem distinctionem à forma, cui opponitur. Atqui gratia sanctificans est in omnibus ejusdem rationis. Ergo &c. 2do. Sequeretur, quòd, qui commisit gravius peccatum, non haberet majorem maculam, quàm qui commisit minus grave; quia committens minus grave æquè privatur gratiâ, ac committens gravius. 3tio. Quòd in quolibet peccatore nonnisi sit unum peccatum habituale, licèt se pluribus fœdârit; nam privatio gratiæ non est nisi una in unoquoque peccatore. Ergo &c.

Resp. *Neg. ant.* Ad 1mum. *Neg. seq. maj.* falsum est, quòd privatio constituat peccatum habituale, quatenùs præcisè dicit ordinem ad formam, qua privat; sed quatenùs dicit respectum ad actum peccati præcedentem, à quo procreatur; & secundùm hunc actum diversificatur, estque ejusdem cum eo speciei; undè si talis sit in specie v. g. furti, talis etiam erit privatio gratiæ ex eo procreata. Ex hac responsione liquet 2dum Absurdum minimè sequi: tantò enim macula peccati ac privatio gratiæ censetur gravior, quantò peccatum, à quo ipsa gignitur, gravius est. Ad 3tium. etiam patet solutio; cùm enim peccatum habituale sit privatio gratiæ ut dicit respectû ad actum, à quo gignitur, tot sunt peccata habitualia in homine, quot sunt peccata actualia mortalia.

Argumentum 4tum. Si quis offendat Principem, post actum offensæ nihil aliud remanet, quàm reatus seu deputatio ad pœnam. Ergo pariter, dùm quis offendit Deum, post actum offensæ nihil remanet in peccatore, quàm reatus pœnæ. 354

Resp. *Neg. conf.* & *parit.* Ratio disparitatis est, quia amicitia Principis in eo, quem amat, nihil intrinsecum ponit, benè autem amicitia Dei; hæc enim ponit gratiam & charitatem. Undè sequitur, quòd per amissionem amicitiæ Principis ratione offensæ nihil intrinsecum amittatur, amittatur verò per amissionem amicitiæ Dei, nimirùm gratia & charitas; ac proindè per ejus offensam procreatur gratiæ privatio.

Argumentum 5tum. Si de facto daretur status naturæ puræ, tunc peccatum mortale habituale non consisteret in privatione gratiæ, sed tantùm in ejus negatione. Ergo peccatum habituale formaliter non consistit in privatione gratiæ. 355

Resp. 1mo. Peccatum pro illo statu habiturum aliam rationem formalem constitutivam, quàm in præsenti statu habeat, scilicet privationem subjectionis in Deum ut ultimum finem.

Resp. 2do. Quòd sicut macula relicta ex secundo peccato mortali, quod committitur, est privatio gratiæ; quia, licèt per accidens tale peccatum eam non destruat, eò quòd eam in subjecto non inveniat, per se tamen & ex natura sua est destructivum ejus; ita similiter macula, quam contraheret homo in statu naturæ puræ, si peccaret mortaliter, posset dici privatio gratiæ; quia illam excluderet, si in subjecto inveniret. Undè potest negari Antecedens.

Argumentum 6tum. Privatio gratiæ sanctificantis est pœna peccati. Ergo in tali privatione essentia peccati habitualis consistere non potest. *Ant.* constat ex S. Thoma 1. 2. q. 85. a. 5. his verbis: *Subtractio origina-* 356

ginalis justitiæ habet rationem pœnæ, sicut etiam subtractio gratiæ. Et in 2. dist. 33. q. 2. a. 1. ad 2. dicit: *Privatio gratiæ non habet rationem culpæ, sed pœnæ. Conf. prob.* Quia quidquid est à Deo, in illo non potest consistere peccatum habituale, cùm nullum peccatum esse possit à Deo. Atqui pœna peccati est à Deo, culpa verò non est à Deo, sed à principio defectivo. Ergo si privatio gratiæ est pœna peccati, non potest hujus essentia in tali privatione consistere.

Resp. 1mo. *Dist. ant.* Privatio gratiæ sanctificantis considerata ut carentia formæ supernaturalis, quæ perficit animam & dat illi esse participatum divinæ naturæ, est pœna peccati, *conc.* Considerata prout est carentia habitualis rectitudinis, subjectionis, ac conversionis hominis in Deum ceu ultimum finem, *neg. ant.* Sic enim habet rationem culpæ. Undè fatendum est, quòd si hoc modo à Deo positivè & efficienter produceretur, tunc Deus foret causa avertens ac separans à se ipso ut ultimo fine, quod Deo repugnat.

Resp. 2do. *Trans. ant. Neg. conf.* Ad ejus prob. *Dist. maj.* Quidquid est à Deo positivè, in illo non potest consistere peccatum habituale, *conc.* Quidquid est à Deo permissivè, &c. *neg. maj.* & *Dist. min.* Sed culpa non est à Deo causalitate positiva, *conc.* Non est à Deo causalitate permissiva seu negativa, idque ex supposito perpetrati peccati, *neg. min. &c.*

Inst. Deus potest in aliquo dormiente destruere gratiam sanctificantē suspendendo concursum conservativum illius in subjecto. Atqui tunc privatio gratiæ soli Deo adscriberetur, & tamen diceret carentiam habitualis rectitudinis hominis in Deum. Ergo prima Responsio non subsistit.

Resp. *Dist. maj.* Potest Deus destruere gratiam in dormiente, ita, ut ejus privatio esset dormienti involuntaria, *conc.* ita, ut esset voluntaria, *neg. maj.* Porrò privatio gratiæ non aliter constituit peccatum habituale, nisi in quantùm est voluntariè procreata per actum peccaminosum, quo deficiente deficit & ratio peccati habitualis; nam sicuti peccatum actuale esse nequit, quod voluntarium non est, ita pariter peccatum habituale esse non poterit, si voluntarium non sit.

Argumentum 7mum. Qui peccavit in instanti *A* & in secundo instanti incipit esse peccator habitualiter, in secundo instanti non privatur gratiâ, quin propter culpam commissam in instanti A sit dignus privari gratiâ in instanti B. Ergo jam pro illo priori est dignus hujusmodi privatione. Atqui pro illo instanti, quo quis dignus est privari gratiâ, jam adest peccatum habituale, ut peccatum jam *in facto esse.* Ergo privatio gratiæ non constituit, sed potiùs sequitur ad peccatum habituale. 357

Resp. Quòd privatio gratiæ, respectu voluntatis liberè se privantis perfectione debita subjectionis scilicet in Deum, sit peccatum & macula, eadem verò respectu voluntatis divinæ physicè subtrahentis sit pœna. Priùs inquiunt, est culpa, quàm pœna; quia priùs demeritoriè & moraliter est à voluntate creata, quàm physicè à divina. Itaque in instanti *A* licèt non adsit privatio gratiæ ut est physica subtractio à Deo, est tamen privatio gratiæ ut est demeritoria carentia perfectionis debitæ.

Inst. Si privatio gratiæ priùs est à voluntate liberè se eâ privante. Ergo non potest posteriùs ratione à Deo esse; quia non potest Deus subtrahere formam, quæ jam supponitur subtracta.

Resp. *Neg. conf.* Ad ejus prob. *Dist. conf.* Non potest Deus subtrahere formam physicè, quæ tantùm supponitur subtracta moraliter, *neg.* Quæ supponitur subtracta physicè, *conc. conf.* Deus autem subtrahit posteriùs ratione gratiam, quæ supponitur priùs ratione subtracta tantùm moraliter.

Argumentum 8vum. Ideò privatio gratiæ est mala, quia est privatio formæ debitæ. Atqui etiam habitus charitatis, & reliquæ virtutes sunt debitæ. Ergo etiam privatio charitatis, &c. est mala. 358

Resp. Si sermo sit de peccato actuali, verum esse privationem charitatis & reliquarum virtutum supernaturalium esse

malam in ipsa privatione gratiæ, ut in radice, cum qua omnes habitus infusi perduntur, exceptis Fide & Spe: falsum verò, si sermo sit de macula; nam sic sola privatio gratiæ maculam constituit; quia sola est privatio formæ perficientis & ornantis animam in ordine ad esse, reliqui verò habitus in ordine ad operari.

359 Argumentum 9num. Voluntas post peccatum manet conversa habitualiter ad creaturam seu ad bonum commutabile tanquam in ultimum finem. Atqui hæc conversio fieri nequit nisi per habitum positivum moraliter malum. Ergo in eo constitui debet peccatum habituale, non verò in privatione gratiæ. *Prob. min.* Sicut aversio importat privationem, sic à contrario conversio importat aliquid positivum. Ergo &c.

Resp. *Neg. min.* Ad ejus prob. Dicunt verum quidem esse hujusmodi conversionem esse quid positivum, non tamen egredi ab habitu quodam vitioso, sed solùm ab ipsa inclinatione essentiali voluntatis, non quidem nudè sumtâ, sed ut connotante privationem gratiæ & charitatis.

360 Argumentum 10mum. Idem est formale constitutivum quod distinctivum; atqui maculæ peccatorum non distinguuntur propter privationem gratiæ, sed propter peccatum præteritum. Ergo rectiùs dicitur peccatum habituale formaliter constitui per peccatum præteritum non retractatum.

Resp. *Dist. min.* Atqui maculæ peccatorum non distinguuntur propter privationem gratiæ nudè sumtam, *conc.* Non distinguuntur propter privationem gratiæ cum respectu ad suam causam, peccatum scilicet præteritum, *neg. min. &c.* Ratio hujus distinctionis sumitur 1mo. ex paritate de umbris, quæ ab invicem non distinguuntur per sola corpora objecta, neque per solam lucis carentiam, sed per hanc ut ex objecto procreatam. Sumitur 2do. ex S. Thoma 1. 2. q. 86. a. 1. ad 3. cujus textum referemus seq. §. Sumitur 3tio. ex hac ratione; quia macula de formali solùm importat privationem debitæ pulchritudinis & nitoris, causam autem, scilicet peccatum præteritum, nonnisi connotativè & indirectè; macula enim privativè opponitur pulchritudini & nitori, quæ sunt quid positivum. Ergo macula est formaliter quid privativum, ac proindè in actu præcedenti, scilicet peccatò præteritô, constitui nequit.

Neque dicas, hanc maculam non privativè, sed potius contrariè opponi pulchritudini & nitori, &c.

Nam contrà est; quia macula formaliter negat pulchritudinem & nitorem subjecto debitum, licèt connotet causam, ex qua talis privatio secuta sit. Et Confirm. Quia in nobis est integra macula peccati originalis, cùm tamen in nobis non sit ipsum originale protoparentis nostri peccatum, à quo hæc macula in nos derivatur. Igitur macula directè & formaliter non constituitur peccatô præteritô, sed solùm terminativè & connotativè.

Porrò axioma illud, *Idem est constitutivum quod distinctivum*, tunc solùm verificatur, quando distinctivum, quod importatur in recto, est etiam constitutivum; secùs verò, quando per modum alicujus connotati tantùm importatur in obliquo; aliàs enim omnis forma physica essentialiter constitueret suam privationem, cùm privationes non aliter distinguantur specie, nisi per formas oppositas, quibus privant.

Argumentum 11mum. Peccato præterito nondùm retractato conveniunt omnia, quæ constituunt peccatum habituale. Ergo &c. *Prob. ant.* Quia per illud peccator redditur inimicus Deo, habet essentialem obicem ad receptionem gratiæ, manet exclusus à Regno cœlorum. Atqui hæc solùm sufficiunt ad constituendum peccatum habituale. Ergo &c. 361

Resp. *Neg. ant.* Ad ejus prob. *Dist. ant.* Per illud peccator redditur inimicus Deo, &c. per inimicitiam solùm extrinsecam, *conc.* intrinsecam, quæ, ut sup. ostensum est, requiritur ad rationem peccati habitualis, *neg. ant. &c.*

§ III.

362 ## §. III.
Verior eligitur sententia.

CUm prior sententia auctoritate S. Thomæ manifestè fulta sit, ideò haud immeritò posteriori videtur præferenda. Præstat hìc quædam hujus S. Doctoris referre testimonia, quæ apertè innuunt eum priorem tenuisse sententiam. 1mo. quidem p. 1. q. 86. a. 1. ad 3. sic ait: *Macula non est aliquid positivè in anima, nec significat privationem solam, sed significat privationem quamdam nitoris animæ in ordine ad suam causam, quæ est peccatum.* 2do. In 4. sent. dist. 14. q. 2. a. 1. quæstiunc. 3. ad 2. dicit: *Per adventum gratiæ ad essentiam animæ tollitur macula, quæ nihil aliud erat, quàm gratiæ privatio.* 3tio. In 4. dist. 18. q. 1. a. 2. quæstiunc. 1. sic ait: *Ipsa macula, quantùm in se est, non ponit de essentia sua nisi privationem gratiæ; sed ponit ut causam obstaculum peccati, quod obstat ad gratiæ receptionem: & propterea etiam macula tenebra dicitur.*

Concordat S. Anselmus lib. de concept. Virg. c. 3. ubi ait: *Peccatum* (habituale) *non est aliud quàm absentia justitiæ debitæ.* Et licèt ibi fiat mentio de peccato originali, nihilominùs eadem ratio valet pro peccato habituali personali.

363 Juvat hìc adhuc quasdam subtexere rationes satis convincentes. 1ma. Per illud homo constitui debet peccator & injustus habitualiter, cujus oppositum constituit habitualiter sanctum & justum. Atqui gratia sanctificans constituit hominem sanctū & justum habitualiter, Ergo &c. *Min.* est certa. *Maj.* verò exindè liquet; quia denominationes oppositæ desumuntur à formis oppositis.

2da. Peccatum habituale per peccatum mortale actuale præteritum in anima relictum est essentialiter mors animæ. Atqui hujusmodi mors est privatio gratiæ habitualis. Ergo &c.

3tia. est, Quia, ut jam præcedenti §. dictum est, macula ex suo formali conceptu importat privationem debitæ pulchritudinis, quæ per peccatum mortale ejicitur è subjecto. Atqui hujusmodi pulchritudo est donum habituale gratiæ sanctificantis. Ergo privatio gratiæ sanctificantis formaliter constituit maculam ex peccato actuali mortali relictam. Tota hæc ratio constat ex testimoniis S. Thomæ hactenùs adductis.

Cæterùm hìc apprimè notandum est, quæstionem hìc versari duntaxat circa peccatū habituale mortale, non verò circa peccatum veniale habituale; nam hoc non consistit in privatione gratiæ sanctificantis, cùm non expellat è subjecto charitatem, sed tantùm consistit in diminutione fervoris charitatis extrinseci seu extensivi. Undè se habet respectu animæ sicut pulvis respectu faciei venustæ; hic namque non tollit venustatem ejus, sed tantùm impedit, ne eadem ac priùs appareat: sic pariter peccatum habituale veniale non tollit venustatem & pulchritudinem animæ, sed tantùm quamdam obnubilationem procreat; quo fit, ut charitas minùs ferveat, seu minùs splendeat. 364

Diximus *extensivi seu extrinseci*; nam charitas per veniale peccatum non minuitur intrinsecè, sed tantùm redditur homo non ita expeditus ad opera virtutum exercenda, deficitque facilè à fervore in actibus charitatis eliciendis, sicque fit Deo minùs familiaris.

Superest modò ut ea, quæ Adversarii ad argumenta §. 1. adducta responderunt, confutemus. Itaque 365

Contra Responsionem ad 1mum. Argumentum est; quia macula ex suo conceptu formali ac essentiali importat privationem pulchritudinis seu nitoris animæ per actum præteritum peccaminosum procreatum, ut ex dictis constat. Atqui privatio nitoris animæ non est contrariè opposita gratiæ sanctificanti, sed solùm privativè. Ergo etiam macula erit hujusmodi, &c.

Contra Responsionem ad Argumentum 2dum. est; quia si macula non est aliquid physicè ac realiter intrinsecum animæ; tunc nullum ampliùs superest convincens Argumentum contra Novatores, quòd scilicet gratia sanctificans sit quædam quali- 366

litas physica inhærens animæ. *Prob.* Quia id aliunde probari nequit, nisi ex Conciliis ac Scripturis, quæ dicunt, quòd *gratia & charitas sint in nobis, inhæreant nobis, diffundantur in cordibus nostris, &c.* Atqui S. Scripturæ & Concilia etiam dicunt *peccatum habituale ceu maculam animæ esse & permanere in nobis, inesse cuilibet proprium &c.* Ergo aut dicendum est maculam non solùm moraliter, sed etiam realiter esse animæ intrinsecam; aut fatendum erit argumenta, quibus Sectarios impugnamus, minùs esse convincentia.


367 Denique Responsio ad Argumentum 3tium ab Auctoritate S. Thomæ desumtum jam refutata est per Responsionem ad Argumentum 10mum. priori §. ab Adversariis adductum datam. Illud autem axioma, *Propter quod unumquodque tale, & illud magis tale*, non valet in causis efficientibus. Cùm igitur juxta S. Thomam, præsertim 1. p. q. 86. a. 1. ad 3. peccatum præteritum habeat rationem causæ respectu privationis nitoris animæ, liquet, quòd peccato præterito non retractato haud competat ratio maculæ seu peccati habitualis, sed solummodò privationi gratiæ.

Porrò in toto hoc negotio circa naturam seu potiùs conceptum privationis gratiæ, quatenùs constituit peccatum habituale, sic procedendum est: 1mo. Intelligere debemus debitum habendi gratiam sanctificantem, quod comitatur statum evectionis ad ordinem supernaturalem. 368
2do. Peccatum actuale procreans voluntariam privationem debitæ subjectionis ac subordinationis ad Deum ut ultimum finem supernaturalem, in qua peccatum habituale formaliter consistit. 3tio. Intelligimus propter utrumque peccatum, scilicet actuale & habituale, causam demeritoriam subtractionis seu privationis gratiæ, sive, quod in idem redit, indignitatem ad gratiam physicè à Deo subtrahendam in pœnam peccati. 4to. Denique Intelligimus Deum negare suum concursum conservativum gratiæ, & ipsam gratiæ privationem producere, non prout animam Deo subjicit, sed ut dicit perfectionem homini debitam.

FINIS.



INDEX
OMNIUM RERUM
IN
THEOLOGIA UNIVERSALI
QUATUOR TOMIS DISTINCTA
CONTENTARUM.



INDEX

Omnium rerum in Theologia Universali quatuor Tomis distincta contentarum.

A.

etiam referri possunt ii, qui aliis gravi sunt scandalo, illudque removere nolunt, *ibid. n.* 311. Ab absolutione etiam excludi debent ii, qui proximas peccandi occasiones deserere nolunt, *ibid. n.* 312. Absolutione item indigni sunt ii, qui continuò in eadem peccata mortalia recidunt, *ibid. n.* 313. Eis quoque jure denegatur, qui in ipsa peccatorum suorum declaratione minùs sinceri videntur, vel qui præscriptam & peccatis convenientem satisfactionem adimplere recusant; verbô, qui nulla, aut insufficientia demonstrant conversionis signa *ibid. n.* 314. (vid. *Casus reservati*) Absolutio impertienda est moribundo subitò obmutescenti, qui priùs vel coram Sacerdote, vel coram aliis, ex quibus Sacerdos id rescire potest, signa doloris, nutu, suspirio, &c. dederit, *ibid. §.* 3. *n.* 316. Excommunicatus aut peccator publicus, qui vel in ipso criminis actu, v. g. duello, ebrietate, &c. sensibus destituitur, nec ullo signo dolorem suum manifestare potest, absolvendus non est, *ibid. n.* 317. Infirmis in ultimo vitæ discrimine positis, & absolutionem Sacramentalem petentibus eam primis Christianæ Religionis Sæculis Ecclesia nunquam denegavit, *ibid. n.* 318. & 319. Probabiliùs concedenda est absolutio ei, qui Christianè vixit, sed subitò in extremis positus nullum doloris signum edere potest, *ibid. n.* 320. & *seq.* Solis Episcopis & Sacerdotibus, non verò Diaconis, nec Laicis data est à Christo potestas absolvendi à peccatis, *ibid. c.* 6. *§.* 1. *n.* 325. Solv. ob. *ibid. n.* 326. & *seq.* Absolutio à Censuris. (Vid. *Censura*)

Abstinentia est virtus moralis, quæ juxta rectam rationem, *supple*, & legem divinam, moderatur appetitum & usum ciborum oblectantium, atque etiam potionis inebriantis. *Tom.* 3. *Tract.* 5. *proœm. §.* 3. *n.* 10. vid. *Jejunium.*

Acatholici seu *Protestantes* veterum Hæreticorum errores ab Ecclesia dudum damnatos renovant & tuentur, scilicet Simonianorum, Valentinianorum, Eunominianorum, Novatianorum, Donatistarum, Aërianorum, &c. *Tom.* 1. *Tract.* 3. *c.* 2 *§.* 2. *n.* 106.

Accessio dicitur, cùm quid ornatûs causâ alteri rei adjicitur, ut si quis alienam domum pinxerit; si partem aliquam toti addiderit, ut ansam vasi, pedem statuæ; tunc accessionis jure adjectum cedit domino rei: si tamen ornamentum rem, cui adjectum est, pretiô longè superet, ornamentum habebitur pro principali, & ad eum pertinebit, à quo prodiit, *Tom.* 3. *Tract.* 5. *c.* 1. *Sect.* 1. *§.* 3. *n.* 167.

Acedia latè sumpta est quodvis tædium seu animi remissio in exercitio virtutum ob laborem seu molestiam ac difficultatem adjunctam. Est peccatum mortale vel veniale, prout ex illa violatur præceptum in re gravi vel levi. Strictè sumpta est tristitia & tædium de divina amicitia apprehensa ut malâ propter adjunctam difficultatem illius obtinendæ & conservandæ per laboriosa virtutum exercitia, & illicitarum voluptatum fugam. Est vitium speciale & per se mortale, *Tom.* 3. *Tract.* 6. *part.* 3. *cap.* 1. *§.* 7. *n.* 323. Illius filiæ sunt *Malitia*, qua quis odit bona spiritualia, & vellet ea non esse; aut qua ipsum pœnitet bonum fecisse, aut qua contemnit Dei beneficium, ob difficultates in Dei obsequio superandas: est ex genere suo mortalis: *Pusillanimitas. Desperatio. Rancor. Torpor.*

tributa, ut *malitia* & *bonitas*, tùm ea, quæ bonitatem & malitiam sequuntur, ut *meritum* & *culpa*, *ibid. n.* 7. (Vid. *Voluntarium*) Actus humanus considerari potest dupliciter, in genere naturæ seu quoad *esse physicum*, ut ajunt; & in genere moris, seu quantùm ad *esse morale*: priori modò spectatur secundùm suum esse physicum seu entitatem suam; in genere moris verò spectatur secundùm libertatem, & bonitatem vel malitiam moralem necnon capacitatem laudis vel vituperii, præmii vel pœnæ, *ibid. c.* 3. *§. unic. n.* 142. Porro moralitas actûs humani essentialiter posita est in relatione vel conformitatis, vel deformitatis, vel indifferentiæ objectivæ ad regulas morum: undè actus moralis rectè definitur actus conformis vel difformis regulis morum, aut ab eis permissus, *ibid. n.* 143. Principia moralitatis actûs humani sunt ea omnia, per quæ fit, ut actus humanus sit bonus vel malus, vel indifferens. Ea verò sunt tria, 1mo. *Objectum*, quod est res seu persona, quæ primò & per se ab actu attingitur eo modo, qui rectæ rationi est consentaneus aut dissentaneus, adeoque quod moraliter duntaxat, non physicè attingitur; illud etiam potest esse intrinsecè & ex natura sua rationi conforme, ut *amor Dei*; sicque est invariabile, atque semper bonum; semper malum verò, si ex natura sua sit rationi difforme: aut extrinsecè tantùm & vi legis positivæ, ut *jejunium*; atque sic aliquando bonum & aliquando malum ex circumstantiis evadere potest. 2do. *Circumstantia*. 3tio. *Finis*, nimirùm ex ordine, quem actus humani ad objectum, circumstantias, & finem dicunt, sunt morales, hoc est, boni aut mali, aut indifferentes. *ibid. n.* 144. Circumstantia actûs est *accidens quoddam moraliter afficiens actum humanum jam constitutum in suo esse tùm physico tùm morali*. Illius septem sunt species hoc versiculô expressæ: *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando. ibid. n.* 145. Vid. *Peccatum*. Licèt finis sit una ex præcedentibus circumstantiis voce *cur* expressa, tamen de eo specialiter agunt Theologi, quia præcipuè movet in actione, & ab eo potissimùm desumitur moralitas actûs. Cæterùm *finis* nomine hîc non intelligitur finis operis, is enim non distinguitur ab objecto; sed finis operantis, quique *extrinsecus* vocari solet, *ibid. n.* 146. vid. *Finis*. Specifica humanorum actuum moralitas sumitur ab objecto moraliter spectato. Rectiùs aliquibus videtur dici, actus humanos moralitatem suam habere non tàm ab objecto, quàm à modo in illud tendendi; ita ut bona sit actio, quæ modò rationi consonô objectum attingit, mala verò quæ secùs. *ibid. n.* 147. Solv. ob. *ibid. n.* 184. & *seq.* Moralitas actuum humanorum desumitur etiam ex circumstantiis, *ibid. n.* 148. Circumstantiæ aliæ sunt, quæ dant actui primam & essentialem speciem in genere moris, tumque non manent circumstantiæ, sed induunt rationem objecti: aliæ verò supponunt in actu aliquam speciem ad mores pertinentem, hæque propriè vocantur *circumstantiæ*, *ibid. n.* 149. Circumstantiæ item aliæ sunt formales, eæ scilicet, quæ se tenent ex parte actûs, ut intensio, remissio, libertas, metus, &c. in actione: aliæ objectivæ, quæ se tenent ex parte objecti, ut major vel minor quantitas furti, circumstantia loci, personæ, circa quam aliquid agitur, *ibid. n.* 150. Iterùm circumstantiæ sive formales sive objectivæ duplicis sunt generis; aliæ mutant

pliciter malum, *ibid. n.* 180. Circumstantia moraliter mala, cùm antecedenter in actum influit tanquam causa ipsius, illum totum vitiat; secùs si sit tantùm venialiter mala, & concomitanter duntaxat actioni de se bonæ & in bonum finem directæ in operis decursu velut adveniat. Actio tamen intrinsecè & ratione objecti mala non potest ullâ circumstantiâ cohonestari, *ibid. n.* 181. Ad malitiam moralem actûs humani ex parte operantis nec actualis malitiæ cognitio, nec dubium de malitia, nec denique reflexio ad malitiam actûs requiritur, *ibid. n.* 182. Opinio quæ asserit nusquam peccari, nisi adsit actualis cognitio malitiæ operis, quod agitur, aut actualis ad illam reflexio, impia est, *ibid. n.* 183. Actuum humanorum regula duplex est, *externa* scilicet & *interna*: prior est Lex sive divina sive humana; posterior verò Synteresis & conscientia nuncupatur, *ibid. c.* 4. *n.* 198. (Vid. *Conscientia*, *Synteresis*, *Lex*)

Actus Fidei duplex est, *internus*, & *externus*, *Tom.* 3. *Tract.* 3. *part.* 1. *c.* 5. *§.* 3. *n.* 05. Internus Fidei actus definitur *firmus mentis assensus rei revelatæ ab Ecclesia propositæ propter primam veritatem revelantem.* Quinque numerantur actus ad hunc assensum prærequisiti, *ibid. n.* 106. quorum tres naturaliter elici possunt, *ibid. n.* 107. duo verò supernaturaliter duntaxat, *ibid. n.* 108. actus internus fidei est tùm necessitate medii tùm necessitate præcepti omnibus adultis necessarius, *ibid. n.* 112. Actûs interni fidei Objectum multiplex est: quid omni tempore credendum fuerit scilicet, *ibid. n.* 113. quid ante Evangelium credendum necessariò fuerit, *ibid. n.* 114. quid post Evangelium, *ibid. n.* 115. quibus temporibus speciatim obliget actus internus Fidei, *ibid. n.* 116. Extat præceptum eliciendi externum Fidei actum, *ibid. n.* 117. Non est per se necessarius nisi necessitate præcepti; per accidens tamen potest esse necessarius necessitate medii, *ibid. n.* 118. Præceptum actûs externi fidei, seu fidem exteriùs confitendi aliud est affirmativum, negativum aliud, *ibid. n.* 119. præceptum confitendi exteriùs fidem quando obliget, *ibid. n.* 120. quando per omissionem actûs externi fidei honor Deo debitus subtrahi censeatur, *ibid n.* 121. item utilitas proximo impendenda quando per omissionem hujusmodi actûs subtrahi censeatur, *ibid n.* 120. Nullo in casu licitum est fidem exteriùs negare, *ibid. n.* 123. nec falsam simulare Religionem, *ibid. n.* 124. & 125. Nunquam licet cœnam hæreticam sumere. Interesse concionibus vel conventibus hæreticorum, cùm adest periculum subversionis vel scandali, vel etiam id censetur defectio à vera fide, nunquam licet; neque seriò uti vestibus vel aliis signis, quæ solùm adhibentur ad professionem vel exercitium falsæ Religionis; nec legere hæreticorum libros de fidei controversiis tractantes, *ibid. n.* 126. Christiano licet fugere vel se occultare tempore persecutionis, si ex ejus fuga nullum fidei detrimentum vel scandalum in aliis oriatur, *ibid. n.* 127. Hæc fuga tamen illicita est ei, cujus præsentia necessaria est ad alios in fide confirmandos, *ibid. n.* 128. (Vid. *Fides*)

Actus Spei est adultis ad salutem necessitate medii, & certis quibusdam temporibus necessitate præcepti. *Tom.* 3. *Tract.* 3. *part.* 2. *c.* 4. *n.* 152. & *seq.* (vid. *Spes*)

Actus Charitatis. (Vid. *Charitas*)

Adjura-

Adjuratio est contestatio seu interpositio rei sacræ, cujus reverentiâ intendimus aliquem permovere ad aliquid præstandum, *Tom.* 3. *Tract.* 4. *c.* 4. *ʃ.* 6. *n.* 224. Duplex est, *deprecativa*, quæ fit per preces; & *præceptiva*, quæ fit cogendo, *ibid. n.* 225. In ea tres interveniunt personæ, una quæ adjurat, altera quæ adjuratur, tertia per quam fit adjuratio, *ibid. n.* 226. Adjurari possunt Deus; Sancti; homines; Dæmones, hi quidem non deprecativè sed imperativè. Adjuratio simpliciter & strictè sumpta, prout est religiosa & cultum Latriæ includit, nonnisi per Deum fieri potest, *ibid. n.* 227. Multiplici modô peccatum esse potest, ut si fit de re illicita, si fiat per eum, per quem fieri non debet, si Superiores per modum coactionis adjurentur, si Dæmon deprecativè adjuretur, aut ut vana & curiosa ab eo requirantur; si ei præbeatur occasio aliorum peccata revelandi, si verbis ejus certa fides adhibeatur, *ibid. n.* 228.

Adoptio duplex est, *humana* scilicet & *divina*: adoptio *humana* est gratuita assumptio personæ extraneæ ad hæreditatem humanam; *divina* verò est gratuita assumptio personæ extraneæ ad hæreditatem divinam, quæ in beatitudine æterna & perfecta consistit. Hinc omnis & sola creatura rationalis seu intellectualis, Angelus nempè & homo, capax est adoptionis divinæ, *Tom.* 2. *Tract.* 3. *c.* 6. *ʃ.* 5. *n.* 334. (Vid. *Christus*) Adoptio humana definitur, personæ extraneæ assumptio in filium aut nepotem, vel in filiam aut neptem, cum jure ad hæreditatem. Etiam duplex est, *perfecta* & *imperfecta*: prior est ea, quæ rescripto Principis fit, & per quam adoptatus transit in familiam & potestatem adoptantis; altera quæ non fit auctoritate Principis, *Tom.* 4. *Tract.* 8. *c.* 4. *Sect.* 3. §. 6. *n.* 257. (Vid. *Cognatio.*

Adoratio. Adorationis nomine generatim significatur cultus quilibet, qui alicui exhibetur propter ejus dignitatem & excellentiam. Generatim Adoratio dividitur in politicam seu civilem, & sacram seu Religiosam; prior est, quæ impenditur alicui propter sæcularem vel naturalem quamdam præstantiam & excellentiam; Religiosa est ea, quæ motivô superiori Religionis propter supernaturalem aliquam excellentiam, innititur. Undè Adorationis nomen dupliciter sumitur, Latissimè scilicet, pro quacumque veneratione alteri exhibita in signum excellentiæ ipsius, quæcumque ea sit; & Latè, prout nempè sacra est & Religiosa. Hæc Adoratio seu cultus Religiosus dividitur in *absolutum* & *relativum*; absolutus dicitur, qui rei exhibetur propter se, seu propter excellentiam sibi vel suo supposito intrinsecam; relativus est ille, qui rei alicui exhibetur non propter se, sed propter excellentiam personæ, quam repræsentat, & ad quam refertur. Hujusmodi sacræ adorationis seu cultûs religiosi triplex est species; scilicet *Latria*, qui est cultus, qui exhibetur ob excellentiam divinam seu increatam; *Dulia*, qui est cultus, qui exhibetur propter excellentiam creatam & supernaturalem, sed multis communem & non alicui omninò singularem; & *Hyperdulia*, qui est adoratio, quæ exhibetur propter excellentiam creatam supernaturalem, sed eximiam, & uni subjecto singularem. Prima adorationis species uni Deo debetur; altera exhibetur Sanctis sive jam cum Christo in cœlis regnent, sive hîc adhuc in Ecclesia militent; tertia adorationis

nam vel eſt copula conjugati cum ſoluta, vel ſoluti cum conjugata, vel conjugati cum conjugata: ſi fœmina ſit conjugata, gravius eſt peccatum, quàm ſi vir tantùm; ſi verò uterque ſit conjugatus, adhuc gravius eſt, *ibid. n.* 287. Adulterium eſt impedimentum dirimens matrimonium. (Vid. *Matrimonium*)

Ædificatio. Quod in noſtro ædificatum eſt, noſtrum eſt; quia ædificium accedit ſolo. Sed attendendum eſt, an bona an mala fide quis ædificaverit; ſi enim bona fide, ei ſolvendæ ſunt impenſæ; ſecùs, ſi ex mala fide. Si verò quis ex aliena materia in ſuo ſolo ædificaverit; ſi id bona fide egerit, non tenetur niſi ad ſolvendam hujus materiæ æſtimationem; ſi verò mala fide, tenetur inſuper de omni, ut ajunt, intereſſe, de lucro ceſſante, de damno emergente, &c. *Tom.* 3. *Tract.* 5. *c.* 2. *Sect.* 1. *§.* 3. *n.* 169.

Æmulatio. (Vid. *Invidia*)

Æra Chriſtiana. Anni Æræ Chriſtianæ quartô ſemper annô ſubſequuntur annos Chriſti, *Tom.* 1. *Tract.* 1. *part.* 2. *Sect.* 2. *c.* 1. *n.* 600.

Ætates mundi. 1ma. ab Adamo usque ad diluvium. 2da. à Diluvio usque ad Abrahamum. 3tia. ab Abrahamo usque ad Moyſem, *Tom.* 1. *Tract.* 1. *part.* 2. *Sect.* 1. *c.* 1. *n.* 175. 176. & 177. 4ta. à Moyſe, ſeu ab egreſſu filiorum Iſrael ex Ægypto usque ad jacta Templi Jeroſolymitani per Salomonem fundamenta, *ibid. n.* 191. 5ta. à jactis Templi Jeroſolymitani fundamentis, usque ad finem Captivitatis Babylonicæ, *ibid. c.* 2. *n.* 233. 6ta. à liberatione populi Iſraelitici è captivitate Babylonica usque ad Adventum Chriſti, quo ſeptima mundi Ætas initium ſumpſit, *ibid. n.* 265.

Æternitas à Boëtio definitur *interminabilis vitæ tota ſimul & perfecta poſſeſſio*, vel æternitas eſt *duratio interminabilis, indiviſibilis & independens, Tom.* 2. *Tract.* 1. *part.* 1. *c.* 3. *§.* 5. *n.* 70. Inter æternitatem & ævum hoc intercedit diſcrimen, quòd ævum ſit quidem menſura rei, quæ in ſuo eſſe non mutatur nec corruptioni ſubjacet, qualis eſt v. g. Angelus; ſed tamen ſecundùm locum, vel electionem ſeu voluntatem mutari poſſit, ſecùs æternitas. *ibid. n.* 73. (Vid. *Deus*)

Affinitas eſt perſonarum conjunctio ſeu propinquitas orta ex copula carnali, ſive licitâ in Matrimonio, ſive illicitâ extra Matrimonium, vi cujus una alterius conſanguineis fit affinis. Eſt impedimentum dirimens Matrimonium. *Tom.* 4. *Tract.* 3. *part.* 3. *c.* 4. *Sect.* 3. *n.* 232. (Vid. *Matrimonium*)

Aggæus Propheta, quis fuerit, & quo tempore ſcripſerit, *Tom.* 1. *Tract.* 1. *part.* 2. *Sect.* 1. *c.* 4. *n.* 544. Quid ejus prophetia ſeu liber contineat, *ibid.*

Alapa. Non licet alapam pro alapa reddere, *Tom.* 3. *Append. ad Tract.* 5. *part.* 2. *c.* 2. *§.* 7. *n.* 574.

Alluvio dicitur, cùm flumen ex uno prædio detrahit & alteri adjicit, quod fieri poteſt vel paulatim ſenſimque, & dicitur incrementum latens; vel ſubitò & repentina fluminis vi, & dicitur incrementum patens. Incrementum latens accreſcit etiam uſufructuario; patens autem proprietario duntaxat; quia in priori caſu cenſetur remanere idem fundus, in poſteriori verò æſtimatur diverſus. Feudatarius tamen & emphyteuta utriusque incrementi commodum capere debent, quia proprietarii vicem gerunt, *Tom.* 3. *Tract.* 5. *c.* 2. *Sect.* 1. *§.* 3. *n.* 165.

teriùs non determinabili, *ibid. n.* 469. *& seq.* Solv. ob. *ibid. n.* 473. *& seq.* (Vid. *Restrictio mentalis*)

Amphilochius (Sanctus) Quis &c. ejus Opera, *Tom.* 1. *Tract.* 4. *c.* 1. *n.* 53.

Amphora certa vasis species seu liquidorum mensura, *Tom.* 1. *Tract.* 1. *c.* 8. *n.* 136.

Amplexus (vid. *Oscula*)

Angelus. Angelorum nomine intelligimus substantias, quarum species media Deum inter & hominem est, ita ut Angelus Deo sit inferior, & homine superior, *Tom.* 2. *Tract.* 2. *c.* 1. *n.* 3. Angelus secundùm vim nominis idem est ac *Nuntius*. Generatim ergo dicuntur Angeli, qui à Deo mittuntur ad aliquod munus implendum; vox igitur *Angelus*, si vocabuli vis spectetur, nomen est muneris & officii, non naturæ. Speciatim verò Angeli nomine intelligitur Spiritus quidam creatus suô modô completus; seu Angelus est substantia creata omnis materiæ expers, completa & intellectualis, cujuscunque sit ordinis, *ibid.* *§.* 1. *n.* 4. Generatim duplicis speciei seu potiùs generis sunt Angeli, boni scilicet, & mali; quanquam in strictiori significatione soli beati Spiritus *Angeli* communiter vocari soleant, *ibid. n.* 5. Angelorum existentiam plures è veteribus Philosophis negârunt. Eundem errorem tuiti sunt inter Judæos Sadducæi; & magna ex parte denuò his nostris temporibus exsuscitârunt Anabaptistæ: nulli tamen Hæretici post Christum natum leguntur eò progressi, ut cum Sadducæis Angelicam naturam prorsùs negarent, *ibid. n.* 6. Apud veteres Ecclesiæ Scriptores non perindè ac hodie omnibus probata fuit sententia Angelos esse incorporeos asserens; quidam enim tuebantur eos esse corporeos; ad quorum opinionem quidam è Recentioribus accessêre. *ibid. n.* 7. Nonnulli hac de re ancipites fuerunt, inter quos S. Augustinus, & S. Bernardus, *ibid. n.* 8. Illorum immortalitatem quidam Hæretici negant. Scholastici disputant inter se, num Angeli sint ejusdem speciei nec ne, *ibid. n.* 9. Angeli verè existunt, *ibid. n.* 10. Solv. ob. *ibid. n.* 15. *& seq.* Sunt substantiæ merè spirituales & omninò expertes corporis, *ibid. n.* 11. Solv. ob. *ibid. n.* 17. *& seq.* Non indigent corpore tanquam instrumentô, per quod suas naturales operationes eliciant, id est, intellectionem & volitionem, *ibid. n.* 12. Quamvis temerarium videatur tueri Angelos esse corporibus instructos, tamen eos esse incorporeos de fide esse non audemus asserere, *ibid. n.* 13. Angeli sunt immortales, atque in perpetuum sunt exstituri, nec ulli interitui unquam subjacebunt; idque ex natura sua ac principiis suis intrinsecis: non tamen ita absolutè, ut à Deo destrui & ad nihilum redigi ex potentia ipsius extraordinaria, qua præter exigentiam causarum naturalium agit, non valeant, *ibid. n.* 14. Solv. ob. *ibid. n.* 21. *& seq.* Probabilius videtur eos inter se specie differre, *ibid. n.* 14. Angeli sive boni sive mali Deum habent auctorem, *ibid. §.* 2. *n.* 24. Neque ante mundum visibilem, neque post, sed simul cum illo creati fuerunt, *ibid. n.* 25. Solv. ob. *ibid. n.* 31. *& seq.* De loco, in quo creati sunt non constat; probabile tamen est, eos in aliqua superiori mundi parte creatos fuisse: S. Thomas eos in cœlo empyreo, quod supremum est, creatos fuisse post Bedam arbitratur, *ibid. n.* 26. Creati fuerunt beati beatitudine naturali, non autem beatitudine supernaturali, *ibid. n.* 28. Solv. ob. *ibid. n.* 34. & in statu gratiæ sanctificantis, *ibid. n.* 29. Solv.

nem, *ibid. n.* 41. Angelus se ipsum, creaturas mente præditas, & Deum diligit sed diversimodè: Amor iste Angelorum naturaliter immutabilis esse non videtur, *ibid. n.* 42. Locus, motus, & locutio Angelorum, *ibid. n.* 43. Quomodò sint in loco, Exercit. Theol. Exercit. 13. *n.* 223. *& seq.* Missio, quæ est processio à Deo per imperium ad aliquem effectum producendum, convenit Angelis, *ibid. n.* 44. Singuli Fideles habent suum Angelum custodem à Deo missum, *ibid. n.* 45. Multùm probabile est etiam infidelibus & reprobis omnibus & singulis adesse Angelum custodem, *ibid. n.* 46. Neque etiam est improbabile cuique regno, provinciæ, imò & civitati deputatum esse Angelum custodem, &, ex communi consensu, Ecclesia Universalis habet Angelum tutelarem, nempe Michaelem Archangelum, qui olim Synagogæ præfuit, *ibid. n.* 47. Quænam sint Angelicæ custodiæ munia, *ibid. n.* 48. Non satis probabilis videtur opinio illorum, qui dicunt singulis hominibus dæmonem tentatorem esse assignatum, non quidem à Deo, sed à Lucifero Dei operum imitatore, id permittente Deo ob bonos fines, *ibid. n.* 49. Angeli meriti sunt augmentum gratiæ sanctificantis, & beatitudinem supernaturalem, quæ posita est in intuitiva Dei visione, *ibid.* *§.* 4. *n.* 50. *&* 51. Sola voluntatis potestas seu arbitrii libertas fuit origo peccati Angelorum, *ibid.* *§.* 5. *n.* 52. Peccatum illorum fuit superbiæ peccatum; in eo autem posita fuit diaboli superbia, quòd inordinatè, hoc est, propriis viribus voluerit acquirere suam beatitudinem, in qua se ipso frueretur, tanquam sibi sufficiens, & eatenùs similis Altissimo, *ibid. n.* 53. Probabile est aliquos ex singulis Angelorum ordinibus cecidisse; & videtur, quòd dæmonum Princeps fuerit omnium Angelorum supremus, *ibid. n.* 54. Pœna, quæ consecuta est Angelorum peccatum quadruplex recensetur; cæcitas mentis, propter quam dæmones simpliciter dicuntur tenebræ; obstinatio voluntatis, à qua denominantur Spiritus mali, Spiritus nequam; exclusio à gloria; & tormentorum ignis, *ibid. n.* 55. *& seq.* Origenes censuit Angelos damnatos seu dæmones aliquando à pœnis suis fore liberandos, adeoque illas finem aliquando habituras; quem errorem postremis hisce temporibus Sociniani amplexi sunt, *ibid n.* 59. Certum tamen est, supplicia Angelorum Apostatarum esse æterna, *ibid. n.* 60. Plures antiqui Patres, S. Scripturâ, ut ipsis videbatur, id innuente, censuerunt dæmones non esse torquendos pœnâ gehennæ ante diem judicii extremum, *ibid. n.* 61. nihilominùs certum est, dæmones statim post peccatum suum in infernum detrusos fuisse pœnâ sensûs æternùm duraturâ illicò cruciandos, *ibid. n.* 62. Solv. ob. *ibid. n.* 63. *& seq.* Dæmones igne materiali & proprio torqueri concors est Catholicorum sententia contra Philonem, Theophilactum, Catharinum, & multos Novatores; imò SS. Ambrosius, Gregorius Magnus, asserere videntur, ignem tartareum esse incorporeum; & S. Augustinus ait, flammam, qua cruciabatur dives epulo, talem esse, quales sunt oculi, lingua, & digitus in anima sine corpore; quomodo autem hoc fiat, ut scilicet igne materiali dæmones torqueantur, non est una Theologorum sententia; Nos satis probabiliter id explicamus, *ibid. n.* 67. puniendis Angelis reprobis & cæteris damnatis locus quoque materialis destinatus est subterraneus; utrum autem sit profundissima terræ pars, non

Autre-

Antropomorphitæ Sæculi quarti, vel sub initium quinti Hæretici, qui Deo speciem humanam tribuebant, *Tom.* 2. *Tract.* 1. *part.* 1. *c.* 4. *ʃ.* 1. *n.* 84. (Vid. *Deus*)

Apocalypsis latinè *Revelatio*. Hoc nomine inscribitur liber revelationum S. Joannis Apostoli. Quo tempore ab ipso exaratus sit, & quid contineat, *Tom.* 1. *Tract.* 1. *part.* 2. *Sect.* 2. *c.* 4. *n.* 699. Cerinthi esse quidam autumârunt: alii divinum quidem dicebant, sed S. Joanni illum abjudicârunt. Veteres quidam Hæretici illum respuebant, quos novissimè secutus est Lutherus, *ibid. n.* 700. Canonicus est, & à S. Joanne conscriptus, *ibid. n.* 701. *& seq.* nec perpaucorum opinio, qui vel ejus non meminerunt, vel, an Joannis esset, dubitaverunt, quidquam obest ejus divinitati, *ibid. n.* 707. Solv. ob. *ibid. n.* 708. *& seq.* Aliorum Apocalypsis librorum meminerunt Veteres, qui tamen velut apocryphi ab Ecclesia censentur & rejiciuntur, *ibid. n.* 716.

Apocryphus vox Græca rem occultam & absconditam significat; stylô Ecclesiasticô nomen istud libris illis tribuitur, quorum Authores non modò sunt ignoti, sed etiam nullius aut saltem dubiæ fidei, *Tom.* 1. *Tract.* 1. *part.* 2 *Sect.* 1. *c.* 2. *n.* 269. *in not.*

Apostasia est species infidelitatis, atque definitur *totalis defectio seu recessus à fide Christiana per Baptismum suscepta.* Non differt ab Hæresi nisi accidentaliter, scilicet secundùm magis & minus: imò ambæ ab ipsa infidelitate accidentaliter dumtaxat differunt, quatenùs scilicet una se ad plura extendit quàm alia, atque in diverso subjecto reperitur; essentialiter verò minimè differunt inter se; nam omnes pugnant contra unam speciei virtutem Fidei, & contra unicum ejus objectum formale, nimirùm revelationem divinam ab Ecclesia propositam, *Tom.* 3. *Tract.* 6. *part.* 3. *c.* 2. *ʃ.* 1. *n.* 332. Præter hanc à Fide Apostasiam, quæ propriè Apostasia dicitur, adhuc tres aliæ numerantur: scilicet *Apostasia ab Obedientia*, qua quis præcepta Prælati non solùm negligit, quod est inobedientia, sed insuper iis formaliter se opponit, eaque contumax abjicit; *Apostasia à Religione*, quæ est criminosa recessio à quolibet Ordinis Religiosi instituto cum proposito non revertendi, sive retineatur habitus, sive abjiciatur; & *Apostasia ab Ordine*, qua quis à sacris Ordinibus, dimisso habitu, transit ad statum laïcæ conversationis, ut putà conjugii, *ibid. n.* 333. (vid. *Infidelitas*)

Apostolicitas Ecclesiæ. Ut quædam Christiana societas Apostolicitatis notâ decorari, seu Apostolica dici mereatur, debet 1mo. ab Apostolis originem ducere, 2do. eandem cum ipsis doctrinam sectari, 3tio. illius Pastores legitmam debent habere missionem & successionem ab Apostolis, quæ minimè interrupta fuerit, *Tom.* 1. *Tract.* 3. *c.* 2. *ʃ.* 4. *n.* 141. *&* 142. (Vid. *Ecclesia*)

Approbatio Confessarii est judicium authenticum de idoneitate Sacerdotis ad audiendas confessiones factum ab Episcopo aut habente potestatem Episcopalem, *Tom.* 4. *Tract.* 5. *c.* 6. §. 3. *n.* 340. (Vid. *Potestas Presbyteri seu Sacerdotis*)

Appropriatio est modus loquendi, quo quædam attributa & operationes uni personæ potiùs quàm alteri tribuuntur. Quamvis omnia, quæ in Deo sunt absoluta, tribus divinis personis sint communia, nihil tamen officit, quin *Appropriatio* in personis divinis locum habeat, & nonnulla attributa

Aruspi-

Aruspicium divinationis species, est inquisitio cognitionis rerum occultarum per motum, situm, aut numerum avium. Aruspicium & Augurium, quibus aliqui naturales effectus, v. g. serenitas, pluvia, tempestas, conjiciuntur, non sunt divinationis peccata, nec ad eam pertinent, *Tom.* 3. *Tract.* 6. *part.* 3. *c.* 3. *Sect.* 1. *§.* 2. *n.* 414. (vid. *Divinatio*)

As alio nomine *pondo* seu *pondium* nuncupatum, est moneta apud antiquos, *Tom.* 1. *Tract.* 1. *part.* 1. *c.* 8. *n.* 124.

Aspectus impudici seu pudendorum ejusdem sexus, vel proprii corporis, aut coitûs animalium ex sola curiositate vel levitate seclusis affectu venereo, scandalo, & periculo pollutionis ac delectationis venereæ est solùm venialis: potest tamen esse mortalis ratione periculi, spectata aspicientis speciali fragilitate, quod non raró adest in juvenibus; quare ab his graviter deterrendi sunt: & certè mortalis est, si fiat ex voluptate deliberatè quæsita, *Tom.* 3. *Tract.* 6. *part.* 3. *c.* 1. *§.* 4. *n.* 307. Vid. *Oscula*, *Delectatio venerea.*

Assaron sive *Gomor*, mensuræ genus, quo maximè per quadraginta annos in deserto usi sunt Hebræi ad metiendum manna, *Tom.* 1. *Tract.* 1. *part.* 1. *c.* 8. *n.* 146.

Assecuratio est contractus, quo quis rei alienæ periculum in se suscipit, obligando se vel gratis vel pactô pretiô ad eam compensandam, seu ad solvendum ejus pretium si perierit. Quando hæc obligatio pretiô suscipitur, est contractus similis venditioni, nam venditur obligatio præstandi domino rem indemnem, quæ obligatio est pretiò æstimabilis, *Tom.* 3. *Tract.* 5. *c.* 3. *Sect.* 2. *§.* 9. *n.* 407. Ad ejus justitiam requiritur 1mo. ut pretium respondeat quantitati periculi, 2do. ut periculum subsit saltem probabiliter, vel saltem subesse ab utroque contrahente judicetur, 3tio. ut ille, cui merces v. g. assecuratur, servet conditiones, de quibus justè convenire potuit, 4to. ut assecurans habeat vel habere possit, unde solvat, *ibid. n.* 408.

Astrologia alia est naturalis, qua ex Syderum concursu prænuntiantur eclypses, venti, pluviæ, frigus, æstus, & alii similes effectus, qui cum istis connexionem naturalem habent, ut frugum ubertas & sterilitas; & hæc licita est. Alia est judiciaria, qua nempe ex Syderum aspectu & concursu futura libera, & quæ à sola hominis libertate pendent, prænuntiantur; & hæc est prorsùs illicita Divinationis species, *Tom.* 3. *Tract.* 6. *part.* 3. *c.* 3. *Sect.* 1. *§.* 2. *n.* 412. & 415. (Vid. *Divinatio*)

Athalia Filios Regis Juda Ochoziæ filii sui post ejus necem à Jehu ipsi illatam, occidi curat, unicus Joas servatur studio Jotabæ sororis Ochoziæ. Post sex annos ipsa Athalia trucidatur. *Tom.* 1. *Tract.* 1. *part.* 2. *Sect.* 1. *c.* 2. *n.* 238.

Athanasius (Sanctus) quis? ejus Opera, *Tom.* 1. *Tract.* 4. *c.* 1. *n.* 44. (Vid. *Symbolum*)

Attributa divina. Nomine attributorum divinorum Theologi intelligunt formas absolutas, quæ secundùm proprium suum esse existunt in Deo, & ab ejus natura tanquam proprietates emanant. Attributum divinum definiri solet *perfectio simpliciter simplex, absolutè ac necessariò de Deo prædicabilis per modum formæ adjacentis.*

rii communiter cæteris præfertur, & hac aureola donantur, qui re ipsa & per actum exteriorem martyrium subeunt, non item ii, qui actu interno duntaxat, & sola voluntate sunt Martyres, *ibid. n.* 176.

Aurum (vid. *Vena auri & argenti*)

B.

Bannum seu *Banna* (vid. *Sponsalia*)

Baptismus vox græca idem est latinè ac *immersio.* Vario sensu Baptismi nomen in Scripturis usurpatur: pro lotione communi ad munditiem vel refrigerium corporis; pro illis frequentibus lotionibus, quibus Judæi utebantur ad expurgandam, si quam fortè contraxissent, legalem immunditiam; per Baptismum nonnunquam significatur dolor, afflictio, cruciatus, &c. propriè nomine Baptismi intelligitur sacra lotio illa & religiosa, quam *Sacramentum Baptismi* vulgò appellamus, quæ quidem in Scripturis variis titulis & nominibus designatur, ut *Lavacrum regenerationis;* quia homo carnaliter natus per Baptismum spiritualiter renascitur; *Illuminatio*, per quam scilicet sanctam illam & salutarem lucem intuemur; *Sepultura*, eò quòd per ipsum sepultura Christi adumbratur. A SS. Patribus communiter dicitur *Sacramentum fidei*, eò quòd Catechumeni in ipso Baptismi ritu fidem profiteantur, *Tom.* 4. *Tract.* 2. *proœm. n.* 1. & 2. Baptismum esse verum Novæ legis Sacramentum nemo Christianus unquam dubitavit, cùm in eo ratio Sacramenti nimis luculenter elucescat; est enim ritus externus à Christo institutus, annexam habet promissionem gratiæ sanctificantis, extat illius observandi mandatum, *ibid. n.* 3. Definitur Baptismus quòd sit *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo*, seu clariùs, *Sacramentum novæ legis ad spiritualem hominis regenerationem per aquam cum expressa invocatione SS. Trinitatis à Christo institutum. ibid. n.* 4. porro data definitio solùm convenit Baptismo aquæ, seu fluminis, ut vocant: triplex quippe Baptismus à Theologis distinguitur; alius est enim Baptismus *sanguinis*, Martyrium nempe; alius *flaminis*, estque votum seu desiderium suscipiendi Sacramentum Baptismi; alius denique Baptismus *aquæ*, quem primùm definivimus. Duo priores metaphoricè tantùm vocantur Baptismi, ob similem nimirùm effectum, quem in anima producunt; quia in casu necessitatis, ubi scilicet non est facultas suscipiendi Baptismum aquæ, animam mundat à peccato, sicque sunt quædam metaphoricæ ablutiones, *ibid. n.* 5. In Baptismo sicut & in aliis Sacramentis, quæ in actione consistunt, duplicem Theologi distinguunt materiam, *remotam* scilicet & *proximam:* prior est res ipsa, quæ ad conficiendum Sacramentum assumitur, v. g. *aqua* in Baptismo; posterior verò est usus seu applicatio materiæ remotæ, v. g. *ablutio* in Baptismo, *ibid. c.* 1. *n.* 6. Errores hæreticorum tùm veterum tùm recentiorum circa materiam remotam Baptismi, *ibid. §.* 1. *n.* 7. Omnis & sola naturalis seu elementaris aqua est necessaria Baptismi materia, *ibid. n.* 8. & *seq.* Solv. ob. *ibid. n.* 14. & *seq.* applicatio aquæ seu ablolutio exterior corporis, quæ est materia proxima Baptismi, tribus modis fieri potest, nempe per trinam vel unam immersionem, per aspersionem, & per infusionem; circa quos varios baptizandi modos seu ritus non una semper fuit

nem, quæ ipsis usum Matrimonii interdiceret. Minister, qui formam profert, simul eodem tempore aquam infundat ipse & non alius, secùs enim irritum esset Sacramentum. Seipsum nemo baptizare potest, quantumcumque sit urgens necessitas, *ibid. n.* 80. Sæculô XII. Petrobrussiani & Henriciani hæretici negârunt licere infantes baptizari: idem posteà Sæculô XVI. docuerunt Anabaptistæ, quos secuti sunt Sociniani, *ibid. §.* 4. *n.* 81. Infantes sunt Baptismi capaces, & expedit eos baptizare, *ibid. n.* 82. *& seq.* Solv. ob. *ibid. n.* 87. *& seq.* Infans tamen in utero materno adhuc conclusus, si aquâ immediatè perfundi nequeat, non est capax Baptismi; quòd si per fistulam aut alio artificio possit aqua ad illum pertingere, juxta multos validè baptizari potest: si tamen infans caput emiserit, & mortis periculum timeatur, baptizetur in capite, iterùm posteà minimè baptizandus; si autem aliud membrum protulerit, quod vitalem motum indicet, in eo membro baptizetur, & si natus vixerit, iterùm sub conditione baptizandus erit, *ibid. n.* 84. In monstris baptizandis maxima cautio est adhibenda, ac, si fieri possit, consulendus est Episcopus: cæterùm monstrum, quod tale est, ut nullam hominis speciem præ se ferat baptizari non debet: si verò illud esse hominem sit prudens dubitandi locus, baptizetur sub hac formula, *si tu es homo ego &c.* si verò dubium sit, an una vel plures sint personæ, dubium priùs removeatur, quàm administretur Baptismus; discerni autem poterit, an una vel plures sint personæ, si monstrum habeat unum vel plura capita aut pectora; tunc enim totidem erunt animæ, hominesque distincti, & in hoc casu seorsim sunt baptizandi: quando verò certum non est in monstro esse duos homines, ut quia duo pectora & duo capita non habet benè distincta, tunc debet primùm ea pars monstri, quæ hominem certiùs denotat, absolutè baptizari, altera verò sub conditione, *Si non es baptizatus ego te &c. ibid. n.* 85. Infantes expositi & inventi, si, re diligenter investigata, de eorum Baptismo non constet, sub conditione baptizari debent: cæterùm nulla fides adhibenda est schedulis, quas collo appensas quidá exhibent, nisi in ejus locus & dies Baptismi & persona, quæ baptizavit, designentur; tunc enim nisi mors instet, veritas priùs indaganda, quàm baptizentur, *ibid. n.* 86. Nemo dubitat Baptismum filiis infidelium parentibus etiamnum invitis collatum validum esse. Certum etiam est filios Hæreticorum, Apostatarum, validè & licitè invitis licèt parentibus baptizari. Similiter omnibus probatur filios infidelium Principi Christiano serviliter subjectorum licitè invitis quamvis parentibus baptizari, *ibid. §.* 5. *n.* 95. At infantes infidelium Christianis Principibus civiliter tantùm subjectorum licitè baptizari non possunt invitis parentibus, nisi in certo vitæ periculo sint constituti, *ibid. n.* 96. & 97. Solv. ob. *ibid. n.* 98. *& seq.* Probabilius videtur, ut infantes ita invitis parentibus baptizati abstrahantur à parentibus infidelibus, quò in fide Christiana erudiantur &c. *ibid. n.* 104. Quilibet adultus cujuscumque nationis, sexûs, vel ætatis sit, cùm Baptismum postulat, est baptizandus, modò adsint prærequisitæ conditiones ex Fide, Spe, & Charitate, necnon ex aliis virtutibus promanantes, *ibid. §.* 6. *n.* 105. & *c.* 3. *§.* 3. *n.* 147. Adultus sive sanus sit sive infirmus, si Baptismum postulaverit, baptizandus est, *ibid. c.* 2. *§.* 6. *n.* 106. Energumeni,

men Joannis non fuit ejusdem efficaciæ ac Baptismus Christi, *ibid. n.* 168. & *seq.* Solv. ob. *ibid n.* 171. & *seq.* Licèt Baptismus Joannis ex se nullam habuerit efficaciam nisi movendi ad pœnitentiam, Christus tamen voluit hoc Baptismô tingi ex triplici ratione, 1mo. ut sui Præcursoris Baptismum, ac divinam illius missionem probaret, 2do. ut doceremur, quanti debeamus facere Baptismum Domini, cùm ipse Dominus tanti fecerit Baptismum servi, 3tio. ut suæ mundissimæ carnis contactu vim regenerandi aquis tribueret, *ibid. n.* 180. Plures ex veteribus & recentioribus Hæreticis negârunt peccata per Baptismum deleri, *ibid. §.* 2. *n.* 181. sed perperàm, nam Baptismus hominem per gratiam interiùs renovat, ac delicta quæcumque, & quoad culpam, & quoad omnem pœnam tollit, ipsique perfectè & totaliter remittit, *ibid. n.* 182. & *seq.* Solv. ob. *ibid n.* 187. & *seq.* Inter veteres Scholasticos fuerunt aliqui, qui dicerent parvulos in Baptismo originalis peccati remissionem accipere sine gratia & donis supernaturalibus, *ibid. §.* 3. *n.* 190. at Ecclesiæ sententia est, quòd in Baptismo parvulis etiam infundatur gratia cum cæteris donis supernaturalibus, *ibid. n.* 191. & *seq.* Solv. ob. 193. & *seq.* Baptismus semel validè collatus iterari non potest, *ibid. §.* 4. *n.* 197. & *seq.* proinde gravissimo sacrilegii scelere se inquinant, qui absque ratione Baptismum bis conferunt, aut bis recipiunt, atque excommunicati & irregulares ab Ecclesia habentur, *ibid. n.* 202. In parvulis nulla requiritur ad percipiendum Baptisma dispositio, atque regenerantur in fide Matris Ecclesiæ, quemadmodùm per voluntatem primi parentis peccatores sunt constituti: at verò adultis, ut fructuosè suscipiant Baptisma, variæ dispositiones sunt necessariæ, 1mo. si adultus, præter peccatum originale, aliis adhuc actualibus peccatis mortalibus sit inquinatus, ad ejus justificationem per Baptismum requiruntur hi actus, 1mo, Fides, qua explicitè credat existentiam unius Dei remuneratoris, Mysteria SS. Trinitatis & Incarnationis, & generatim vera esse, quæ divinitùs revelata & promissa sunt, inprimis impium à Deo justificari per merita Christi, 2do. Spes justificationis & vitæ æternæ, 3tio. Dilectio, qua Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiat, 4to. Propositum efficax servandi omnia mandata, & Christianè vivendi, 5to. Pœnitentia seu dolor de peccatis commissis cum proposito non peccandi de cætero; hæc autem pœnitentia debet esse ex motivo supernaturali concepta, absoluta, universalis, efficax, incompossibilis cum ullo affectu ad peccatum mortale, & appretiativè summa; non tamē requiritur perfecta contritio. 2do. ad justificationem adulti habentis solum originale peccatum iidem actus requiruntur, excepta contritione, quæ solùm potest esse de peccatis personalibus, voluntate scilicet propria physicè commissis. 3tio. Si adultus jam justificatus sit per contritionem seu charitatem perfectam, ut recipiat augmentum gratiæ in Baptismo, requiritur voluntas Baptismum recipiendi ex aliquo motivo supernaturali, *ibid. §.* 5. *n.* 203. Quomodò Baptismus sine debitis dispositionibus, & consequenter sine perceptione gratiæ susceptus iterùm reviviscat, atque gratiam conferat (vid. *Sacramentum*) Antiquissimi sunt in ministrando Baptismate Ecclesiæ ritus; ex quibus plurimi ab Apostolica traditione derivati perhibentur à S. Basilio, ut consecratio aquæ Baptismalis & olei unctionis, ipsius quoque, qui Baptisma accipit,

ctant, qualia sunt ea, quæ ad Beatos pertinebant, cùm in terris degerent, & preces, quæ ad eos diriguntur; hæcque vident in Deo, vi scilicet visionis beatificæ, *ibid.* §. 6. *n.* 139. (vid. *Deus*) an in Beatis sit Fides Theologica (vid. *Fides*) an in iis sit Spes, (vid. *Spes*) Orare possunt pro nobis, adeoque utiliter invocantur, *Tom.* 3. *Tract.* 4. *c.* 2. §. 4. *n.* 54. 57. & 58. (vid. *Sancti*)

Beatitudo à S. Augustino definitur *rerum optandarum cumulata plenitudo.* A Boëtio *Status omnium bonorum aggregatione perfectus*, quia ut talis totaliter satiat & quietat appetitum, ut docet S. Thomas, *Tom.* 3. *Tract.* 1. *c.* 2. §. 1. *n.* 87. Beatitudo 1mo. alia est *naturalis*, quæ naturæ rationali secundùm se sumptæ convenit, & quam creatura solis naturæ suæ viribus assequi potest, estque *status bonorum naturalium aggregatione perfectus*: alia *supernaturalis*, quæ naturæ vires excedit, & solis gratiæ divinæ auxiliis comparari potest. 2do. alia est *viæ*, qua homo Deo conjungitur per amorem, cujus capax est in præsenti vita; alia *patriæ*, qua homo una, continua, sempiterna operatione bono increato conjungitur, per visionem scilicet essentiæ divinæ, ut in se est. 3tio. alia est *essentialis*, quæ versatur circa primarium objectum beatificans, putà essentiam divinam; alia *accidentalis*, quæ occupatur circa objecta inferiora, v. g. humanitatem Christi, cognitionem creaturarum extra Verbum, &c. 4to. alia est *essentialiter tantùm perfecta*, quæ etiam *inadæquata* &' suo sensu *imperfecta* dicitur; alia quæ omnibus numeris completa est, & *adæquata* etiam nuncupatur: priorem habent animæ Beatorum statim post mortem, cùm eis nihil purgandum restat; posteriorem non habebunt nisi resumptis post resurrectionem corporibus. 5to alia est *objectiva*, estque res illa seu objectum, cujus possessione satiatur hominis appetitus; alia verò *formalis*, estque operatio, qua cum summo voluptatis sensu apprehenditur & possidetur summum bonum seu res illa, quæ beatitudo objectiva nuncupatur, *ibid. n.* 80. & §. 3. *n.* 99. Homo semper agit propter finem ultimum seu Beatitudinem in genere & indeterminatè spectatam, non verò in specie & determinatè consideratam, *ibid.* §. 2. *n.* 90. & 91. Solv. ob. *ibid. n.* 94. & *seq.* Determinata hominis beatitudo objectivè sumpta est solus Deus, *ibid. n.* 92. Solv. ob. *ibid. n.* 97. & *seq.* Quid de vana & futili quorumdam Theologorum quæstione, an scilicet Deus ut unus sit homini beatificando sufficiens necne, sentiendum sit, *ibid. n.* 93. Beatitudo formalis alia est *viæ*, alia *patriæ*; hæc non reponenda est in illapsu quodam Dei speciali in essentiam animæ, aut in actione Dei increata eidem animæ unitiva; sed in operatione animæ, scilicet tùm in visione, tùm in amore, tùm in gaudio, *ibid.* §. 3. *n.* 99. & *seq.* Beatos in cœlis Deum necessariò diligere tuentur Thomistæ, *ibid. n.* 105. negant Scotistæ, *ibid. n.* 106. Beati sunt impeccabiles, *ibid. n.* 108. & *seq.* idque ab intrinseco, & non ex sola Dei providentia, qua ipsis assistat, ne peccent, *ibid. n.* 111. (Vid. *Corpus* seu *Corpora mortuorum*) Sanctorum beatitudo æterna erit, nullique vicissitudini obnoxia, *ibid. n.* 128. Absolutè loquendo, & de potentia Dei extraordinaria quibuslibet creaturis hæc beatitudo auferri potest; at quia status beatitudinis, qualis est de facto, omnem prorsùs anxietatem removere debet, atque id ex natura sua postulare videtur, hoc sensu necesse est,

& mala, quæ in tali deprædatione committi solent: & si detur, tenentur Duces diligentissimè curare, ne scelera committantur. 5to. Ea, quæ caveri nullâ prudentiâ possunt, ut venenô inficere puteos, anonam, aquam, glandes, non licent: item Christiani à Christianis capti non possunt fieri servi. 6to. Non licet victori retinere urbes captas, & alia bona immobilia hostium, nisi quatenùs debitam compensationem & satisfactionem non excedunt, vel necessaria sunt ad securitatem in posterum contra victos stabiliendam. 7mo. Princeps tenetur inchoatum bellum finire, si æqua satisfactio offeratur, securitas sufficiens præstetur, & compensentur impensæ belli, *ibid. n.* 371. Jure naturali nihil fieri licet contra justitiam, jus gentium, fortitudinem, charitatem, & veram Religionem; & fides data hostibus servanda est, nisi ipsi fidem fregerint, *ibid. n.* 372. Tenentur Principes & ejus Duces militibus justa stipendia solvere, & impedire omnia crimina, quæ impediri moraliter possunt; necnon curare, ne proprii subditi iniquis vexationibus graventur; alioqui tenentur ad compensanda damna secuta ex omissione solutionis vel diligentiæ debitæ, &c. *ibid. n.* 373. Ex communi sententia bona justô bellô capta, si sint immobilia, cedunt Principi aut Reipublicæ; si sint mobilia sunt capientium, nisi ex consuetudine regionis dividenda sint inter milites, aut una pars cedat Principi: tamen bona injustè acquisita ab hostibus restitui debent eorum Dominis, *ibid. n.* 374. Repressaliæ positis certis conditionibus sunt licitæ, scilicet 1mo. ut constet de injuria illata, 2do. ut Princeps vel Magistratus civium nocentium rogatus debitam satisfactionem deneget, 3tio. ut fiant auctoritate Principis civium læsorum, 4to. ne plus damni inferatur, quàm justa satisfactio requirit, 5to. ut non fiant in personas Ecclesiasticas & earum bona, *ibid. n.* 375. Equidem subditorum non est de justitia belli, quod Princeps gerit, indagare, *ibid. n.* 368. attamen si subditus certò & evidenter noverit belli causam omninò injustam esse, tunc arma sumere ad eam tuendam ei non licet: si de causa justitiæ dubitet, tenetur dubium suum deponere, quod facilè poterit; cùm illius non sit, nec possit, & debeat causas & rationes belli illius rimari & examinare, & sic depositô dubiô, arma sumere potest, &c. *ibid. n.* 376.

Beneficiarii. Tria bonorum genera à Beneficiariis possideri possunt: *patrimonialia*, quæ habent à parentibus, item donatione, legato, &c. *Quasi patrimonialia*, quæ consequuntur ratione ministerii clericalis, dum v. g. concionantur, cantant, confessiones excipiunt, funera comitantur, Missam celebrant, Philosophiam, aut Theologiam docent, &c. Et *merè Ecclesiastica*, quæ prodeunt è Beneficio: reditus autem Beneficiorum dividuntur in duas partes, quarum una honestæ decentique sustentationi necessaria est, altera verò eidem superflua, *Tom.* 1. *Tract.* 4. *c.* 5. *§.* 3. *n.* 262. Beneficiarii redituum merè Ecclesiasticorum Domini non sunt, sed dispensatores dumtaxat; undè ex justitia tenentur, quidquid ex iisdem reditibus superflui habent, pauperibus erogare, vel in pios usus expendere, *ibid. n.* 263. *& seq.* Solv. ob. *ibid. n.* 269. *& seq.* Clerici bonorum quasi patrimonialium, saltem illorum, quæ non ratione sacri ministerii ipsis conferuntur, sed velut stipendia quædam ratione

quorum-

catum Ecclesiæ Cathedralis annus 21mus. quia annexum habet Subdiaconatum; ex consuetudine tamen datur habenti tantùm annos 14. 4to. Cœlibatus; 5to. Immunitas à Censura & irregularitate etiam occulta; 6to. Morum probitas; 7mo. Scientia ad omnia munia Beneficio annexa rectè obeunda necessaria; 8vo. Corporis habitudo ad officium decenter præstandum necessaria; 9no. Vocatio divina; 10mo. Intentio perseverandi in statu Ecclesiastico, & suscipiendi Ordinem muneri suo necessarium; atque, si Beneficium curatum sit, intra annum Sacerdotium suscipere debet, qui illud adeptus est; *ibid. n.* 246. & 247. & ubi conferendum est alicui Beneficium, talis eligi debet, qui hisce qualitatibus & dotibus sit instructus. Indignus verò dicitur is, qui ad officium debitè præstandum est ineptus ratione pravæ vitæ, vel ignorantiæ, vel morbi, aut similis impedimenti, vel putatur non futurus utilis Ecclesiæ, nec satisfacturus officio, *ibid. num.* 248. Unde peccatum mortale est quodvis Beneficium, etiam simplex, conferre indigno, eumve præsentare, eligere, &c. *ibid. n.* 249. immò ex communi sententia peccat mortaliter, qui omisso digniore præsentat, eligit, aut proponit dignum ad Beneficium annexam habens animarum curam, vel jurisdictionem, vel magni momenti functionem, ut docendi, prædicandi, vel superioritatem alicujus communitatis, *ibid. n.* 250. nulla tamen videtur esse culpa dare minùs digno Beneficium simplex, cùm id postulat charitas, vel alia justa causa ad majus Ecclesiæ bonum redundans aut spectans, *ibid. n.* 251. Quinque sunt Beneficiariorum obligationes, 1ma. Tonsuræ & habitus decentis gestatio; 2da. Recitatio horarum Canonicarum; 3tia. Residentia in loco Beneficii; 4ta. Unius tantùm Beneficii possessio; 5ta. Legitima ejusdem fructuum dispensatio, *ibid. §.* 3. *n.* 252. & *seq.* Beneficiorum reditus dividuntur in duas partes, quarum altera honestæ decentique sustentationi necessaria est, altera verò eidem superflua, *ibid. n.* 262. Beneficium vacat 1mo. ex dispositione juris; 2do. per Judicis sententiam; 3tio. per mortem Beneficiarii; 4to. resignatione; 5to. permutatione. Aliud est Beneficium vacare *ipso jure*, aliud idem vacare *ipso facto*: cùm Beneficium vacat *solo jure* potest Beneficii possessor, re adhuc integra, ipsi renuntiare; secùs cùm vacat *ipso facto. ibid. §.* 4. *n.* 280. Septem sunt casus, in quibus ipso jure vacat Beneficium; 1mo. Matrimonium ratum; 2do. Professio Religiosa; 3tio. Crimen, cui privationis pœna jure annexa est; 4to. Si Beneficium requirat Sacerdotium, & provisus tempore præscripto non curat ad Sacerdotium promoveri; 5to. Si habenti Beneficium conferatur aliud incompatibile; 6to. Si Beneficiarius consecretur Episcopus; 7mo. Mors naturalis vel civilis, ut Professio Religiosa, condemnatio ad mortem citra appellationem vel per contumaciam, vel ad triremes aut exilium in perpetuum; secùs si sit ad tempus, modò illud novem annis longius non sit. *ibid. n.* 281. Beneficium vacat *ipso facto* per cessum, aut decessum, per Matrimonium, per Religiosam professionem, per crimen læsæ Majestatis, aut aliud atrox facinus, *ibid. n.* 282. (Vid. *Beneficiarii; Possessio unius Beneficii* seu potiùs *pluralitas Beneficiorum; Permutatio; Pensio; Recitatio Horarum; Regressus; Residentia; Resignatio, Tonsura*)

phemia tamen immediatè in Deum prolata gravior est eâ, quæ in Sanctos; & hæc gravior est eâ, quæ in cæteras creaturas profertur, *ibid. n.* 437. Omnis Blasphemia in quaque materia est peccatum mortale: ad hoc autem non requiritur formalis intentio Deum inhonorandi, sed sufficit virtualis, ut cùm quis ex ira v. g. aut indignatione, imò etiam ex joco ea profert, quæ ex communi intelligendi modo, aut ex circumstantiis Dei inhonorationem continent, *ibid. n.* 438. Qui nomina Dei, JEsu, & Sanctorum ex quadam animi levitate, nonnunquam tamen ex impatientia singulis ferè verbis appellant, quamvis non blasphement, tamen à peccato immunes non sunt. Assidua etiam nominatio dæmonis, licèt sine imprecatione, sed per modum loquendi, omninò vitanda est, & ratione scandali potest esse peccatum mortale, *ibid. n.* 439.

Bona. Duplicis generis sunt bona, spiritualia videlicet, & temporalia, *Tom.* 3. *Tract.* 4. *c.* 2. *§.* 6. *n.* 66. Triplicis generis sunt bona temporalia; alia sunt necessaria naturæ seu vitæ, alia statui, alia superflua vel vitæ vel statui vel utrique, *ibid. Tract.* 3. *part.* 3. *c.* 4. *§.* 2. *n.* 221. Bona temporalia, & quibus abuti possumus, non sunt absolutè à Deo petenda, sed conditionatè tantùm, *ibid. Tract.* 4. *c.* 2. *§.* 6. *n.* 67. At bona spiritualia, & quibus abuti non possumus, ut charitas & beatitudo sunt absolutè & determinatè à Deo petenda, *ibid. n.* 68. Tria sunt in Ecclesia bonorum spiritualium & communium genera, quibus quasi totidem vinculis Fideles & cum Christo capite, & secum invicem colligantur, 1mo. donum gratiæ, virtutum infusarum Fidei, Spei, & Charitatis, necnon aliorum donorum, quæ à Christo, tanquam à fonte, in singulos Fideles defluunt ac derivantur. 2do. sunt dona externa spiritualia, Sacramenta scilicet, Sacrificium, suffragia publica, seu preces & orationes, indulgentiæ, &c. quorum omnium participes fiunt, quotquot Ecclesiastica communione fruuntur. 3tio. sunt aliqua bona Spiritualia unicuique Fidelium propria quidem & personalia, v. g. opera bona virtutum, jejunia, pœnales satisfactiones, &c. sed quæ Fideles sibi mutuò communicare possunt, tanquam ejusdem sanctæ & spiritualis societatis membra. Est denique & aliud commune bonum quoddam purè externum & politicum, quod consistit in convictu, colloquio, commercio Fidelium inter se, &c. His porro bonis fruuntur, qui cum Ecclesia sunt conjuncti, privantur autem ii, qui ab illa sunt exclusi & præcisi, *Tom.* 4. *Tract.* 7. *part.* 2. *c.* 3. *§.* 3. *n.* 230. (Vid. *Excommuncatio*) Bona naturalia triplicis sunt ordinis, supremi scilicet, medii, & infimi. In supremo ordine sunt vita, membra, virginitas, & libertas; in ordine medio honor, fama, & bonum nomen, quod melius est, quàm divitiæ multæ; in infimo bona fortunæ, divitiæ, &c. *Tom.* 3. *Append. ad Tract.* 5. *part.* 1. *c.* 5. *n.* 507. Bona, in quibus aliquis injuriam pati potest & exigere restitutionem, quadruplicis sunt generis, 1mo. Spiritualia, quibus non solùm ea intelliguntur, quæ immediatè conducunt ad salutem, ut gratia; aut mediatè, ut Religionis status; sed etiam quæ remotè ad eam ordinantur, ut bona animæ, seu naturalia sint, ut memoria & intellectus; seu acquisita, ut scientia & ars; 2do. bona corporis; 3tio. bona honoris & famæ; 4to. bona fortunæ, seu opes & divitiæ, *ibid. part.* 2. *c.* 1. *§.* 1. *n.* 520. & *Tom.* 3. *Append. ad Tract.* 5. *part.* 2. *c.* 4. *n.* 572.

C.

conis aut Subdiaconis uxores ducere nusquam licuit; nullus item ordinatur Episcopus, nisi aut virgo sit, aut viduus, aut, si uxoratus, continentiam polliceatur: attamen licitum est Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis retinere uxores legitimas ante Ordinationem suam ductas, & omni jure conjugali uti, *ibid. n.* 306. Lex ista cælibatûs sacris Ministris imposita, nec divina est, nec proindè divina Apostolica, sed duntaxat Ecclesiastica, *ibid. n.* 307. *&* 308. Est æquissima ac sanctissima, necnon optimis rationibus nixa, *ibid n.* 309. 310. *&* 311. Solv. ob. *ibid. n.* 312. *& seq.*

Cæremonia generatim definitur *Ritus externus ab Ecclesia ad Dei cultum institutus*, *Tract.* 4. *Tom.* 1. *c.* 8. *n.* 305. Cæremoniæ aliæ dicuntur Sacramentorum, quia circa illa immediatè versantur, & in iis conficiendis, celebrandis, & administrandis adhibentur, atque definiri vel describi possunt *Actus externi Religionis*, *qui ad bonorem Dei*, *ornatum*, *ac pompam cultûs divini*, *Sacramentorum dignitatem ac reverentiam*, *& ad hominum utilitatem referuntur.* Aliæ verò cæremoniæ, quas Ecclesia instituit ad quamdam Fidelium sanctificationem, & quæ ob aliquam, quam cum Sacramentis habent, similitudinem, *Sacramentalia* nuncupantur (sunt enim sanctitatis quædam signa, nec non aliquæ earum in Sacramentorum administratione etiamnùm usurpantur) describi possunt *Res quædam seu actiones ab Ecclesia institutæ*, *atque per illius preces spiritualiter consecratæ seu sanctificatæ*, *ad quosdam effectus spirituales producendos; præsertim verò ad levium seu venialium peccatorum veniam & remissionem obtinendam*, *ibid. n.* 306. (vid. *Sacramentum*, *Sacramentalia.*) Cæremoniæ, quæ Missam præcedunt, & comitantur, (vid. *Missa*)

Cæsarius Arelatensis (Sanctus) quis? ejus Scripta, *Tom.* 1. *Tract.* 4. *c.* 1. *§.* 2. *n.* 76.

Calumnia est *falsi criminis vel defectûs impositio.* Sub Detractione velut species sub genere continetur, *Tom.* 3. *Append. ad Tract.* 5. *part.* 2. *c.* 3. *n.* 620. (vid. *Detractio*)

Cambium idem est ac permutatio; cambire enim est unum permutare cum alio, quodcumque illud sit. Strictiùs sumitur Cambium pro permutatione pecuniæ cum pecunia. Qui dat pecuniam dicitur *Campsor*, qui recipit *Campsarius.* Sic sumptum definitur *Contractus*, *quo pecunia pro pecunia commutatur cum lucro Campsoris*, *Tom.* 3. *Tract.* 5. *c.* 3. *Sect.* 2. *§.* 5. *n.* 372. Dividitur in *fictum*, quod & *siccum* nuncupatur, quia caret humore, quo fructum seu lucrum parere possit, estque illud, quo pecunia re ipsa non permutatur sed permutari fingitur; & *reale*, quod non fingitur, sed verè fit; ut cùm pecunia præsens cum præsenti, vel præsens cum distanti commutatur, *ibid. n.* 373. Cambium reale dividitur in *manuale* seu *minutum*, quo præsens pecunia actu & de manu ad manum pro alia diversæ speciei mutatur, aut aurea pro argentea, germanica pro gallica; *Locale*, quod & *Cambium per litteras* diciur, estque permutatio pecuniæ præsentis cum distanti; & *Temporale*, quod ad certum diem constituitur, quo scilicet hodie v. g. datur pecunia, ut post tres menses eadem reddatur cum aliquot nummis supra centum; quòd si post elapsum illud tempus pecunia ista non solvatur, renovatur cambium, & auctarium, quod jam debitum esse supponitur, capi-

rarò vacant culpâ mortali. Qui autem habent libros turpes & amatorios, non sunt absolvendi, nisi illos comburant, *Tom.* 3. *Tract.* 6. *part.* 3. *c.* 1. *§.* 4. *n.* 311.

Captivitas Babylonica, Quando initium & finem habuerit, *Tom.* 1. *Tract.* 1. *part.* 2. *Sect.* 1. *c.* 2. *n.* 329.

Caput Ecclesiæ essentiale ac invisibile est Christus, ministeriale verò visibile & externum Romanus Pontifex, *Tom.* 1. *Tract.* 3. *c.* 5. *n.* 356.

Cardinalis. Cardinalium nomine veniunt illi Ecclesiæ Præsules, qui jus & potestatem soli habent eligendi summum Pontificem, undè & administrationis auctoritate cæteris Præsulibus anteponuntur, ita quidem, ut potestate Ordinis Cardinales Presbyteri, ac Cardinales Diaconi Cardinalibus Episcopis sint inferiores. Cardinalium est Pontifici, quem elegerunt, à consiliis esse; eosdem Romanus Pontifex *Fratres* appellat; hi in Comitiis publicis primi ab Romano Pontifice sedent, primi suffragium ferunt; & sicut Episcopi sua habent Canonicorum Collegia, sic & in Ecclesia Romana Pontificiorum velut Canonicorum Collegium est purpuratus & sacer Cardinalium conventus, qui unà cum ipso Pontifice tanquam Capite unum Corpus efficit, *Tom.* 4. *Tract.* 7. *part.* 2. *c.* 1. *§.* 1. *n.* 184. Quantùm ad nominis etymon Cardinalis à *Cardine* dictus est; cardo autem significat id, quod in negotio vel causa præcipuum est; sic Cardinalis etiam dicitur quasi *Principalis.* De origine & antiquitate hujus dignitatis nihil certi habemus: ante Sylvestri Papæ tempora nullibi Cardinalium nomen legimus, imò rarum adhuc ea ætate erat; sub in' Gregorii I. ætate cœpit id pluribus Episcopis frequentiùs tribui, *ibid.* *n.* 185. Cardinales à cæteris Prælatis distinguit præcipuè rubeus Galerus, quem in Concilio Lugdunensi I. in signum fundendi pro libertate Ecclesiastica sanguinem ab Innocentio IV. accepisse dicuntur; item titulus *Eminentiæ* ipsis ab Urbano VIII. an. 1631. attributus, quì quidem non eis ita proprius est, quin & aliis, putà Ecclesiasticis Romani Imperii Electoribus, & Magno Melitensium Equitum Magistro fuerit ab eodem Urbano VIII. attributum, *ibid.* *n.* 186. Numerus Cardinalium, utpotè æqualis totidem Christi Discipulis ultra 72. non facilè excurrit, ex quibus sex sunt Episcopi, 50. Presbyteri, & 14. Diaconi, *ibid.* *n.* 187. Potestas Romanum Pontificem eligendi primùm Sæculô X. annô scilicet 963. ad Cardinales redacta perhibetur, *ibid.* *n.* 188.

Cassianus, quis? ejus Scripta, *Tom.* 1. *Tract.* 4. *c.* 1. *§.* 2. *n.* 71.

Cassiodorus, quis? ejus Scripta, *Tom.* 1. *Tract.* 4. *c.* 1. *§.* 2. *n.* 77.

Castitas est virtus, quæ cohibet vel moderatur appetitum & usum venereorum ac delectationis venereæ secundùm rectam rationem & legem divinam, *Tom.* 3. *Tract.* 5. *proœm.* *§.* 3. *n.* 12. Triplex est, conjugalis, quæ est donum Dei, quo venereorum usus intra limites coërcetur, sive est constans & efficax voluntas abstinendi ab omni actione & delectatione venerea cum non conjuge, & eâ utendi cum conjuge juxta rectæ rationis & legis divinæ regulam, *ibid.* *n.* 13. Vidualis, quæ est donum Dei, quo quis in perpetuum respuit Veneris illecebras, quas expertus est sive licitè sive illicitè, seu est propositum constans & efficax abstinendi imposterùm, propter Deum, ab omni actione & delectatione

famia & aliorum scandalo ad Superiorem remitti. Superior quoque non potest audire sola reservata, & ab illis pœnitentem absolvere, & deinde remittere eum ad alium, à quo à non reservatis absolvatur, *ibid. n.* 363. Non pauci affirmant, quòd si quis confessus habenti jurisdictionem in reservata peccata ex oblivione omiserit aliquod peccatum reservatum, hoc ipso peccati obliti reservatio sublata sit, adeoque possit posteà de illo directè absolvi à Confessario non habente potestatem in peccata reservata: quia tamen id incertum videtur, ideò in praxi recurrendum est ad Superiorem pro habenda absolutione ab illo peccato, *ibid. n.* 364. Absolutio vel virtute jubilæi, vel auctoritate Superioris aut ejus delegati data non tollit reservationem, si fuerit irrita defectu dispositionis in pœnitente, *ibid. n.* 365. Si nulla censura casibus reservatis sit annexa, is, qui in articulo mortis, id est, in gravi infirmitate, ex qua imminet periculum mortis, ab illis per Sacerdotem pro reservatis non approbatum absolutus fuisset, si posteà convaluerit, non tenetur adire Superiorem, *ibid. n.* 368. Quando alicui generatim à Summo Pontifice conceditur facultas absolvendi à casibus ipsi reservatis, illa etiam ad censuras iisdem annexas extenditur. Idem dicendum de censuris, quæ casibus ab Episcopo reservatis de jure sunt annexæ. Quando alicui, præter potestatem absolvendi à casibus reservatis, insuper tribuitur potestas absolvendi à censuris reservatis in genere, is tamen indè arguere non debet, se posse absolvere ab hæresi, aut à censuris ab homine latis seu per sententiam inflictis, aut vota commutare, aut in irregularitatibus dispensare, *ibid. n.* 366. Si aliquis Confessarius cum pœnitente contra castitatem quoquo modo peccaret exteriùs, tunc, etiamsi pro casibus reservatis approbatus esset, vel imposterùm approbandus foret, non poterit ab illo complicem absolvere validè, nisi in articulo mortis, & ne tunc quidem licitè, si alius Sacerdos reperiatur, *ibid. n.* 367. Casus reservati Summo Pontifici, *ibid. n.* 371. Casus reservati Episcopo Argentinensi, *ibid. n.* 372. Censuræ reservatæ Episcopo Argentinensi, *ibid. n.* 373. & 374.

Catechumenus nomen Græcum, latinè idem, juxta suam etymologiam, est ac Auditor, quòd fidei Doctrinam adhuc audiat, necdum tamen sit baptizatus, proinde nondum sit actu & perfectè verum Corporis Ecclesiæ membrum, *Tom.* 1. *Tract.* 3. *c.* 4. *§.* 5. *n.* 347. & *seq.* Catechumenus igitur secundùm vim græci nominis is est, cui mysteria fidei vivæ vocis ministeriô exponuntur & creduntur. Catechumenatûs institutionem à Christo originem ducere patet ex *Matth.* 28. ubi Apostolis jussit, ut priùs gentes docerent, quàm baptizarent, *Tom.* 4. *Tract.* 2. *c.* 4. *§.* 6. *n.* 204. Catechumeni antiquitùs in tres classes seu ordines aut gradus dividebantur; 1mus. erat audientium, eorum scilicet, qui Baptismi desideriô tenebantur, & Christianorum cœtibus publicis, concionibus, instructionibus intererant, ut de mysteriis fidei differentes Pastores audirent; nondum tamen nomen suum Catechumenorum albo inscribi fecerant: hi è conventibus tempore Sacrificii Missæ cum Ethnicis & pœnitentibus ejiciebantur, *ibid. n.* 205. Secundus Catechumenorum gradus erat eorum, qui Ecclesiæ nomen jam dederant; genua flectebant in Ecclesia, & super iis genu-

rendi

rendi censuras, quæ non sunt pœnæ solùm externæ, sed spirituales, *ibid. ∫.* 1. *n.* 220. *&* *seq.* Solv. ob. *ibid. n.* 223. Definitur Censura *pœna Ecclesiastica & medicinalis ob grave peccatum imposita, per quam homo baptizatus delinquens & contumax privatur usu quorumdam bonorum spiritualium Fidelibus communium. ibid. ∫.* 2. *n.* 214. Censura dividitur 1mo. injustam & in injustam; 2do. in eam, quæ est à jure, & eam, quæ est ab homine, 3tio. in latam, seu quæ est latæ sententiæ & ferendam, seu quæ est ferendæ sententiæ; 4to. in Excommunicationem, Suspensionem, & Interdictum: hæc posterior divisio velut multiplex species sub prioribus tanquam generibus continetur; 5to. Censura etiam alia est levis, alia gravis, alia valida, invalida alia, item alia reservata, alia non reservata, alia ad tempus, alia in perpetuum, *ibid. ∫.* 3. *n.* 225. Censura à jure est quæ per legem seu statutum perpetuum fertur generaliter in omnes subditos, qui eam legem transgressi fuerint: Censura ab homine est quæ per sententiam Judicis vel mandatum seu præceptum temporaneum & transitorium fertur ordinariè ex causa & facto particulari in particulares personas, *ibid. n.* 226. Differunt inter se hæ duæ censuræ species 1mo. Censura à jure semper est generalis & omnes subditos comprehendit, at verò Censura ab homine est particularis, &, saltem ordinariè, fertur in personas determinatas vel ex causa determinata particulari: 2do. Censura à jure est perpetua & durat quamdiu lex illam imponens non est abrogata; Censura ab homine verò cessat per mortem vel amotionem illius, qui eam tulit, ita ut deinceps non incurratur: 3tio. Censura à jure vel ab homine per sententiam generalem lata non est reservata, nisi expressè habeatur in Canone sive Statuto, vel in mandato Superioris illius reservatio; Censura verò ab homine per sententiam specialem lata est reservata, nec tolli potest nisi ab eo, qui eam tulit, vel ab ejus Superiore, vel Successore, vel Delegato, *ibid. n.* 227. Censura latæ sententiæ est ea, quam Prælatus seu Superior per legem actu infligit, *ibid. n.* 228. ferendæ verò sententiæ, quæ etiam dicitur comminatoria, est ea, quam Superior jubet infligi, vel comminatur infligendam, *ibid. n.* 229. Quilibet potest delegari ad ferendas Censuras: igitur Censuræ ferri possunt ab omni & solo Prælato Ecclesiastico, vel ejus Delegato, id est à Clerico jurisdictionem ordinariam vel delegatam habente in foro externo, quem ipsa respicit, cùm per eam subditi ad se invicem ordinentur. Nomine autem Prælati Ecclesiastici intelligitur omnis Clericus habens jurisdictionem in foro externo, quales sunt Summus Pontifex in tota Ecclesia; Episcopi in suis Diœcesibus, eorumque Vicarii Generales & Officiales; Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, Sede vacante; Prælati Regulares respectu suorum subditorum, *ibid. ∫.* 4. *n.* 262. *&* 263. Ut potestas ferendi Censuras validè exerceatur debet esse libera non ligata nec impedita per Censuram excommunicationis vel suspensionis; Auctor Censuræ debet liberè agere & esse sui compos; & Censura in subditum ferri debet, *ibid. n.* 264. A ferendis Censuris excluduntur Laici omnes & fœminæ, ipsæque Abbatissæ, *ibid. n.* 265. In ferendis Censuris, prævia monitio Canonica ad Censuram, quæ ab homine infligitur pro culpa præterita aut præsenti, fieri debet (Vid. *Monitio*) Denuntiatio autem illius, qui Censuram contraxit, fieri non debet

debet nec poteſt, niſi auctoritate Superioris legitimi, aut ab ipſo delegati, idque publicè in Eccleſia, vel Scriptô, in quo cauſa Cenſuræ exprimatur, ad valvas Eccleſiæ affixô juxta morem receptum cujusque Diœceſis, *ibid. n.* 266. Cenſuræ nullatenùs tolli poſſunt niſi per Judicis abſolutionem: & verò non tollitur per ſolam ceſſationem contumaciæ, aut per ſatisfactionem, neque per mortem ferentis aut ejus depoſitionem, neque etiam per mortem illius, in quem lata eſt Cenſura v. g. excommunicationis. Igitur tolli poteſt Cenſura ab eo qui eam tulit, dummodò in illo perſeveret jurisdictio; tolli poteſt à Superiore illius, qui eam tulit, modò plenam habeat jurisdictionem in eos, qui Cenſurâ ligati ſunt; diſſolvi poteſt à ſucceſſore Prælati, qui eam tulit; item à Judice Superiore, ad quem illius cognitio per appellationem deducta eſt. A Cenſuris juris vel ſententiæ generalis, quam is, qui eam tulit, ſibi reſervavit, nemo abſolvere poteſt præter ipſum, ejusve Superiorem, Succeſſorem, vel Delegatum: Concilium Tridentinum tamen jure novo permittit Epiſcopis abſolvere à caſibus & Cenſuris Papæ reſervatis, quando Rei ſunt impuberes, vel ſenes, vel debiles, vel pauperes; vel quando ſui juris non ſunt, vel mulieres, vel denique ſi Rei ſint legitimè impediti, ut adeant Papam; iſti tamen abſolvi non debent niſi cum onere (ceſſante impedimento) ſiſtendi ſe poſteà coram Papa aut ejus Legato, non quidem ut ab ipſis abſolvantur, ſed ut eorum mandatum accipiant; alioquin ipſo facto reincidunt in eandem Cenſuram, quod reſtringendum eſt ad ea loca, ubi diſciplina illa viget; ab hoc onere ſe ſiſtendi coram Papa excipiuntur qui propter puerilem ætatem ab Epiſcopo ſunt abſoluti; non enim tenentur, cùm adoleverint, Papam adire. Quilibet Sacerdos poteſtatem habet in articulo mortis abſolvendi ab omnibus Cenſuris etiam reſervatis: attamen ille, qui ſic fuit abſolutus, elapsô periculô tenetur quamprimùm adire Superiorem ad excipiendum illius mandatum, & ad id tenetur ſub pœna reincidentiæ in eandem Cenſuram. A Cenſuris verò non reſervatis quilibet Sacerdos legitimè approbatus ſemper poteſt abſolvere, idque conceſſione Eccleſiæ, *ibid. n.* 267. Suſpenſio & Interdictum, quando ad certum tempus feruntur, & cum aliqua conditione, v. g. ſi Sacerdos ſuſpendatur ab officio, donec per menſem ſpiritualibus exercitiis in Seminario vacaverit; vel interdicitur Eccleſia, donec tectum illius reparatum fuerit, ceſſant absque abſolutione, ſi conditio, quæ impoſita fuerat, adimpleta ſit. (vid. *Interdictum. Suſpenſio*) Epiſcopus extra ſuam Diœceſim poteſt ſubditum ſuum à Cenſuris ſibi reſervatis abſolvere in foro conſcientiæ duntaxat, non verò in foro contentioſo cum ſtrepitu & ſolemnitate judiciali, defectu ſcilicet *territorii*, ut ajunt, ſeu jurisdictionis in aliena Diœceſi: pariter qui in ſua Diœceſi Cenſurâ ligatus eſt, in alia, in qua commoratur, abſolvi poteſt in foro interno & conſcientiæ dumtaxat, non in foro externo, quando Cenſura eſt à jure, vel ab homine per ſententiam generalem lata; ſi verò Cenſura eſt ab homine per ſententiam particularem, remittendus eſt ille ad proprium Epiſcopum, vel ab eo impetranda abſolvendi licentia, *ibid. n.* 268. Inter abſolutiones à Cenſuris alia etiam eſt, quæ dicitur *ad cautelam*, alia *cum reincidentia*: prior eſt ea, quæ proviſionaliter datur,

tur, ut Reus se coram Judice purgare possit, aut aliquid aliud tutò agere absque metu incurrendæ irregularitatis, *ibid. n.* 269. Absolutio à Censura *cum reincidentia* est ea, in qua qui absolutus est, iis non adimpletis, quæ ipsi imposita fuerant, in eandem Censuram incidit, à qua fuerat absolutus, &c. à reincidentia soli Episcopi & ab ipsis delegati absolvere possunt. Ut quis eandem Censuram v. g. excommunicationem quantùm ad effectus externos per reincidentiam incurrat, necessaria est nova Superioris sententia, qua declaret talem, ob suam contumaciam & inobedientiam in excommunicationem recidisse, ac jubeat eum tanquam excommunicatum nominatim denuntiari, *ibid. n.* 270. Ad absolutionem à Censuris requiritur, ut ipsa verbô vel scriptô aut saltem alio signo externo sufficienter exprimatur. Etsi nulla determinata verborum forma requiratur ad essentiam & valorem absolutionis, illicitum tamen esset absque necessitate uti aliâ formâ, quàm consuetâ. Aliquando fit, ut Absolutio à Censuris sit tantùm pro foro interno conscientiæ, ità ut non valeat pro foro externo, nisi Superior Ecclesiasticus illam velit acceptare: ferri etiam potest in absentes per nuntium, litteras, prout quotidianus usus in Rescriptis Pontificiis demonstrat, *ibid. n.* 271.

Censuræ ferri possunt in omnes & solos homines baptizatos, viatores, rationis & doli capaces, necnon subditos: porro subditorum nomine in quodam sensu etiam veniunt extranei, advenæ, & peregrini respectu eorum locorum, per quæ transeunt etiam sine animo ibidem permanendi; undè hi possunt ligari censuris à jure seu Statuto communi latis; attamen non ligantur Censurâ, quæ est ab homine, id est, sententiâ Judicis pro peccatis futuris, si tempore latæ sententiæ nondum illius territorium ingressi fuerant, *ibid. §.* 5. *n.* 272. possunt tamen aliquando ligari Censurâ per statutum latâ, tametsi tempore latæ sententiæ seu Statuti cum Censura promulgati nondum ingressi sint Diœcesim, *ibid. n.* 273. Diœcesani extra Diœcesim suam existentes non ligantur Censuris per Statutum à suis Episcopis latis, si extra Diœcesim existentes crimen commiserint: aliquando tamen etsi extra Diœcesim sint, censentur delinquere in propria Diœcesi, seu ibi consummare peccatum sub Censura prohibitum, ideoque etiam Censuram incurrere: incurrunt etiam Censuram, si lata fuerit sub conditione, sed cum ordine seu respectu ad delictum præteritum, vel debitum contractum tempore prioris domicilii: item ligantur Censuris ab homine latis: nec tamen Episcopus extra suam Diœcesim existens suum subditum ligare potest, *ibid. n.* 274. Qui Censurâ jam ligatus est, potest adhuc aliâ ligari, non tantùm diversæ sed ejusdem rationis, *ibid. n.* 275. Censuræ non infliguntur nisi ob peccatum externum junctum cum contumacia & inobedientia contra Ecclesiam, illudque saltem ordinariè, mortale ac consummatum seu in genere suo completum. Multa sunt, per se loquendo, indifferentia, quæ tamen ad commune bonum vel decentiam statûs Clericalis, vel ad evitanda animarum scandala & damna sub gravi Censura præcipi vel prohiberi possunt, *ibid. n.* 276. Censura invalida, seu quæ fertur ab eo, qui non est legitimus Superior, vel in qua non servantur formalitates essentiales, non obligat, sed obligat, si tantùm formalitates accidentales non serventur dumtaxat, ut si una ex monitionibus omittatur, si feratur sine scripto nec in ea causa expri-

nitas, morbi, animi indoles, &c. colligitur & prædicitur, *Tom.* 3. *Tract.* 6. *part.* 3. *c.* 3. *Sect.* 1. *§.* 2. *n.* 410. & 412. (vid. *Divinatio*)

Choa genus mensuræ liquidorum aliàs Congius five Chus dictæ, *Tom.* 1. *Tract.* 1. *part.* 1. *c.* 8. *n.* 143.

Chœnix Græcorum idem est ac Cabus Hebræorum, certum mensuræ genus, *Tom.* 1. *Tract.* 1. *part.* 1. *c.* 8. *n.* 145.

Chomer Hebræorum seu Corus Græcorum, mensura aridorum omnium maxima, *Tom.* 1. *Tract.* 1. *part.* 1. *c.* 8. *n.* 133.

Chorea. Inter ludos exitiosos SS. Patres & Theologi choreas numerant: nihilominùs censendum videtur cum multis, honestas choreas temporibus & diebus illis, qui pœnitentiæ & abstinentiæ, necnon cultui divino specialiter non sunt consecrati, sed quibus aliàs decenter jucundari & lætari licet, permitti posse &c. *Tom.* 3. *Tract.* 5. *c.* 3. *Sect.* 2. *§.* 10. *n.* 418.

Chorepiscopus. Olim extitêre, qui Chorepiscopi dicebantur, erantque Episcoporum Vicari seu Suffraganei in pagis constituti, nam vox Græca χώρα latinè *Oppidum* significat. Erat igitur Chorepiscopus Villanus seu Vicanus aut Oppidanus Episcopus, qui rusticanas Ecclesias non sine aliqua ab Urbis Episcopo subordinatione ac dependentia gubernabat ac moderabatur, *Tom.* 4. *Tract.* 7. *part.* 1. *c.* 8. *§.* 9. *n.* 143. Saltem aliqui eorum Episcopali charactere donati fuisse videntur velut Suffraganei, quales hodie cernuntur in Germania nostra, ubi quilibet Episcopus suum sibi constituit Episcopali consecratione donatum, *ibid. n.* 144. & *seq.* Nono exeunte Sæculo Chorepiscopi universim abrogati fuisse videntur; nulla enim posterioribus Sæculis eorum fit mentio, *ibid. n.* 146. item *part.* 2. *c.* 1. *§.* 1. *n.* 192.

Christianus. Christiano licet fugere vel se occultare tempore persecutionis, si ex ejus fuga nullum Fidei detrimentum vel scandalum in aliis oriatur, *Tom.* 3. *Tract.* 3. *part.* 1. *c.* 5. *§.* 3. *n.* 127. hæc fuga tamen est illicita ei, cujus præsentia est necessaria ad alios in fide confirmandos, *ibid. n.* 128.

Christus JEsus filius Mariæ Virginis est verus Deus, *Tom.* 2. *Tract.* 3. *c.* 5. *§.* 1. *n.* 145. Contra Protestantes constans est Catholicorum sententia Christi animam post mortem ad inferos, id est, limbum descendisse, ut inde animas Sanctorum Veteris Testamenti erueret & liberaret, *ibid. §.* 2. *n.* 151. & 152. Ariani & Apollinaristæ tuebantur, ipsam divinitatem in Christo passam fuisse; idem propugnârunt plures Eutychiani, *Theopaschitæ* ob id dicti; alii Eutychiani id negabant, atque apparentes duntaxat, non veras in Christo affectiones fuisse contendebant, quibus Justinianus Imperator adstipulatus fuisse perhibetur, *ibid. §.* 4. *n.* 175. Sed constans est Catholica sententia, Christum ante mortem suam habuisse corpus passibile, necnon doloribus tùm quoad corpus tùm quoad animam verè obnoxium fuisse, *ibid. n.* 176. Solv. ob. *ibid. n.* 177. & *seq.* Nestorius docuit duas in Christo esse personas, divinam unam, alteram humanam, *ibid. §.* 5. *n.* 189. Sed stat Ecclesiæ sententia, scilicet unicam esse in Christo personam, quæ simul Deus est & homo; sive, quod idem est, Verbum sie assumpsisse naturam humanam, ut divinitas, cor-

runt, *ibid.* §. 4. *n.* 292. Stat firma Ecclesiæ sententia: Christus verè & propriè nos redemit, & pro nobis satisfecit, *ibid.* *n.* 293. Solv. ob. *ibid.* *n.* 304. & *seq.* Christus perfectissimè de condigno & æquivalenter, imò superabundanter satisfecit pro omnibus omnium hominum peccatis, *ibid.* *n.* 294. Solv. ob. *ibid.* *n.* 320. Quidam Theologi negant Christi satisfactionem fuisse ex justitia; sed Socinianorum hæc est opinio: alii censent eam ex justitia quidem profluxisse, sed minùs accurata & latè duntaxat dicta: alii verò volunt eam ex justitia strictè dicta fuisse, *ibid.* *n.* 295. & *seq.* In actionibus, quibus Christus pro nobis Deo satisfecit, distingui debent entitas, valor, satisfactio, & meritum: entitas actionis physica est efficienter seu electivè ab humana natura; valor à persona Verbi unita cum humanitate; satisfactio est ab homine-Deo solvente id, quod justitiæ divinæ debebamus; meritum à Christo, cui Deus justam mercedem retribuit, *ibid.* *n.* 298. Christus verè & propriè meritus est, *ibid.* *n.* 299. & quidem à primo conceptionis instanti usque ad extremum mortalis vitæ suæ spiritum, *ibid.* *n.* 300. sibi meruit gloriam corporis, nominis exaltationem, &c. *ibid.* *n.* 301. nobis ea omnia gratiæ cœlestis dona, quæ vel antecedunt, vel subsequuntur justificationem, &c. abundè promeritus est, *ibid.* *n.* 302. ipsiusque merita fuerunt infiniti valoris, *ibid.* *n.* 303. Christus, prout est homo, triplici subjectionis ratione, inæqualitate scilicet, dependentiâ, & obedientiâ æterno Patri subjectus fuit, *ibid.* §. 5. *n.* 332. non tamen servus ullatenùs dici potest *ibid.* *n.* 333. Christus etiam secundùm humanitatem, seu quatenùs est homo, nec est nec dici potest filius Dei adoptivus, *ibid.* *n.* 335. Solv. ob. *ibid.* *n.* 336. & *seq.* Christus est & verè dicitur prædestinatus, atque in eo subjectum prædestinationis videtur esse persona Verbi prout in natura humana subsistit, eamque complet ac terminat; terminus verò filiatio divina, &, quæ ex ea sequitur, visio beatifica, *ibid.* §. 6. *n.* 344. Humanitas quidem prædestinata fuit ad unionem hypostaticam, non tamen ad filiationem divinam, quia filiatio cadit in personam, non in naturam, *ibid.* *n.* 345. Porro prædestinatio Christi non modò exemplar sed & causa est nostræ prædestinationis, *ibid.* *n.* 346. Quandò Apostolus *Rom.* 1. *v.* 3. & 4. ait Christum prædestinatum esse filium Dei, &c. vox *prædestinatus* cum Græcis Patribus interpretanda est *declaratus* seu *manifestatus*, *ibid.* *n.* 374. Christus est Caput totius Ecclesiæ tàm militantis in terra, quàm triumphantis in cœlo, at non est Caput hominum jam damnatorum; Infidelium autem est Caput in potentia, *ibid.* §. 7. *n.* 348. Verè & propriè fuit Sacerdos secundùm humanitatem, non secundùm divinitatem, usque ad finem mundi, & secundùm ordinem Melchisedech, *ibid.* *n.* 349. Christus ut homo est Rex, Legislator, & Judex, *ibid.* *n.* 350. & *seq.* est omnium hominum Redemtor, eorumque & Dei perfectus Mediator, *ibid.* *n.* 353. etiam in sua mortali vita verè ac propriè Patrem suum oravit pro se, qua homine, & cæteris hominibus ut homo; nunc quoque in cœlo verè & propriè orat pro nobis, *ibid.* *n.* 354. Christus Deus supremo Latriæ cultu est adorandus, *ibid.* §. 8. *n.* 356. Humana quoque ejus natura hypostaticè Verbo conjuncta eâdem & unicâ cum divinitate Verbi adoratione colenda est, *ibid.* *n.* 357. Solv. ob. *ibid.* *n.* 358. & *seq.* (Vid. *Deus*, *Verbum*)

si hoc ex mera curiositate fiat seclusis delectatione venerea & periculo consensûs in rem cogitatam & affectu in ipsam ; quæ tamen omnia rarò absunt in cogitante de his rebus absque fine honesto , *Tom.* 3. *Tract.* 6. *part.* 3. *c.* 1. *ʃ.* 4. *n.* 300. (Vid. *Concupiscentia.*

Cognatio est propinquitas seu vinculum personarum aliquarum. Triplex distinguitur , *Carnalis* seu *naturalis* , quæ *Consanguinitas* dicitur , quasi *sanguinis unitas ; Spiritualis* , quæ vocatur *Compaternitas ;* & *Legalis* , quæ *Adoptio* dicitur. Est impedimentum dirimens Matrimonium. (Vid. *Matrimonium*)

Cognitio Dei duplex distinguitur , *abstractiva* scilicet & *intuitiva ;* prior est , qua Deus per creaturas tanquam per medium seu motivum videtur , estque nonnisi impropriè visio , quia visio propriè est intuitio rei præsentis : intuitiva est ea , per quam cognoscitur Deus clarè in se ipso , & ut est in se. Armeni & recentiores Græci negant Deum etiam à Beatis posse videri in se & intuitivè , sed tantùm in quadam ejus similitudine , vel luce ab eo derivata. In oppositum errorem inciderunt Beguardi & Beguinæ docentes Deum etiam naturaliter ab intellectu humano videri posse , & animam non indigere lumine gloriæ seu auxillô supernaturali ipsam elevante ad videndum Deum, & eo beatè fruendum. Iis præiverat Eunomius cum suis docens non solùm Deum clarè videri , sed etiam comprehendi naturaliter posse ab intellectu creato , *Tom.* 2. *Tract.* 1. *part.* 1. *c.* 4. *ʃ.* 2. *n.* 88. (Vid. *Deus*)

Collatio libera Beneficii est attributio seu concessio Beneficii vacantis procedens ex mero arbitrio conferentis. Jus conferendi Beneficia competit 1mo. Papæ ex suæ potestatis plenitudine : confert Episcopatus ; Abbatias ; Beneficia , in quibus Ordinarium prævenit , vel quæ in manibus ejus resignantur ; item ea , quæ vacant in Curia Romana , vel in locis ab ea non ultra duas dietas distantibus. In Germania vi Concordatorum Nationis Germanicæ , etiam omnia inferiora Beneficia , seu minora Episcopatibus & Abbatiis , quæ vacare contingit Mensibus Januariô , Martiô , Majô , Juliô , Septembri , & Novembri. Si Pontifex Beneficia sic vacantia intra tres menses à die vacationis etiam incognitæ non contulerit , possunt ab Ordinario conferri , aut , si absfuerit , ab ipsius Vicario. Idem dicendum , si vacaverint Sede Apostolica vacante, aut si de iis ante obitum suum non disposuerit Summus Pontifex. Jure communi Episcopus habet potestatem conferendi Beneficia in sua Diœcesi vacantia : hanc etiam habere possunt alii inferiores , ut Capitulum , Abbates. Si collator Beneficii illud conferre neglexerit intra sex menses à die , quo notitiam vacationis habuit , vel si intra illud tempus indigno contulerit , collatio jure devolutionis pertinet ad proximum Superiorem , & sic gradatim ad Papam , à quo non fit regressus ad Ordinarios , *Tom.* 3. *Tract.* 4. *c.* 5. *ʃ.* 1. *n.* 233.

Commixtio à confusione differt , quòd, quæ confusa sunt , novam speciem pariant ; sic vinum & mel confusa faciunt mulsum, quod est alia species liquoris ; mixta verò in eadem remanent specie , ut grana tritici. Si res permixtæ separari possint, ut oves in grege permixtæ , debent separari ; si non possint , ut mel & vinum semel confusa , seu casu fortuito seu ex utriusque Domini consensu confusæ

 fue-

dus omnes virtuales inter se virtualiter distinctos perfectionum, & omnia, ad quæ ejus potentia & virtus potest se extendere, videri possit, *Tom.* 2. *Tract.* 1. *part.* 1. *c.* 4. *§.* 2. *n.* 89. (Vid. *Deus*)

Concilium. Concilii nomine idem in Ecclesia significatur, quod in Regnis nomine Comitiorum: definitur generatim Prælatorum Ecclesiæ congregatio ad fidei controversias definiendas, vel Fidelium mores reformandos à legitimo Capite convocata, *Tom.* 1. *Tract.* 3. *c.* 3. *§.* 1. *n.* 194. Dicitur à Latinis *Concilium* à *conciliando* nomine sumpto à *con* & *cilium*, inquit Archidiaconus, quia dum oculorum cilia clauduntur, conveniunt in unum oculi & conciliari dicuntur, ita etiam Episcopi congregati, dum concludunt & definiunt aliquid, in unum conveniunt & conciliari dicuntur; ideo cœtus eorum sive congregatio jure *Concilium* à conciliando vocatur, *ibid. n.* 195. Triplicis generis dantur Concilia: Provincialia scilicet, Nationalia, & Generalia seu Oecumenica; ex iis alia sunt approbata & recepta, alia partim approbata & partim rejecta, alia omninò reprobata, *ibid. n.* 196. Concilia generalia seu Oecumenica approbata 19. numerantur, *ibid. n.* 197. penitùs reprobata 7. *ibid. n.* 198. partim approbata & partim reprobata 3. *ibid. n.* 199. Ad solum Romanum Pontificem spectat convocatio Conciliorum Oecumenicorum, *ibid. n.* 200. & *seq.* Summi quoque Pontificis est Conciliis Oecumenicis sive per semetipsum, sive per suos Legatos præsidere, *ibid. n.* 205. & *seq.* item ad illum solum pertinet quæque Concilia confirmare, *ibid. n.* 208. Quinam ad Concilium sint vocandi, *ibid. n.* 209. Jure divino soli Episcopi jus habent ferendi suffragium in Conciliis. Ex privilegio autem & jure Ecclesiastico aliquibus abhinc Sæculis Abbates & Generales Ordinum Præpositi jus illud etiam obtinent, licèt non sint Episcopi, sed simplices Presbyteri, *ibid. n.* 210. Concilium aliquod potest esse generale seu Oecumenicum tùm evocatione, tùm congregatione, tùm etiam exitu; vel tantùm quoad evocationem, aut convocationem, aut congregationem, non autem exitu, *ibid. n.* 215. Ad Concilium generale non requiritur, ut in unum & eundem locum, tùm Orientis tùm Occidentis Episcopi simul congregentur; sed fieri potest, ut Episcopi Orientis in unam Orientis civitatem, Episcopi verò Occidentis in alteram Occidentis eodem tempore conveniant, & utriusque Synodi simul habitæ consensus pro Concilio generali habeatur, *ibid. n.* 216. Solv. ob. *ibid. n.* 217. & *seq.* Concilium Oecumenicum seu Ecclesia (perindè enim est sive Concilium Oecumenicum sive Ecclesia dicatur) est supremus & infallibilis controversiarum Fidei Judex, etiam in quæstionibus facti dogmatici, *ibid. §.* 2. *n.* 231. & *seq.* vid etiam *Exercit. Theol. Exercit.* 15. *n.* 264. & *seq.* Solv. ob. *ibid. n.* 245. & *seq.*

Concordata Nationis Germanicæ, quid sint, *Tom.* 3. *Tract.* 4. *c.* 5. *§.* 1. *n.* 233.

Concubitus inordinatus conjugum, seu inordinatus concumbendi conjugum modus. (Vid. *Luxuria*)

Concupiscentia seu *passio* est animæ sensitivæ motus prosequens bonum sensibile, aut malum sensibile fugiens, *Tom.* 3. *Tract.* 1. *c.* 1. *§.* 1. *n.* 19. Triplex distinguitur: *antecedens*, quæ præcedit consensum voluntatis; *consequens*, quæ consequitur ex prævio voluntatis actu; & *conco-*

tribuat, &c. *ibid. n.* 390. monere & docere debet pœnitentem de eo, quod ignorat etiam invincibiliter, si ex hoc invincibili-errore sequatur aliquod grave malum vel scandalum publicum, vel error ille vergat in damnum injustum proximi, si pœnitens dubitet de suo errore, vel interroget Confessarium, & quando ea monitio profutura videtur, nec ex ea scandalum timetur, *ibid. n.* 391. Confessarius non potest se conformare sententiæ pœnitentis evidenter minùs probabili & minùs tutæ contra propriam probabiliorem & tutiorem, *ibid. n.* 392. Confessarius, qui invalidè pœnitentem absolvit à Censuris vel peccatis reservatis, tenetur, saltem si commodè potest, illum monere, ut sibi remedium ab aliquo quærat, vel, obtenta à Superiore facultate illum absolvendi, præsentem post iteratam contritionem absolvere; similiter si pœnitentem vel per expressa verba, vel per silentium suum induxit in aliquem errorem, ex quo sequitur violatio alicujus præcepti, tenetur illum hunc errorem dedocere, alioquin esset causa, cur is præceptum violaret, *ibid. n.* 393. Si Confessarius sine sua culpa deobligavit pœnitentem a restitutione, ad quam tenebatur, vel obligavit ad quam non tenebatur, tenetur ex justitia eum errorem suum dedocere; si ex malitia aut errore culpabili hoc fecit, tenetur errorem revocare, & sic causam damni inferendi tollere; quòd si id omittat, & pœnitens intereà factus sit impotens ad restituendum, tenetur ipsemet Confessarius, si aliundè dominii alicujus capax sit, illi tertio restituere locô pœnitentis: Si verò Confessarius solummodò omiserit admonere pœnitentem de obligatione restituendi, tenetur quidem eum posteà obligationis suæ admonere; quòd si tamen Confessarius id omittat, aut pœnitens intereà factus sit impotens ad restituendum, non tenetur ipsemet Confessarius pro ipso restituere: Si Confessarius culpabiliter aliquem obligaverit ad restitutionem, ad quam non tenebatur, tenetur ex justitia errorem revocare; quòd si pœnitens jam restituit, damnum ipsi resarcire debet, *ibid. n.* 394. Denique Confessarius eos, quorum saluti deservit, bona in Deum spe complere, meticulosos confirmare, & ad Deum impellere debet, atque docere timorem, quem Ecclesia Dei donum agnoscit, *Tom.* 3. *Tract.* 3. *part.* 2. *c.* 4. *n.* 156.

Confessio est materia proxima & pars essentialis Sacramenti pœnitentiæ, *Tom.* 4. *Tract.* 5. *c.* 1. *§.* 3. *n.* 56. *&* 57. Triplex distinguitur in Scripturis Confessio nempe laudis, fidei, & peccatorum. Prior est ea, qua Dei beneficia nobis præstita prædicamus: altera est ea, qua fidem nostram exteriùs profitemur: confessio denique peccatorum est declaratio peccatorum facta vel Deo soli, vel Deo & ejus Ministro, *ibid. c.* 3. *n.* 156. & hæc dicitur Sacramentalis, atque definitur, Accusatio propriorum delictorum post Baptismum commissorum Sacerdoti approbato facta ad obtinendam eorum remissionem per absolutionem Sacramentalem, *ibid. n.* 157. Sæculô 8vô. Nonnulli negârunt confessionem omnium peccatorum mortalium esse præcepti divini. Sub finem Sæculi 14ti. Wiclefus asseruit confessionem esse tantùm instituti Ecclesiastici. Id etiam tuitus est Petrus de Osma Sæculô 15tô. Lutherani contra propriam Augustanam Confessionem suam & Lutheri Catechismum vulgò affirmant Confessionem non esse à Christo præceptam, nec debere esse omnium & singulo-

rum peccatorum. Calvinus non solùm negat Confessionem esse instituti divini, sed insuper usum illius damnat ut noxium & pestiferum : verùm ipso æquiores discipuli ejus eam velut utilem ad erudiendum & consolandum pœnitentem laudant, sed à Christo esse institutam negant. Dallæus Calvinistrarum olim apud Gallos Minister contendit, Confessionem, prout nunc in Ecclesia Romana usurpatur, institutionem suam debere Generali Concilio Lateranensi IV. sub Innocentio III. an. 1215. celebrato, *ibid.* §. 1. *n.* 159. De fide est, confessionem omnium lethalium peccatorum esse à Christo præceptam iis, qui post Baptismum in ea prolapsi sunt, *ibid.* *n.* 160. & *seq.* Solv. ob. *n.* 163. & *seq.* Lutherus confessionem Sacramentalem secretam haud esse juris divini, nec apud antiquos Patres ante Concilium Lateranense ejus mentionem factam fuisse, sed tantùm publicæ pœnitentiæ, asseruit. Inter Catholicos verò nonnulli opinantur confessionem essentialiter secretam esse debere : porro per secretam Confessionem, quæ etiam *auricularis* dicitur, quòd secretò ad aurem fiat, intelligitur ea, quæ à pœnitente fit Sacerdoti sine ullo teste; publica verò est ea, quæ fit eidem Sacerdoti coram multis, *ibid.* §. 2. *n.* 176. Hæc conditio, quòd Confessio sit secreta vel publica, non est necessaria, ut confessio valeat; adeoque ad valorem confessionis Sacramentalis perindè est sive publica sit sive secreta : porro quamvis expressum non extet mandatum secretò tantùm faciendi confessionem, tamen propter universalem consuetudinem, quæ ubique invaluit, absque gravi causa & legitima facultate Sacramentalis confessio publica licitè fieri non potest, *ibid.* *n.* 177. Solv. ob. *ibid.* *n.* 181. & *seq.* Divinum confessionis Sacramentalis præceptum per se non statim obligat à commisso peccato; per accidens tamen & ratione alterius obligare potest lex confessionis, eos nimirùm, qui vel Sacra perficere, vel ad Sacram mensam accedere tenentur, *ibid.* §. 3. *n.* 184. Idem divinum confessionis præceptum per se obligat, ubi est probabile mortis periculum; in levioribus verò morbis, ex quibus nullum timeri potest mortis periculum, urgere non videtur : porro per probabile mortis periculum intelligitur quilibet gravis morbus, difficilis partus, primum puerperium, navigatio periculosa, instans conflictus, &c. §. 3. *n.* 185. In periculo mortis constitutus & solùm peccatorum venialium reum se esse agnoscens, absolutè & per se non tenetur confiteri, benè autem per accidens 1mo. Ratione scandali, quod inde oriri posset; 2do. ad vitandam præsumptionem; 3tio. ne se ipsum decipiat nimiùm sibi blandiendo, &c. *ibid.* *n.* 186. Divinum istud præceptum obligat etiam sæpè per vitam extra mortis periculum; & jure divino necessaria est confessio ei, qui vult accedere ad Sacramentum Eucharistiæ, *ibid.* *n.* 187. celebre confessionis semel in anno faciendæ decretum emisit Concilium Lateranense IV. an. 1215. sub Innocentio III. Can. 21. Non verò primùm confessionem instituit, ut calumniantur Novatores. Debet fieri proprio Sacerdoti, id est, Episcopo in propria Diœcesi, & sub eo Parochis : at plerumque usu venit, ut quivis cuilibet approbato Sacerdoti confiteri possit, dummodò Parochum suum de adimpleto annuæ confessionis præcepto schedulâ à Confessario receptâ doceat, *ibid.* §. 4. *n.* 188. Huic annuæ confessionis præcepto non satisfit per confessionem voluntariè nullam & invali-

validam, seu sacrilegam: si quis tamen aliqua peccata mortalia ex inculpabili oblivione in confessione annua omisisset, non teneretur ea adhuc eodem anno confiteri, nisi adhuc eodem anno confiteretur, *ibid. n.* 189. Quamvis hoc præceptô certum anni tempus confitendi non statuatur, tamen consuetudo invaluit confitendi intra quindenam paschalem, *ibid. n.* 190. Qui toto anni decursu omisit confiteri, tenetur etiam elapsô annô quantocius satisfacere Ecclesiæ præcepto, alioqui peccat deinceps, & quidem toties quoties potest commodè confiteri, & omittit. Vi hujus præcepti tenentur Fideles anticipare confessionem in quavis anni parte, si prævideant fore, ut omissa illa occasione nequeant posteà toto illo anno confiteri, *ibid. n.* 191. Qui peccatorum duntaxat venialium sibi conscius est, probabiliùs non tenetur vi præcepti Ecclesiastici ea confiteri, nisi fortè periculum foret alicujus scandali, &c. *ibid. n.* 192. Sexdecim numerantur veræ confessionis conditiones his quatuor versibus comprehensæ:

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,
Necnon nuda, frequens, discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, & lacrymabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, & sit parere parata. *ibid. §. 5. n.* 194. *& seq.*

Confessio Sacerdoti absenti per litteras facta ne dum post Decreta Clementis VIII. & Pauli V. sed etiam ante illa illicita fuit & invalida, *ibid. §. 6. n.* 210. *& seq.* Duplex est confessionis integritas, una *formalis*, *materialis* altera: prior est accusatio omnium peccatorum mortalium, quæ post diligens conscientiæ examen memoriæ occurrunt: posterior verò est accusatio omnium omninò mortalium commissorum, quæ juxta divinum præceptum, per se loquendo, sunt exprimenda; hæc absolutè non est necessaria; quia sæpè impossibilis est cognitio omnium omninò mortalium peccatorum etiam post diligens conscientiæ examen, *ibid. §. 7. n.* 215. Jure divino omnia & singula peccata mortalia post diligens examen memoriæ occurrentia tàm quoad speciem, quàm quoad numerum in confessione exprimi debent, nisi tamen legitima causa excuset, *ibid. n.* 217. *& seq.* Causæ autem, quæ excusant potissimùm sunt 1mo. inculpabilis oblivio alicujus peccati mortalis; 2do. impossibilitas seu impotentia physica: hinc excusantur, qui præ morbi gravitate loqui non possunt; muti, si per gestus, scripturam, vel alia signa nequeant omnia peccata declarare; ii, quorum idioma nonnisi ex parte intelligi potest à Confessario, si nequeant alteri confiteri, sitque necessitas confitendi, vel urgeat præceptum annuæ confessionis; cùm in imminente naufragii periculo, vel instante pugna nequeunt omnes integrè confiteri, imò tunc sufficit confusa confessio; qui versantur in periculo moriendi ante absolutionem, nisi ea mox detur; tunc enim tales auditis aliquot dumtaxat peccatis, sunt absolvendi. 3tio. impotentia moralis: ob hanc excusantur, Sacerdos, dum peccatum suum confiteri nequit absque fractione sigilli confessionis, & quicumque confiteri nequit aliquod peccatum sine gravi damno confessioni extrinseco temporali vel spirituali sive proprió sive alienô, *ibid. n.* 221. Porro peccata ex oblivione, vel ob aliam justam causam omissa in sequenti confessione declarari debent, *ibid. n.* 222. Licèt actus externus inter-

Inter

Inter Sectarios primi omnium Sacramentum Confirmationis apertè adorti sunt Lutherus & Calvinus, atque ejus veritatem impugnârunt, *ibid. c.* 1. *§.* 1. *n.* 5. Est verum novæ Legis Sacramentum, *ibid. n.* 6. *& seq.* Solv. ob. *ibid. n.* 13. *& seq.* In assignanda essentiali Confirmationis materia dissentiunt nostri Theologi, *ibid. n.* 29. Materia remota Confirmationis est Chrisma, *ibid. n.* 30. Chrisma, quod est materia Confirmationis est unguentum ex oleo & balsamo confectum, ita ut mixtio utriusque pertineat ad essentiam Sacramenti, *ibid. n.* 31. *& seq.* Solv. ob. *ibid. n.* 46. *& seq.* Chrisma istud seu unguentum est ab Episcopo benedictum, ita ut benedictio ista Episcopi sit de essentia Sacramenti, *ibid. n.* 36. *& seq.* Solv. ob. *ibid. n.* 51. *& seq.* Materia proxima essentialis, adæquata, & totalis Sacramenti Confirmationis est manuum impositio, indistincta tamen à Chrismatis unctione, seu est ipsa Chrismatis unctio, quæ in fronte Sacramentum istud suscipientis fit per modum crucis, *ibid. n.* 40. *& seq.* Solv. ob. *ibid. n.* 54. *& seq.* Forma Sacramenti posita est in verbis, quæ pronuntiat Episcopus, dum materiam applicat, *ibid. §.* 3. *n.* 63. Essentialis & adæquata Confirmationis forma consistit in verbis, quæ unctioni respondent, *ibid. n.* 64. *& seq.* Solv. ob. *ibid. n.* 67. *& seq.* Christus immediatè & per se instituit Sacramentum Confirmationis: quo autem præcisè tempore, planè est incertum, *ibid. c.* 2. *§.* 1. *n.* 78. *& seq.* Solus Episcopus institutione divina est ordinarius Sacramenti Confirmationis Minister, *ibid. §.* 2. *n.* 81. *& seq.* Solv. ob. *ibid. n.* 85. *& seq.* Possunt simplices Presbyteri ex dispensatione Summi Pontificis validè Sacramentum Confirmationis administrare, *ibid. §.* 3. *n.* 97. *& seq.* Solv. ob. *ibid. n.* 101. *& seq.* Nemo nisi baptizatus confirmari potest; omnes verò baptizati, sive adulti sive parvuli, capaces sunt hujus Sacramenti. Verùm à pluribus Sæculis apud Latinos laudabilis usus invaluit, ut ad hoc Sacramentum nemo admittatur, qui septimum ad minus annum ætatis completum, & rationis usum non habuerit; potest tamen ob rationabilem causam illa ætas laudabiliter præveniri, putà si puer sit morti proximus, vel credatur posteà aut omninò non, aut nonnisi difficillimè habiturus occasionem Sacramentum Confirmationis suscipiendi, *ibid. §.* 4. *n.* 108. Gratia propria Confirmationis est gratia roboris ac virtutis ad fidem fortiter propugnandam, & superandas, quæ adversùs eam insurgunt tentationes, *ibid. c.* 3. *§.* 1. *n.* 111. Solv. ob. *ibid. n.* 112. *& seq.* Sacramentum Confirmationis imprimit characterem, proindè iterari nequit, *ibid. §.* 2. *n.* 116. *& seq.* Solv. ob. *ibid. n.* 120. collatum ab Hæreticis juxta ritum à Christo institutum imprimit characterem, nec proindè iterari potest aut debet, *ibid. §.* 3. *n.* 112. Solv. ob. *ibid. n.* 123. *& seq.* Ad Sacramentum Confirmationis fructuosè percipiendum quædam dispositiones ex parte corporis requiruntur, & quædam ex parte animæ: ex parte corporis 1mo. jejunium naturale, nisi propter distantiam locorum vel numerum ungendorum cæremonia longiùs protrahatur; 2do. ut Confirmandi frontem apertam & nitidam habeant, ut quisque eorum fasciolam linteam habeat, qua frons sacro Chrismate illita contegatur; 3tio. ut vestitu simplici ac modestiæ Christianæ consentaneo ad hoc Sacramentum accedant, viri ense, si quem gestant, deposito, non incompositis crinibus, fron-

frontemque obtegentibus, fœminæ verò absque fuco, aut nimis exquisito capitis corporisve ornatu, *ibid.* §. 4. *n.* 128. Ex parte animæ requiritur 1mo. ut prima saltem fidei rudimenta teneant Confirmandi, nec ullus admittatur, qui præcipua Religionis mysteria, Symbolum Apostolorum, mandata Dei & Ecclesiæ, Orationem Dominicam, qui & salutationem Angelicam edoctus non sit, ac ea, quæ susceptionem hujus Sacramenti debitam spectant, probè satis non intellexerit; 2do. ut Sacramentaliter confiteantur, si gravium peccatorum sibi conscii sint; 3tio. ut bonis operibus ac pietatis officiis, præsertim oratione, ad recipiendum Spiritum sanctum se se disponant confirmandi; 4to. ut devotionis ferventioris affectus in se excitent, eo maximè instanti, quo confirmantur; promissa in Baptismo renovent, actus Fidei, Spei, & Charitatis eliciant, &c. *ibid. n.* 129. Duobus modis considerari potest Confirmationis necessitas, nimirùm vel per ordinem ad effectus, quos producit; vel per ordinem ad Fideles, qui ejus præcepto adstringuntur, *ibid. c.* 4. *n.* 130. Confirmatio ita necessaria est ad gratiam in Fide roborantem consequendam, ut suppleri non possit per unctionem verticis in Baptismo usurpatam unctio Chrismatis in Confirmatione &c. *ibid.* §. 1. *n.* 132. *&* 233. Solv. ob. *ibid.* 134. *& seq.* Sacramentum Confirmationis non est necessarium necessitate medii, *ibid.* §. 2. *n.* 136. est tamen saltem jure Ecclesiastico necessarium iis omnibus, qui in Clerum assumuntur, *ibid. n.* 137. Omnibus adultis Confirmatio præcipitur tùm jure divino, graviter obligante, *ibid. n.* 138. *&* 139. præceptum divinum suscipiendi Sacramentum Confirmationis maximè obligat vel tempore persecutionis contra fidem, vel quando instant graves circa Religionem tentationes, vel in præsenti periculo mortis; obligat etiam in articulo mortis; in quo quilibet tenetur, quantùm potest, ad perfectionem Christianam aspirare, *ibid. n.* 140. Præceptum Ecclesiasticum percipiendi hoc Sacramentum obligat, cùm baptizatus pervenit ad annos discretionis, & eo præsertim tempore, quo præsens est Episcopus & paratus ad illud administrandum, nullamque legitimam causam habet baptizatus illius perceptionem differendi, *ibid. n.* 141. Undè 1mo. peccant, qui Sacramentum istud percipere negligunt, multò magis qui contemnunt; 2do. magna proindè est parentum obligatio, ut filios Confirmationis suscipiendæ idoneos, dùm occasio se offert, ad confirmandum sistant; 3tio. graviter peccant Episcopi, qui rarò suas Diœceses invisunt, *ibid. n.* 142.

Variæ sunt cæremoniæ, quæ in hujus Sacramenti administratione adhibentur, quasque Apostolos magna ex parte tradidisse non sine ratione creditur: 1mo. Confirmandi à patrinis offeruntur Episcopo, qui patrini baptizati & confirmati jam sint, atque ad minimum decimum quartum ætatis annum attigerint; excluduntur parentes illius, qui confirmandus est propter cognationem spiritualem, quam alioqui contraherent parentes: (contrahitur quippe eadem cognatio à patrinis in Confirmatione, quæ in Baptismo à susceptoribus) ne ergo cognatio hæc, quæ est impedimentum dirimens Matrimonium, à pluribus contrahatur, vel nulli adhibeantur patrini, vel unus sit patrinus masculo sine matrina, unaque sine patrino fœminæ matrina. S. Carolus jubet, ut nec fœminis mares, nec contrà maribus fœminæ, neque senioribus adolescentes compatres in Confirmationis

tionis Sacramento adhibeantur, nisi aliter necessitas postulet, *ibid.* §. 3. *n.* 143. 2do. Quondam vestibus albis induebantur confirmandi antequam offerrentur Episcopo; modò autem, ubi Confirmationem à Baptismo separandi mos invaluit, non aliæ, quàm mundæ ac modestæ vestes requiruntur, *ibid. n.* 144. 3tio. Episcopus extensis versùs confirmandos manibus invocat Spiritum sanctum ad robur; tùm Neophytorum frontem chrismate benedicto ac consecrato in crucis figuram inungit, dicendo, *signo te &c. ibid. n.* 145. 4to. Episcopus confirmando aliud nomen imponit &c. *ibid. n.* 146. 5to. post frontis unctionem Confirmato levem maxillæ alapam infligit dicendo, *pax tecum*, & cur hoc, *ibid. n.* 147. 6to. frons Confirmati vittâ lineâ seu fasciolâ circumligatur, tùm ne Chrisma facilè diffluat, tùm ut significetur acceptam gratiam diligenter esse conservandam, *ibid. n.* 148. Quantùm ad tempus conferendæ Confirmationis, antiquitùs iisdem temporibus conferebatur, quibus solemne Baptisma: posteà propter Fidelium multitudinem usus invaluit, ut quavis die conferretur, *ibid. n.* 149. Quod locum, in quo Confirmatio celebratur, idem fuit qui & Baptismi, primò quolibet in loco, posteà verò in Templis tùm Cathedralis, tùm aliarum Ecclesiarum, *ibid. n.* 150. Hunc inter Confirmandum Majores nostri ordinem servabant, ut mares primùm, deindè fœminæ confirmarentur, &c. *ibid n.* 151.

Confusio (vid. *Commixtio*)

Congius, *Chus*, sive *Choa*, genus mensuræ liquidorum, *Tom.* 1. *Tract.* 1. *part.* 1. *c.* 8. *n.* 143.

Consanguinitas (vid. *Cognatio*, *Matrimonium*)

Conscientia à S. Bernardo vocatur *cordis scientia*, & à S. Antonino *concludens scientia*; describi solet *judicium actuale practicè practicum dictans, quid in particulari faciendum sit aut omittendum, quidve fieri aut omitti debuisset*, *Tom.* 3. *Tract.* 1. *c.* 4. §. 1. *n.* 199. & 200. Conscientia prout à Synteresi, quæ est interna actuum humanorum regula remota & primaria, distinguitur, est secundaria, immediata, & proxima actuum humanorum regula, quia legem applicat in particulari; est etiam errori obnoxia; quia fieri potest, ut bona principia malè applicet, aut ad legem non satis attendat, *ibid. n.* 201. Ratione sui, seu judicii, quod fertur, dividitur in *præcipientem*, quæ dictat aliquid esse de præcepto; *consulentem*, quæ ostendit aliquid esse de consilio; & *permittentem*, quæ aperit aliquid merè permissum esse & nec præcipi nec prohiberi, *ibid. n.* 202. Ratione objecti dividitur in *veram*, quæ etiam *bona* & *recta* dicitur, estque ea, quæ dictat licitum esse vel illicitum, quod re vera licitum est, aut illicitum; & *malam*, quæ *falsa* & *erronea* nuncupatur, estque ea, quæ dictat licitum esse, quod lex prohibet, aut illicitum, quod omni lege permittitur; & hæc est erronea vel *vincibiliter*, seu ex errore, qui expelli potuit & debuit; vel *invincibiliter*, seu ex errore, qui expelli non potuit, *ibid. n.* 203. Ratione principii seu assensus dividitur 1mo. in *certam*, quæ ab aliis *tuta* dicitur, qua quis prudenter & sine formidine saltem rationabili judicat hîc & nunc aliquid bonum esse vel malum; & *incertam*, quæ ab aliis *non tuta* & *dubia* nuncupatur, qua quis ita judicat aliquid esse licitum, ut simul judicet illud posse esse illicitum; si pares & æqualis ponderis pro utroque

adsint

ſcientia; quia ad conſcientiam verè talem requiritur judicium, mens dubitans verò non judicat, ſed potiùs judicium ſuſpendit; *dubium* enim eſt ſuſpenſio judicii ſeu aſſensûs & diſſensûs, *ibid.* *ſ.* 3. *n.* 214. qui dubitat, ſeu qui habet conſcientiam ſivè negativè ſive poſitivè dubiam, an actio ſua licita ſit vel illicita, peccat peccato ejusdem ſpeciei & gravitatis de quo dubitat, ſi manente dubio operetur, *ibid.* *n.* 217. Solv. ob. *ibid.* *n.* 220. Qui conſcientiam habet negativè dubiam, an actio hîc & nunc licita ſit, ſi, omnibus, ut decet, ponderatis, nullam probabilem detegat auctoritatem, qua actionem hanc illicitam eſſe conſtat, poteſt dubium ſuum tanquam malè fundatum deponere, & actionem hanc exequi, *ibid.* *n.* 218. Qui de honeſtate actûs poſitivè dubitat, ob æqualem vel penè æqualem momentorum vim, tenetur partem eligere tutiorem, & ab agendo abſtinere, *ibid.* *n.* 219. Solv. ob. *ibid.* *n.* 221. *& ſeq.* Conſcientia probabilis & improbabilis &c. (Vid. *Opinio*) Conſcientia *ſcrupuloſa* à ſcrupulo ſic dicta, eò quòd, inſtar ſcrupuli ſeu lapilli calceis incluſi pedemque vexantis & lædentis, animo inſidens eum divexet, diſcrutiet & agitet: ſuperiùs eam definivimus, quòd ſit judicium ſeu potiùs apprehenſio de malitia operis leviſſimis & interdùm ridiculis innixa fundamentis & rationibus: Scrupuloſi ergo ſunt illi, qui ex motivo parvi vel nullius momenti judicant aliquid prohibitum eſſe, quod vel præceptum non eſt nec prohibitum, *ibid.* *ſ.* 5. *n.* 264. Scrupulorum cauſæ aliæ ſunt ab intrinſeco, aliæ ab extrinſeco, *ibid.* *n.* 265. Signa, quibus quis poſſit ſe ſcrupuloſum judicare, *ibid.* *n.* 266. variæ regulæ & remedia pro ſcrupuloſis, *ibid.* *n.* 267. *& ſeq.* Conſcientia *lata* eſt ea, qua mens exiguis & cupiditati faventibus ratiunculis fulta licitum eſſe putat, quod malum eſſe deprehendi facilè poteſt; aut pro levi peccato habet id, quod duriores gehennæ flammas meretur, *ibid.* *ſ.* 6. *n.* 273. Quicumque operatur ex conſcientia lata peccat, *ibid.* *n.* 274. *& ſeq.* Quomodò diſcerni poſſit, quinam ſint latæ ac ſpatioſæ conſcientiæ homines, *ibid.* *n.* 277. Conſcientia *bona* ſeu *vera* & *recta* eſt ea, quæ dictat eſſe licitum vel illicitum id, quod re vera licitum eſt aut illicitum: è contrà *mala* & *erronea* eſt ea, quæ dictat eſſe licitum id, quod re vera illicitum eſt, & eſſe illicitum id, quod re vera permiſſum eſt. Conſcientia *bona* ſtrictè & propriè ſumpta eſt actus, quo intellectus prudenter & firmiter ſeu abſque dubio & formidine falſitatis, ſaltem rationabili, judicat aliquid hîc & nunc eſſe licitum vel illicitum, atque illud, ſi licitum eſt, facit, omittit verò, ſi illicitum, *ibid.* *ſ.* 7. *n.* 278. Motiva, quæ nos ad bonam conſcientiam comparandam, malam verò eliminandam efficaciter perducere valent, *ibid.* *n.* 279. *& ſeq.* Remedia & rationes, quibus bonam conſcientiam nobis conciliare, malam verò fugere poſſimus, *ibid.* *n.* 285.

Conſentiens. (Vid. *Cooperatores ad damnum*)

Conſervatio eſt *continuata rei productio*, ſeu *continuus influxus in effectum*. Creatura ſemper indiget Dei influxu, ut conſervetur, *Tom.* 2. *Tract.* 2. *proœm.* *n.* 1.

Conſilium dici poteſt *Ordinatio rationis ad bonum alterius ſine ulla obligatione.* Differt à præcepto, quòd præceptum neceſſitatem imponat, conſilium verò det optionem. *Tom.* 3. *Tract.* 2. *part.* 1. *c.* 3. *Sect.* 2. *ſ.* 5. *n.* 160.

quotiescumque violatur; quia quotiescumque subditus transgreditur legem, minùs, quàm par est, ad illam afficitur, & ita affectivè minoris, quàm par est, illam facit, *Tom.* 3. *Tract.* 2. *part.* 2. *c.* 1. *Sect.* 4. §. 2. *n.* 218.

Contentio est altercatio verborum, quibus inordinatè quis alteri contradicit. Ex genere suo est peccatum mortale sicut alia, quæ sunt contra Charitatem. Semper est mortalis 1mo. si seriò impugnetur veritas ad fidem, bonos mores, pietatem, justitiam, vel grave bonum proximi spectans; 2do. si fiat cum periculo scandali, vel cum gravibus maledictis, convitiis, contumeliis, &c. Est autem solùm venialis, seclusis convitiis & scandalô, si materia sit levis, vel inordinatio sit solùm in modo, v. g. si solùm fiat cum nimia acrimonia, clamoribus, aut ex solo studio vincendi adversarium, *Tom.* 3. *Tract.* 6. *part.* 3. *c.* 2. §. 3. *n.* 363.

Contractus sic dicitur, quia duorum vel plurium voluntates in unum trahit. Dupliciter sumitur, *latè* videlicet, & *strictè*: priori modô sumtus idem est ac *pactum*, quod definitur *duorum, pluriumve in idem placitum consensus*; strictè sumtus est actus externus inter duos vel plures ex mutuo eorum consensu ultrò citroque obligationem pariens, *Tom.* 3. *Tract.* 5. *c.* 3. *Sect.* 1. *§.* 1. *n.* 193. Dividitur 1mo. in *formalem* seu *expressum*, quo duo vel plures expresè conveniunt de eadem re; & *virtualem*, quando tacitè & implicitè de aliquo convenitur. 2do. in *nominatum*, qui nomen proprium habet, ut *emptio*, *locatio*, &c. & *innominatum*, qui proprium nomen non habet, sed genericum duntaxat contractûs aut pacti; hujus sunt quatuor species, scilicet *do ut des, do ut faciat, facio ut des, facio ut facias*. 3tio. in *gratuitum* seu *lucrativum*, in quod aliquid accipitur & nihil rependitur, ut *donatio*, &c. & *onerosum*, in quo utrimque aliquid datur & accipitur, ut *emptio*, &c. 4to. in contractum *bonæ fidei*, in quo servari debet non solùm id, de quo conventum est, sed etiam id, quod æquum & bonum Judici videtur, quamvis non sit expressum in contractu, quia tamen censetur secundùm bonam fidem eidem inesse, ut *emptio*, &c. & *stricti juris*, qui strictam verborum interpretationem postulant, ita ut obligatio secundùm verba, & non ultrà extendatur, ut *Emphyteusis*, &c. 5to. in *nudum*, qui est mera conventio carens firmamentô, quo pariat actionem in foro externo; talis est omnis contractus innominatus, antequam sit ex altera parte completus, nisi accedat formula stipulationis vel juramentum; & *vestitum*, qui est conventio innixa aliquo firmamento, vi cujus pariat actionem civilem, qualia sunt scriptura, testes, juramentum. 6to. in eum, qui re seu rei traditione perficitur, ut *mutuum*, & in eum, qui solo consensu perficitur, ut *emptio*, &c. 7mo. in *purum*, cui nullum adjicitur accidens, nulla conditio; & *non purum*, cui additur aliquod accidens; & hic est quintuplex; *Ad diem*, cui præfigitur dies; *Ad conditionem*, cui additur conditio; *Ad modum*, cui modus adjicitur; *Ad causam*, cùm fit ob aliquam causam; *Ad demonstrationem*, cui apponitur signum ad rem vel personam ostendendam, *ibid. n.* 194. Omnes & soli rationis usu præditi, qui liberam habent bonorum administrationem seu legitimam facultatem disponendi de illis, validè contrahere possunt, *ibid. §.* 2. *n.* 195. Undè validè

si

si error vel dolus circa notabilem quantitatem causam dederit, quamvis non proveniat à promissario vel donatario: excipiuntur etiam sponsalia, utpote in quibus major requiritur libertas, *ibid. n.* 216. Metus sive absolutè sive respectivè gravis etiam injustè incussus ad extorquendum consensum non irritat contractum, adeoque contractus ex tali metu initus validus est, saltem jure naturali; enimverò, ob Legum civilium hoc in puncto varietatem, certò dignosci non potest, an hujusmodi contractus jure etiam positivo validus sit: excipiuntur tamen sequentes contractus, qui si ex metu gravi & injusto fiant, ipso jure sunt irriti, scilicet Matrimonium, Professio Religiosa, Contractus dotis promissæ vel solutæ, Promissio vel Traditio rerum ad Ecclesiam pertinentium, Auctoritas seu consensus Tutoris per metum extortus, Jurisdictio metu extorta seu prorogata, *ibid. n.* 217. Contractus factus ex metu quocumque gravi injustè incusso ad extorquendum consensum, ad arbitrium illius, qui talem metum passus est, rescindi potest, *ibid. n.* 218. 220. 221. & 222. Secùs si ex metu levi injusto, nisi is verè dederit causam contractui, tunc enim, non quidem in foro externo, sed in foro interno & conscientiæ rescindi potest contractus pro voluntate ejus, qui metum passus est, *ibid. n.* 219. Omnis contractus seu pactum validum, etiam nudum, parit obligationem in conscientia, licèt in foro externo non tribuat actionem, nisi juramento confirmatum esse perhibeatur, *ibid. §.* 4. *n.* 226. & *seq.* Contractus defectu solemnitatis à jure requisitæ & imperatæ jure positivo invalidus non obligat in conscientia, atque in utroque foro nullus est: *solemnitates* verò sunt quidam ritus seu conditiones, quæ secundùm leges in contractibus adhiberi solent, v. g. certus testium numerus, &c. *ibid. n.* 229. Non omnis contractus factus contra legem est invalidus: sic valet venditio rei jam alteri venditæ, sed nondum traditæ, quamvis sit illicita, *ibid. n.* 230. Contractus vi, metu injusto, vel dolo extortus, vel injuriam continens ab eo, cui juratur, illatam, non firmatur juramentô ita, ut rescindi non possit: neque contractus jure naturali invalidus juramentô firmatur; ut & contractus solo jure positivo irritus, si irritatio facta sit immediatè & principaliter propter bonum commune, non firmatur juramentô, *ibid. n.* 231. & *seq.* Contractus sub conditione non parit obligationem ante conditionis impletionem, si conditio illa sit honesta, possibilis, de futuro contingenti, & in ipsomet contractu adjecta: excipitur contractus Matrimonii, in quo si conditiones appositæ turpes sint vel impossibiles, pro non adjectis habentur; excipiuntur etiam ultimæ voluntates, in quibus appositæ turpes vel impossibiles conditiones similiter pro non adjectis habentur, *ibid. n.* 236. & *seq.* Contractus *sub modo* statim obligat, nec irritus est, etiamsi modus non impleatur, nisi contrahens aliter expresserit, quia modus est aliquid consequens contractum, supponitque donantè actu & de facto jam dedisse, adeoque perfectam dispositionem dumtaxat consequitur, non verò illam suspendit, *ibid. n.* 239. Contractus seu dispositio facta *ad causam* nulla est, si causa finalis non subsistat; at valet si sola causa impulsiva deficiat: Donatio tamen certis aliquando causis fit, quæ non impediunt, quominùs ea valida sit & absoluta, *ibid. n.* 240. Error seu falsitas in demonstratione,

priusquam absolutionis beneficium ipsi impendat, *ibid. n.* 85. Contritio generatim sumpta, & prout abstrahit à perfecta vel imperfecta peccatori ad obtinendam peccatorum mortalium remissionem est planè necessaria, & quidem absolutè, seu necessitate medii, *ibid. §.* 3. *n.* 86. Contritio vel pœnitentia aliqua seu displicentia ac retractatio formalis, vel saltem virtualis necessaria est justo ad remissionem peccatorum venialium, *ibid. n.* 87. probabilius est contritionis præceptum non statim obligare post peccatum commissum, nec quoties peccatum memoriæ occurrit, *ibid. n.* 88. & *seq.* optima tamen est eorum praxis, qui peccatum statim, ac commissum fuit, detestantur. Præceptum contritionis obligat in quolibet articulo necessitatis; ut in articulo mortis; cùm quis tenetur administrare vel suscipere Sacramentum aliquod, vel quemcumque alium actum exercere, qui in homine præviam gratiam requirit; item cùm ex defectu contritionis aut pœnitentiæ morale periculum est indurationis & impœnitentiæ. Peccator non debet nimis diu & longo tempore differre pœnitentiam seu contritionem, adeò, ut voluntariè & ex proposito eam nimis differendo novum impœnitentiæ peccatum mortale committat. Probabilius est præceptum contritionis non obligare singulis diebus festis, ut vult Scotus, *ibid. n.* 93. Contritio, ùt dictum superiùs, dividitur in *perfectam* & *imperfectam*, quæ *Attritio* dicitur. Perfecta est animi dolor ac detestatio de peccatis commissis cum proposito non peccandi de cætero ex motivo perfectæ charitatis concepta; nempè quia peccatum est offensa Dei super omnia dilecti propter se, hoc est, propter infinitam suam amabilitatem & bonitatem absolutam: perfecta igitur contritio continet formaliter actum perfectæ charitatis, qua scilicet Deus super omnia, & quidem intensè, id est, cum magno fervore diligitur: porro contritio perfecta à Doctoribus communiter dicitur simplicitur *contritio*, quia omninò & perfectè convertit & immutat peccatorem, ductâ à duris corporibus analogiâ, quæ, cùm perfectè conteruntur, in minutissimas partes dividuntur, sicque omninò immutantur, aliamque induunt speciem, *ibid. §.* 4. *n.* 94. Contritio imperfecta, alio nomine *Attritio* dicta est dolor animi ac detestatio peccati cum proposito non peccandi inposterùm ex alio supernaturali honesto motivo quàm charitatis perfectæ; putà ex metu gehennæ & pœnarum, vel ex consideratione turpitudinis peccati: vocatur *Attritio*, quia peccatorem non perfectè conterit & immutat seu convertit sine Sacramento pœnitentiæ, ductâ similiter analogiâ à duris corporibus, quæ dum atteruntur tantùm, in majores duntaxat partes dividuntur, & sic imperfectè tantùm immutantur, *ibid. n.* 95. Contritio & Attritio, seu contritio perfecta & imperfecta essentialiter & specie differunt, ut quæ habent motiva specie diversa. Motiva Attritionis ad tria reducuntur; 1mo. ad turpitudinem peccati, non quidem naturalem, sed quatenùs animam coram Deo deturpat, maculat, ornatu gratiæ ac meritis privat, Deo exosam ac inimicam reddit; 2do. ad metum gehennæ, seu etiam purgatorii; 3tio. ad metum pœnarum, non prout naturaliter eveniunt, & vel naturali connexione, vel humana ordinatione ad peccatum consequuntur, ut supplicia, infamia, &c. sed quatenùs ad Deum referuntur, nimirùm quando tanquam à Deo peccatis offenso justoque scele-

ſuadendo, &c. cauſa ſunt, quòd alius crimen aliquod exequatur: id autem contingere poteſt novem modis, quorum ſex ſunt poſitivi, tres verò negativi his verſibus expreſſi,

Juſſio, concilium, conſenſus, palpo, recursus,

Participans, mutus, non obſtans, non manifeſtans.

Scilicet Mandans; conſentiens; adulator; receptans; mutus; qui nempè tacet, cùm loqui tenetur contradicendo, ſuadendo, prohibendo, clamando, &c. Non Obſtans, qui cùm ex officio vel pacto teneatur damnum alterius impedire ſeu obſtare, non tamen impedit aut obſtat; Non Manifeſtans, qui damnificatorem non manifeſtat, ſive ante damnum illatum ſive poſt, ut reſarciatur; Participans, qui illationi damni participat, quod dupliciter fieri poteſt 1mo. ratione rei acceptæ, ut cùm quis ſuam in præda & furto partem habet; 2do. ratione actionis damnoſæ, cùm quis quoquo modo juvat ad actionem injuſtam, ſive aliquid de præda accipiat, ſive non, *Tom. 3. Append. ad Tract. 5. part. 1. c. 3. n.* 497. & 498. Hi omnes & ſinguli, quia tanquam cauſa efficax & injuſta ſunt alieni damni, ad reſtitutionem tenentur, non tamen eodem ſemper modo & ratione; 1mo. Mandans, Conſulens, Conſentiens, Laudans, vel Receptans &c. tenentur ad reſtitutionem totius damni, ſi cauſa fuerint totius damni, partis verò, ſi partis ſolùm cauſa fuere: Participantes ſinguli tenentur in ſolidum, id eſt, unuſquiſque eorum, ſi alii non reſtituant, vel quia nolunt, vel quia non poſſunt, ſi communi conſiliò cooperantur ad damnum inferendum, ſecùs ſi independenter à ſe mutuò damnum inferant, ita, ut unus alterum non adjuvet, aut moveat & incitet, tunc enim quivis pro ſua parte damni illati ad reſtitutionem tenetur, *ibid. n.* 499. & 500. Cauſæ negativæ ſeu non impedientes damnum alterius, cùm ex juſtitia tenentur impedire, ex communi obligantur in defectum aliorum ad reſtitutionem in ſolidum, quia ſunt cauſa injuſta totius damni poſt alios, *ibid. n.* 501. Inter obligatos ad reſtituendum in ſolidum hic ordo ſervandus eſt, 1mo. ante omnes in ſolidum reſtituere tenetur is, apud quem res aliena extat in ſe; quòd ſi res aliena jam non ampliùs extet in ſe, tunc adhuc omnes tenentur ejus pretium reſtituere, etiam ille, qui eam mala fide acquiſivit, atque conſumſit vel alienavit; ſi verò bona fide eam acquiſitam conſumſit vel alienavit, non tenetur reſtituere, niſi in quantum factus eſt ex ea ditior, *ibid. n.* 502. 2do. in ſolidum ante omnes reſtituere tenetur Mandans ſeu Jubens, item qui fraude induxit, vel vi aut metu coëgit, & cui alter non eſt auſus contradicere; nec damni executor eis quidquam rependere tenetur, *ibid. n.* 504. Eodem loco tenetur is, qui ſuo nomine damnum fieri rogavit, *ibid.* Executor poſt ipſos; quia poſt ipſos eſt cauſa principalis, cæteri verò ſunt tantùm cauſæ ſecundariæ; niſi omnes initô communi conſiliô damnum inferre ſtatuerint, & unus illud dumtaxat inferat, ut ſi omnes inimicum impetant & unus illum occidat, omnes æqualiter tenentur, *ibid. n* 505. In priorem defectum cæteræ cauſæ poſitivæ ſingulæ ad ſuam partem ſecundùm proportionem ſuæ cooperationis ſine ordine inter ſe: ſi tamen executor nomine omnium damnum intulit, omnes ſimul tenentur primô locô; executor verò ſecundô locô,

locô, nisi etiam sit unus illorum, quorum causâ factum est damnum, *ibid. n.* 566. Post omnes istas causas positivas, & in illarum defectum tenentur causæ negativæ seu privativæ, inter quas non datur ordo aliquis, *ibid. n.* 507. Si causa principalis totum restituat, cæteræ omnes liberantur ab onere restitutionis: hinc si Mandans restituerit, aliæ omnes causæ sunt liberæ: Executori verò restituenti solus Mandans tenetur totum rependere: si alia causa secunda restituerit, Mandans, & in ejus defectum exequens tenetur totum ei restituere: si causa positiva restituerit, libera est causa negativa; è contrà si causa negativa restituerit, tenentur causæ positivæ secundùm suum ordinem ei totum reddere: si damnum passus remittat causæ magis principali, aliæ sunt liberæ: si verò condonet uni causæ minùs principali, tenetur adhuc restituere causa magis principalis; neque etiam liberantur aliæ, quæ in eodem gradu cum hac causa secundaria sunt, sed tamen non tenebuntur solvere portionem illius, cui remissio facta est: quòd si una ex causis æqualiter obligatis totum restituerit, aliæ in defectum causæ principaliter obligatæ tenentur singulæ pro sua portione ei rependere; si verò unus ex æqualiter obligatis nollet aut non posset suam portionem restituere, cæteri tenentur hanc partem ferre, & æqualiter inter se dividere, *ibid. n.* 508. Mandans non solùm tenetur resarcire damnum, quæ explicitè vel implicitè seu tacitè præcepit, sed etiam quod ex ipsius mandato, præter ejus intentionem, secutum est, si res præcepta fuerit periculosa: si ante damnum illatum mandatum revocet, idque Mandatario innotescat, non tenetur restituere damnum posteà illatum; secùs, si revocatio mandati ante damnum illatum non innotescat: tenetur etiam ad restitutionem, licèt mandatum revocârit, si non impedierit, cùm potuit, ne damnum inferatur. Si scias alterum paratum esse nomine tuo damnum inferre, nec impedias, cùm possis, cohibendo vel significando te nullatenùs id velle, teneris restituere. Denique quisque tenetur ex justitia impedire, ne nomine ipsius & tanquam aliquid sibi gratum proximo damnum injustè inferatur. Qui ratum habet damnum suo nomine factum, non tenetur restituere, si id neque expressè neque tacitè mandaverit, *ibid. n.* 509. Si consulens ante damnum illatum revocet consilium, tenetur adhuc resarcire damnum ex consilio suo posteà secutum, si nempè consilium consistebat in ostensione utilitatis, vel delectationis indè percipiendæ, vel modi exequendi; quòd si verò consilium consistebat in falsa doctrina, & Consulens ante executionem illud revocaverit aperiendo illius falsitatem, non tenetur restituere: item qui precibus, blanditiis, vel promissis ad damnificandum induxit, & ante damnificationem ostendit sibi displicere, propositum mutasse, & promissa revocare, non tenetur restituere: qui minus malum consulit ad majus avertendum, non tenetur ad restitutionem, ut tenetur, si illi, qui paratus est majus damnum inferre Paulo v. g. consulat, ut minus damnum potiùs Petro inferat, cui inferre non statuerat: excipe nisi damnum Petri sit tam leve, ut teneatur ex charitate illud pati ad impediendum majus damnum alterius pauperis, *ibid. n.* 510. Consentiens, seu qui suffragium tulit ad damnificandum, ad sententiam, aut legem injustam, ad eligendum indignum in aliquod munus vel Beneficium tene-

tenetur de damno 1mo. si suffragium dedit antequam essent sufficientia ad id suffragia, non obstante, quòd tametsi suffragatus non fuisset, idem damnum ab aliis factum fuisset; 2do. si ignoret esse sufficientem suffragiorum numerum; 3tio. quamvis non dederit suffragium, nisi postquam malum sufficienter jam decretum erat, si tantæ erat auctoritatis, ut priores suffragatores à sua sententia deducere posset, & ad revocanda sua injusta suffragia adducere; 4to. etiam tenebitur, etsi major pars iniquum suffragium irrevocabiliter jam dederit, ita, ut damnum ampliùs impediri nequeat, quamvis injustum suum suffragium posteriori locô tulisset, *ibid. n.* 511. Palpones & adulatores ad restituendum obligantur, si contingat, ut quispiam ex his laudibus vel vituperiis ad inferendum damnum moveatur, neque necesse est, ut directè intendant alterius damnificationem, sed sufficit, ut prævideant, aut prævidere debeant eam ex iniqua hac agendi ratione sequi posse; quòd si adulator hominem laudet de injustitia jam commissa, non tenebitur ad restitutionem, *ibid. n.* 512. Ad restitutionem tenetur Receptans, qui recursum, securitatem, & fiduciam alteri præbet ad damnum inferendum, vel ad non resarciendum illatum: item caupo vel alius recipiens aliquem consumentem bona aliena: qui verò furem, dùm à lictoribus quæritur, solùm occultat, ut ejus vitam conservet, non censetur cooperari ei, quamvis fur fortè à periculo elapsus, aliquando damnum sit aliis illaturus, *ibid. n.* 513. Participans si rem furtivam bona fide acceperit, si adhuc extet, restituere tenetur; si non extet, restituere sufficit, in quantùm factus est ditior: si verò mala fide, tùnc rem vel aliquid æquivalens, etiamsi ditior factus non sit, refundere debet; quòd si quis rem consumat, quam furtivam esse novit, sed in cujus furto nullam partem & societatem habuit, non tenebitur nisi de parte, quam consumsit, non autem de damno, quod ex furto emergere potuit: Participantes in actione damnosa tenentur ad restituendum ea ratione & modo, quo suprà insinuavimus, sive damnum sine eis nihilominùs fuisset illatum, sive non, *ibid. n.* 514. Ex capite causarum negativarum damni illati restituere tenentur Principes, & Magistratus, necnon Belliduces, si non impediant latrocinia, & injurias subditorum; Judex & Canonicus, qui sine justa causa absunt, dum prævident aliquid iniquum in consilio & Capitulo esse gerendum; item Custodes agrorum, vinearum, sylvarum, &c. si non impediant damnum, vel non manifestent damnificatores, ut resarciatur, non modò tenentur totum damnum resarcire, sed etiam juxta probabiliorem sententiam mulctas persolvere, quas Domini acciperent ex eorum delationibus. Qui solùm ex charitate tenetur impedire damnum alterius, si non impediat, cùm sine magno incommodo potest, peccat quidem contra charitatem, sed non tenetur ad restitutionem; secùs si quis positivè conferat ad damnum proximi, *ibid. n.* 515.

Corpus. Corpora mortuorum aliquando resurgent, *Tom.* 3. *Tract.* 1. *c.* 2. *§.* 3. *n.* 112. Solv. ob. *ibid.* 137. *& seq.* Atque anima idem numerô corpus, quod in terris habuit, resumet, *ibid. n.* 113. *&* 114. Homo cum omnibus membris est resurrecturus, *ibid. n.* 115. atque in ea staturæ magnitudine, in eo robore, & in ea totius corporis compositione, quæ convenit perfectissimæ hominis ætati, qua-

bentibus præferuntur; Secundus eorum, qui hypothecam habent, & creditoribus merè personalibus, seu simpliciter Chyrographariis præire debent; Tertius denique est eorumdem Chyrographariorum, qui æquali gradu concurrunt, *Tom.* 3. *Append. ad Tract.* 5. *c.* 4. *ʃ.* 3. *n.* 494. (vid. *Debitum*)

Crux. Hæreses adversùs cultum SS. Crucis, *Tom.* 2. *Append ad Tract.* 3. *ʃ.* 1. *n.* 2. Crux sive vera, in qua scilicet passus est Dominus, sive picta & sculpta, sive manuum agitatione expressa, est colenda, *ibid. ʃ.* 4. *n.* 45. *& seq.* Solv. ob. *ibid. n.* 48. *& seq.*

Cubitus vulgaris tàm apud Hebræos quàm Romanos & Græcos, est pes cum dimidio, &c. *Tom.* 1. *Tract.* 1. *part.* 1. *c.* 8. *n.* 152.

Culpa duplex est, una Theologica, quæ est peccatum mortale vel veniale; alia Juridica, quæ est omissio alicujus diligentiæ per ignorantiam, incuriam, aut inadvertentiam, ex qua alicui damnum creatur; nec refert, an hæc culpa seu omissio peccatum sit necne. Culpa Juridica est triplex, lata, levis, & levissima, quibus, ut completa sit gradatio, addunt aliqui latiorem & latissimam: culpa latissima est communis diligentiæ, quam cæteri adhibere solent, omissio damnosa, ut alter decipiatur, & damnô afficiatur; talis est militis excubias agentis, qui studiô dormit, aut dormire se fingit, ut faciliorem hosti accessum præbeat: latior est dolus præsumptus; si, sciens & valens impedire, non tamen impediam, ne hostis urbem ingrediatur. Culpa lata est omissio illius diligentiæ, quam prudentes ejusdem conditionis homines in hujusmodi rebus adhibere solent; talis est negligentia illius, qui librum sibi commodatum foris relinquit supra scamnum. Culpa levis est omissio diligentiæ, quam adhibent diligentiores; talis est culpa illius, qui librum relinquit in cubiculo, quod seris non occluserat. Culpa levissima est omissio ejus diligentiæ, quam prudentissimi & solertissimi in rebus ejusdem naturæ adhibent; qualis est illius, qui cubiculum clausit, sed non probavit manu pulsando, an benè clausum esset, *Tom.* 3. *Append. ad Tract.* 5. *part.* 1. *c.* 2. *n.* 490.

Cultura, *Satio*, *Nativitas.* Quod ex nostris agris nascitur, ad nos pertinet, sicut & quæ ex nostris animantibus proveniunt, si tamen ex animantibus nostris fœminini sexus proveniant; hinc planta, quam invenimus in solo nostro radices egisse, nostra est, secùs si radices non egerit, *Tom.* 3. *Tract.* 5. *c.* 2. *Sect.* 1. *ʃ.* 3. *n.* 169.

Cultus est actus sive internus sive externus, quo alicui exhibemus honorem ac reverentiam cum aliqua nostri submissione, *Tom.* 3. *Tract.* 4. *Proœm. n.* 3. Cultus, quo Sanctos prosequimur, & qui Dulia vocatur, non distinguitur ab ipsa virtute Religionis, *ibid. n.* 4. (Vid. *Dulia*) Cultus seu adoratio Sanctorum, SS. Crucis, sacrarum Reliquiarum, & sanctarum Imaginum (Vid. *Sancti*, *Crux*, *Reliquiæ*, *Imagines*, *&c.*) Cultus falsi Numinis, aut veri Dei, sed vitiosus & superfluus (vid. *Superstitio*)

Cupiditas seu *Concupiscentia* est motus animi ad fruendum se & proximô, ac quolibet corpore non propter Deum, *Tom.* 3. *Tract.* 2. *c.* 2. *ʃ.* 2. *n.* 34. (vid. *Concupiscentia*)

D.

rios

rios præferendi sunt, qui sunt priores tempore: tamen nonnulli posteriores hypothecarii prioribus præferuntur, ut 1mo. qui pecuniam credidit ad emptionem prædiorum, ædificationem ædium, atque jus pignoris in iis pactus est; 2do. qui ad conservationem ædium priori creditori specialis hypothecæ nomine obligatarum pecuniam mutuo dedit; 3tio. qui similiter pecuniam dedit ad conservationem aliarum rerum, v. g. navis, mercium, &c. quique jus pignoris sibi in iis constituit; bona mariti tacitè obligata uxori ejusque liberis pro dote, adeò, ut aliis creditoribus, etiam prioribus, habentibus tacitam duntaxat hypothecam (quia habentibus expressam ex communi non anteponuntur) præferantur; 5to. si ex pecunia pupilli res aliqua comparata sit, in ea tacitam hypothecam pupillus acquirit & juris prælationem; idem dicendum, si ex pecunia Ecclesiæ ab ejus Administratore res aliqua comparata sit.: hi enim censentur hypothecarii privilegiati, adeoque cæteros antecedunt, quamvis tempore ipsis sint posteriores, *ibid. n.* 491. Ex debitis personalibus ea priùs sunt solvenda, quæ privilegiata dicuntur: talia sunt 1mo. Privilegium sponsæ de futuro in bonis sponsi ratione dotis traditæ non secutô Matrimoniô; 2do. Ejus, qui deposuit pecunias apud nummularium non percipiens indè usuras; 3tio. Ejus, qui ad navem extruendam, instruendam, emendam pecuniam credidit, *ibid. n.* 532. Si creditores nec reales sunt, nec privilegiati, singulis pro rata satisfaciendum est, sive priores sint sive non, sive ipsis debeatur ex contractu, sive ex delicto: undè si debitor uni creditorum non privilegiato aut hypothecario, etiamnum priori sponte & non requisitus solveret totum debitum, & aliis creditoribus nihil posset solvere, in fraudem cæterorum ageret, iisque inferret injuriam, ac proindè teneretur de damno alterius creditoris æquale jus habentis, nisi eum juris vel facti ignorantia excusaret, talis creditor autem juxta multos, quibus tamen alii contradicunt, debitum à debitore sponte offerente acceptum aliis restituere non tenetur, nisi per fraudem illud assecutus esset. Quòd si unus creditor ante alios exigat debiti solutionem, debitor debet ei illud integrum solvere, *ibid. n.* 533.

Decanus dicitur ille, qui decem viris præest; unde Decania territorium est, in quod Decanus aliquam habet jurisdictionem. A Monastico regimine Decanatûs dignitas fluxit in Capitula Canonicorum: quippe cùm unus Abbas vel Prior multitudini Monachorum regendæ non sufficeret, instituti fuêre Decani, quibus decem Monachi committebantur gubernandi.

Sunt inter Ruris Parochos, qui dicuntur Decani, vel etiam Archipresbyteri Rurales, quibus id muneris ab Episcopis injungitur, ut suæ Decaniæ, seu, ut vocant, Capituli Ruralis Parochos ad congregationem certis temporibus advocent, atque generalem quamdam super illos curam habeant, *Tom.* 4. *Tract.* 7. *part.* 1. *c.* 7. *§.* 8. *n.* 124.

Decreta Dei, an sint ab intrinseco efficacia. *Exercit. Theol.* 8. *n.* 142. *& seq.*

Delectatio appetitûs sensitivi de objecto graviter malo, etiam sub conditione, sub qua licitum est, est mortalis, *Tom.* 3. *Tract.* 6. *part.* 2. *c.* 3. *§* 4. *n.* 247. Simplex etiam delectatio morosa seu deliberata, id est,

aut triticô apud se depositis, certò sciens se res ejusdem pretii & valoris habitutum eo tempore, quo depositum repeti debet, tunc deponentis negotia utiliter gerit: videtur etiam, quòd uti possit pecuniâ, quæ sibi traditur sacculô nec clausô nec obsignatô, modò certus sit se eam redditurum, cùm exigetur, nec consistat in veteri moneta, quæ curiositatis magis, quàm usûs gratiâ conservetur, *ibid. n.* 394. Depositarius tenetur 1mo. rem depositam servare ac custodire eâ curâ & diligentiâ, quam homines diligentes solent in simili re propria adhibere; quòd si res deposita pereat vel deterior fiat, tenetur solùm de dolo & culpa lata: si tamen depositum cedat in commodum utriusque, ut si Depositarius mercedem pro custodia accipiat, tenetur etiam ex culpa levi; si verò depositio cedat in commodum solius Depositarii, ut si apud ipsum deponatur pecunia eo solo fine, ut possit eâ uti, si egeat, tenetur de culpa levissima, *ibid. n.* 395. 2do. tenetur depositum repetenti statim reddere: excipe, nisi illud reposcat in suum vel aliorum damnum, vel nisi res deposita sit furtiva. Porro si Depositarius alteri, quàm Domino, depositum reddiderit, non tenetur ad restitutionem, modò bona fide & prudenter, licèt falsò, putaverit eum esse Dominum, vel aliquem ab eo missum ad illud repetendum, *ibid. n.* 396.

Derogatio est Legis, quæ viget, imminutio secundùm aliquam sui partem. Derogatio à Lege à Superiore tantùm fieri potest, & quidem cum causa, quæ bonum commune respiciat, *Tom.* 3. *Tract.* 2. *part.* 2. *c.* 1. *Sect.* 5. *§.* 4. *n.* 257.

Desiderium. Quodlibet desiderium rei vel actionis malæ etiam inefficax est illicitum, utpotè prohibitum præceptô *Non concupisces*, juxta sensum Ecclesiæ, & habet malitiam mortalem vel venialem, ac eandem speciem, quam habet res vel actio, in quam fertur, *Tom.* 3. *Tract.* 6. *part.* 2. *c.* 3. *§.* 4. *n.* 243. Desiderium conditionatum, seu consensus conditionatus rei vetitæ, per se loquendo, non est mortale, si conditio apposita auferat totam, vel saltem gravem operis malitiam: si tamen inducat periculum probabile consensûs absoluti, erit mortale ratione talis periculi: quòd si conditio non auferat malitiam, tale desiderium vel delectatio in re gravi est culpa mortalis, in levi venialis, *ibid. n.* 244. Conditio autem aufert malitiam mortalem objecti, quando vel re ipsa subest, vel possibilis est, & eâ positâ res seu actio non est ampliùs mala, saltem graviter; quamvis ejusmodi desideria sint vitanda, quia plerumque sunt periculosa & occasio peccati, *ibid. n.* 245. At malitiam conditio non tollit, quando eâ appositâ adhuc manet objectum graviter inordinatum, *ibid. n.* 246. Desiderium seu delectatio appetitûs sensitivi de objecto graviter & intrinsecè malo etiam sub conditione, sub qua licitum est, est mortalis, *ibid. n.* 247. Igitur præceptô *Non concupisces* prohibetur tùm quodvis desiderium & complacentia objecti seu actûs mali, & consensus pravis concupiscentiæ motibus; tùm etiam desidetium habendi quodvis bonum proximi, sive uxorem, sive servum, sive fundum, &c. *ibid. n.* 248.

Desperatio est diffidentia assequendi beatitudinem & obtinendi media ad illam necessaria, putà pœnitentiam & alia bona opera, *Tom.* 3. *Tract.* 6. *part.* 3. *c.* 2. *§.* 2. *n.* 347. Contra virtutem Spei pugnat per defectum, *ibid.*

dam-

damnum jam passus sit antequam detractor ignorans errorem suum agnoverit: excipiunt etiam aliqui, si quis verum crimen de aliquo dicat, alii verò, qui audiunt de alio dici putent, & de isto ulteriùs divulgent; meliùs tamen dicunt alii talem etiam ex justitia teneri ad resarciendam famam diffamati, *ibid. n.* 679. Urget 2do. eadem obligatio reparandæ proximi famæ etiam cum proprio famæ, imò vitæ, periculo, si ex infamia imminet innocenti periculum vitæ, aut pernicies, aut grave bellum Reipublicæ: si tamen aliquis propriam revelans malitiam non esset liberaturus innocentem, tacere deberet; quia nemo tenetur ad onus inutile cum proprio gravi incommodo, *ibid. n.* 680. Urget 3tio. etiamsi occultum crimen uni tantùm viro probo ac tacituro detegatur, *ibid. n.* 681. 4to. Urget etiam cùm defunctis detrahitur, *ibid. n.* 682. 5to. Si crimen sola facti vel famæ publicitate alicubi notorium in eo loco reveletur, quò fama illud perlatura non erat, *ibid. n.* 683. 6to. Cùm infamatus de uno crimine, infamatur de alio occulto, quod isti annexum non est: item cùm crimen olim solâ famâ publicum, sed oblivione, vel conversatione sancta, bonisque moribus deletum, nescientibus narratur, aliisque in memoriam revocatur, *ibid. n.* 684. 7mo. Si crimen alicujus, ob quod quidem per Judicis sententiam non propriè publicam, sed, juxta Judicis intentionem, pro particulari duntaxat aliquorum notitia latam damnatus & punitus est; qualis est sententia, quæ adversùs Religiosum in Communitate fertur, extra Monasterium vel Collegium propalet: secùs dicendum de eo, qui juridicè per sententiam publicam infamatum in uno loco, infamat in alio, ubi crimen ejus etiamnum ignoratur; quamvis talis ita infamans peccet graviter contra charitatem, nisi sententia adversùs reum in uno loco promulgata, & publicata, brevî esset in alio loco publicanda, *ibid. n.* 685. Urget 8vo. Si sententia saltem materialiter injusta cognoscatur, *ibid. n.* 686. Urget 9no. Si crimen reveletur, quod quidem reus jam confessus, aut de quo ipse à testibus convictus est, sed nondum secuta Judicis sententia, *ibid. n.* 687. Hæres tenetur ad restitutionem damnorum, quæ ab eo, cujus est hæres, illata sunt proximo per detractionem, *ibid. n.* 688. Qui ita audit detrahentem, ut fiat detractionis causa, putà hortando, incitando alium ad detractionem, significando sermonem detractoris sibi arridere; item interrogando, ut stimulos addat, peccat & contra charitatem & contra justitiam; undè idem contrahit restituendi onus, quod ipse detractor, *ibid. n.* 689. Quod si auditor interiùs de detractione gaudeat, exteriùs tamen non significet eam sibi placere, adeoque ei non sufficienter cooperetur, quod tamen rarum est, non tenetur ad restitutionem; peccat tamen mortaliter contra charitatem, imò quodammodò contra justitiam, *ibid. n.* 690. Porro detractoribus tunc tantùm resisti debet, cùm id utiliter fieri posse prudenter judicatur, secùs discedendum, vel sermo aliò convertendus; *ibid. n.* 691. Superiores, quales sunt Patres, Domini, Prælati Regulares & Sæculares, si Communitatem, aut aliquod ejus membrum vel ab extraneis, vel à subditis suis infamari videant, & non obstent, peccant contra justitiam, & in detractoris locum restituere tenentur, *ibid. n.* 692. Jure naturali non licet librum famam proximi lædentem, & crimina licèt vera, sed tamen occulta,

platio seu meditatio bonitatis & excellentiæ divinæ & humanæ infirmitatis ac propriorum defectuum, *ibid. n.* 11. Effectus devotionis duplex est scilicet lætitia spiritualis ex consideratione infinitæ Dei bonitatis, & salutaris quædam tristitia ex conscientia propriæ infirmitatis & defectuum nostrorum, necnon ex meditatione exilii nostri à patria cœlesti procedens, *ibid. n.* 13. Fucata quorumdam devotio, *ibid. n.* 14.

Deus. Quibus nominibus apud Hebræos designetur, *Tom.* 1. *Tract.* 4. *c.* 1. *num.* 60. *in not.* Dei nomine omnes intelligunt substantiam seu ens aliquod perfectissimum, à quovis alio independens, cæterorum omnium causam & originem: eumque unum & trinum esse Christiana & Catholica fides docet, *Tom.* 2. *Tract.* 1. *præloqu. n.* 2. Est in nobis innata & ingenita Dei notio seu idea, *ibid. part.* 1. *c.* 1. *n.* 4. Solv. ob. *ibid. n.* 14. & 15. Ilius existentia invictis argumentis demonstratur, *ibid. n.* 5. Solv. ob. *ibid. n.* 16. & *seq.* Illius naturæ seu essentiæ perfecta delineatio dari non potest, *ibid. n.* 6. proprius & constitutivus seu specificus essentiæ Dei character & gradus videtur esse *Aseitas*, *ibid. n.* 9. Solv. ob. *ibid. n.* 20. & *seq.* est unicus, *ibid. n.* 12. Hanc illius unitatem impugnarunt Gentiles & multi ex veteribus Hæreticis, *ibid. n.* 10. & 11. Solv. ob. *ibid. n.* 22. Nomine attributorum divinorum Theologi intelligunt formas absolutas, quæ secundùm proprium suum esse existunt in Deo, & ab ejus natura tanquam proprietates emanant: Attributum divinum solet definiri *perfectio simpliciter simplex absolutè & necessariò de Deo prædicabilis per modum formæ adjacentis*, *ibid. c.* 2. *n.* 25. Theologi divinas personalitates etiam attributa divina vocant, sed relativa dumtaxat, imò quidquid de Deo affirmari potest, id attributum ejus dicunt, *ibid. n.* 26. Inter attributa divina tùm absoluta tùm relativa ad essentiam comparata, & absoluta invicem comparata nulla omninò est distinctio realis seu entitativa seu modalis, *ibid. n.* 31. Solv. ob. *ibid. n.* 35. & *seq.* Inter attributa divina tùm absoluta tùm relativa ad essentiam comparata, & absoluta ad se invicem datur distinctio saltem rationis, *ibid. n.* 32. Solv. ob. *ibid. n.* 39. & *seq.* Distinctio rationis, qua attributa ab essentia divina, & absoluta inter se distinguuntur, est saltem rationis ratiocinatæ, *ibid. n.* 33. dicimus *saltem &c.* propter Scotistas, qui volunt ea distingui ex natura rei formaliter, &c. *ibid. n.* 34. Inter negativa Dei attributa primum locum obtinet *Simplicitas*, seu cujuscumque compositionis negatio, *ibid. c.* 3. *§.* 1. *n.* 43. Deus igitur est simplex Spiritus omnis prorsùs realis & physicæ compositionis expers, *ibid. n.* 45. Solv. ob. *ibid. n.* 47. & *seq.* Nulla etiam in Deo admittenda est compositio, sive metaphysica sive logica, *ibid. n.* 49. Solv. ob. *ibid. n.* 52. & *seq.* Deus est in omni perfectione infinitus & illimitatus, *ibid. §.* 2. *n.* 55. Solv. ob. *ibid. n.* 56. & 57. Deus est immensus, rebusque omnibus intimè præsens est per suam essentiam, *ibid. §.* 3. *n.* 59. Solv. ob. *ibid. n.* 60. & *seq.* Deus omninò est immutabilis, *ibid. §.* 4. *n.* 65. Solv. ob. *ibid. n.* 66. & *seq.* Deus est æternus, & quidem solus, cujus æternitas tota simul est, *ibid. §.* 5. *n.* 71. proindè in Deo non est præteritum & futurum, sed unicum Nunc semper existens: per suam æternitatem absque ulla sui mutatione determinatur formaliter ad coexistendum omni tempori creato & creabili, æternitas-

contingentia, *ibid. n.* 154. & 155. Solv. ob. *ibid. n.* 166. & *seq.* item futura conditionata, *ibid. n.* 156. Solv. ob. *ibid. n.* 172 & *seq.*

Deus absque ullo medio se ipsum suasque perfectiones cognoscit per se ipsum & immediatè, item cognoscit in sua essentia omnes res creatas etiam possibiles, seque suamque essentiam comprehensivè cognoscit, *ibid. §.* 3. *n.* 174. In quo autem medio Deus cognoscat tùm quæ liberè ac contingenter sunt absolutè futura, tùm quæ conditionatè dumtaxat, alia est Thomistarum, alia Jansenistarum, alia Augustinianorum, alia Molinistarum, &c. opinio, *ibid. n.* 175. & *seq.* S. Augustino adeò obscura & difficilis visa est hæc quæstio, ut nihil circa eam definire ausus sit, *ibid. n.* 180. id ipsum hactenùs visum est Ecclesiæ ipsi, ut quæ etiam hac super re nihil definierit, nisi quòd Jansenistarum systema damnaverit, *ibid. n.* 182. Scientia Dei alia est *simplicis intelligentiæ*; alia *visionis*, quibus addunt alii tertiam, quam *conditionatorum scientiam* appellant, alio nomine *mediam* nuncupant, eò quòd media esse ab ipsis dicatur inter duas priores; alia est *directiva*, quando scilicet dirigit operantem ad opus; alia *efficiens*, quando scilicet influit per veram causalitatem in ipsum opus; alia est *necessaria* seu *naturalis*, quæ versatur circa Deum ipsum & res possibiles; alia *libera*, quæ habet pro objecto creaturas; alia *speculativa*, quæ nihil operatur circa objectum suum; alia *practica* quæ scilicet operatur; alia *approbationis*, quæ intuetur & probat quæ bona sunt; alia *improbationis* quæ nempè improbat, quæ non facit, scilicet peccata, *ibid. §.* 4. *n.* 182. item *§.* 5. *n.* 187. Nec scientia visionis, nec scientia media, si quæ datur, sed sola scientia simplicis intelligentiæ est causa rerum, *ibid. §.* 4. *n.* 183. Solv. ob. *ibid. n.* 184. & *seq.* Quid circa scientiam mediam sentiendum sit, *ibid. §.* 5. *n.* 187. & *seq.* Est in Deo propriè dicta voluntas, quæ in eo non est per modum potentiæ seu principii virtualis divinæ volitionis, sed per modum operationis, *ibid. c.* 6. *n.* 190. Objectum materiale divinæ voluntatis sunt Deus ipse & creatura, Deus quidem primarium, creatura verò secundarium; formale verò sola Dei increata bonitas, *ibid. §.* 1. *n.* 192. Deus se ipsum primariò ac necessariò amat, non quidem necessitate coactionis ac violentiæ, sed necessitate voluntaria & naturalis inclinationis. Deus amat, & quidem liberè omnes creaturas sive existentes sive aliquando futuras. Deus vult mala naturæ aut pœnæ, non quidem per se ac directè, sed per accidens, ratione alterius scilicet; mala verò culpæ seu peccata nullatenùs vult, neque per se neque per accidens; ea nihilominùs permittit, ex quibus novit bonum eruere, *ibid. §.* 2. *n.* 193. Deus creaturas merè possibiles secundùm suum esse proprium & objectivum, quod habent in Deo, amat necessariò amore simplicis complacentiæ, *ibid. n.* 194. & 195. In Deo est vera & propriè dicta libertas non quidem contrarietatis, sed contradictionis, seu specificationis, *ibid. §.* 3. *n.* 197. Libertas Dei consistit in actu immanente seu volitione, non quidem prout terminatur ad bonitatem divinam, sed prout terminatur ad creaturas, *ibid. n.* 199. Solv. ob. *ibid. n.* 200. & *seq.* Voluntas Dei est simplicissimus actus ab ipsius natura minimè distinctus: distinctio igitur ac divisio voluntatis in Deo tota petenda est ex parte objectorum, ad quæ illa fertur; hoc sensu multiplex à nobis viatoribus concipitur in Deo volun-

ac

ac primariò, sed veluti ex occasione ac supposita hominum ad peccandum inclinata voluntate, *ibid.* 247. Solv. ob. *ibid.* *n.* 248. & *seq.* an Decreta Dei sint ab intrinseco efficacia necne. *Exercit. Theol. Exercit.* 8. *n.* 142. & *seq.* (vid. *Prædestinatio*, *Reprobatio*, *Existentia*, *Subsistentia*, *Trinitas*, *Persona*, *Operatio.*)

Deuteronomium Moysis librorum postremus, in quo veluti Summa colligitur omnium, quæ Moyses in aliis præcedentibus libris constituerat, undè & Deuteronomium, id est, secunda lex, seu potiùs Summa Legis dictus est, *Tom.* 1. *Tract.* 1. *part.* 2. *Sect.* 1. *c.* 1. *n.* 201.

Diabolus. An in Diabolis sit fides Theologica, *Tom.* 3. *Tract.* 3. *p.* 1. *c.* 4. *n.* 84. (vid. Fides)

Diaconatus est sacer Ordo, quo datur spiritualis potestas inserviendi proximè Sacerdoti Sacra facienti, idque innuit Græcum illius nomen; nam *Diaconus* idem est latinè ac *Minister*, *Tom.* 4 *Tract.* 7. *p.* 1. *c.* 7. §. *n.* 113. Diaconatûs materia essentialis & adæquata posita videtur in manûs impositione, quamvis nonnulli eidem libri Evangeliorum traditionem conjungant: forma verò oratio, quam profert Pontifex: Sed qui traditionem libri Evangeliorum velut hujus ordinis materiæ partem adjungunt, volunt etiam verba, quæ profert Pontifex, dùm librum Evangeliorum porrigit, ad formam pertinere, *ibid.* *n.* 114. Officia Diaconi tria sunt; scilicet, ut ad Altare ministret; baptizet, etiam solemniter, tanquam extraordinarius Minister; ut verbum Dei prædicet, *ibid.* *n.* 115. Diaconatus est sacer Ordo & verum Sacramentum, quo initiati sunt septem primi Diaconi Act. 6. *ibid.* *c.* 8. §. 10. *n.* 161. Solv. ob. *ibid.* *n.* 162. & 163. Diaconi sunt de Hierarchia Ecclesiastica, *ibid.* *part.* 2. *c.* 1. §. 2. *n.* 201.

Diaconus (vid. *Diaconatus*)

Didrachma seu Didrachmum vel Drachma Hebræa, moneta apud Hebræos usitata, *Tom.* 1. *Tract.* 1. *part.* 1. *c.* 8. *n.* 128.

Digitus est quoddam mensuræ genus decimam sextam partem pedis efficiens, *Tom.* 1. *Tract.* 1. *p.* 1. *c.* 8. *n.* 149.

Dilectio Dei super omnia. Duplici modò Deus super omnia seu propter se diligitur, intensivè scilicet & appretiativè, *Tom.* 3. *Tract.* 3. *part.* 2. *c.* 1. *n.* 172. Quomodò Dilectio differat à Charitate & Amore (vid. *Charitas*)

Dimissoriales seu *Dimissoriæ litteræ* sunt eæ, quibus Episcopus seu ejus Vicarius Generalis Clericum sibi subditum dimittit ac liberam ipsi facultatem tribuit ab alieno Episcopo suscipiendi ordinationem. Capitulum Sede vacante nonnisi anno elapso à die obitûs Episcopi numerando dimissorias dare potest, nisi fortè quis occasione Beneficii Ecclesiastici recepti aut recipiendi sit coarctatus. Hæ litteræ non extinguuntur per mortem Episcopi, à quo datæ sunt, *Tom.* 4. *Tract.* 7. *part.* 1. *c.* 5. §. 2. *n.* 49.

Dionysius Areopagita (Sanctus) quis fuerit? ejus Scripta, *Tom.* 1. *Tract.* 4. *c.* 1. §. 2. *n.* 28.

Dionysius Corinthius (Sanctus) Quis fuerit? ejus Scripta, *Tom.* 1. *Tract.* 4. *c.* 1. *n.* 34.

Dionysius Alexandrinus (Sanctus) Quis fuerit? ejus Scripta, *Tom.* 1. *Tract.* 4. *c.* 1. *n.* 40.

Dionysius Romanus (Sanctus) Quis fuerit? ejus Scripta, *Tom.* 1. *Tract.* 4. *c.* 1. *n.* 42.

Dionysius Exiguus, quis fuerit? ejus Scripta, *Tom.* 1. *Tract.* 4. *c.* 1. *n.* 75.

Discordia est contrarietas voluntatum, seu dissensio voluntatis unius à voluntate alterius in lis, quæ quis tenetur

lis major, quæ est inter ea, quæ vel à se invicem separantur, vel separari possunt, vel relativè opponuntur, ut Pater & Filius; *Realis minor* seu *modalis* est inter ea, quorum unum potest esse sine alio, sed non vice versa; & *Realis formalis* seu *Scotistica* est inter ea, quæ tametsi unam & eandem habeant existentiam, distinctas nihilominùs habent ex sua natura rationes, seu objectivas formalitates. Distinctio *rationis* duplex est, una *rationis*, ut vocant, *ratiocinantis*, quæ fit per mentem sine ullo in re fundamento; & *rationis ratiocinatæ*, quæ etiam fit per mentem sed cum aliquo in re fundamento atque extra intellectum seu mentem posito; hæc, quæ quatenùs est in mente, *rationis ratiocinatæ* appellatur, cùm in ipsa re spectatur, *virtualis* nominatur; sumi etiam potest vel *adæquatè* scilicet ut *realis* & *mentalis* simul, *realis* quidem secundùm fundamentum, *mentalis* verò secundùm actum; efficit quidem, ut etiam ex parte objecti unum ab alio præscindatur seu sine eo concipiatur, sed non ut unum excludat aliud; hinc quæ inter se *ratione ratiocinata* distinguuntur, se se invicem includunt implicitè & confusè, quamvis explicitè & distinctè se se non includant, *Tom.* 2. *Tract.* 1. *part.* 1. *c.* 2. *n.* 27. (Vid. *Deus*)

Divinatio sic dicta videtur, quòd sit quasi quædam divinitatis æmulatio; definiri potest Inquisitio cognitionis rerum occultarum ope Dæmonis expressè vel tacitè invocati, *Tom.* 3. *Tract.* 6. *part.* 3. *c.* 3. *Sect.* 1. *§.* 2. *n.* 410. Ex parte pacti est duplex, una, quæ fit cum expressa Dæmonis invocatione seu pactione cum eo; altera, quæ fit cum tacita & implicita ejus invocatione, *ibid. n.* 411. Ex parte medii est multiplex, seu variis modis & mediis perficitur; ut per præstigium, necromantiam, chiromantiam, auruspicium, augurium, astrologiam judiciariam, sortem divinatoriam, item per eam, quæ fit per somnia vel signa in aëre, aqua, igne, corporibus terrestribus apparentia, *ibid. n.* 412. (de iis vid. suis articulis) Ex communi hæc omnia morali specie inter se non differunt. Porro divinationem esse gravissimum peccatum fatentur omnes, *ibid. n.* 413.

Divortium (vid. *Matrimonium*)

Dolus malus est omnis calliditas, fallacia, machinatio ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibita; Dolus potest esse circa substantiam rei alicujus, vel accidens illius, *Tom.* 3. *Tract.* 5. *c.* 2. *Sect.* 2. *§.* 3. *n.* 206. Alius est antecedens, alius concomitans, *ibid. n.* 209. (vid. *Fallacia*)

Dominium generatim definiri potest Jus gubernandi vel disponendi de re aliqua tanquam sua. Duplex est, *jurisdictionis* scilicet, & *proprietatis*; prius est potestas gubernandi subditos in illorum commodum præcipiendo, prohibendo, judicando, puniendo, &c quod quoque duplex est, nempe politicum seu sæculare, quod est potestas gubernandi subditos in rebus temporalibus, qualis est in Regibus & Principibus; & Ecclesiasticum, quod est potestas gubernandi subditos in ordine ad bonum spirituale, qualis est in Papa, Episcopis, &c. Dominium proprietatis est Jus disponendi de re aliqua tanquàm sua, seu suo nomine, arbitratu, & auctoritate, nisi lex vel pactum obsistat, *Tom.* 3. *Tract.* 5. *c.* 2. *Sect.* 1. *n.* 50. Dividitur 1mo. in *altum* & *humile*, istud est Jus, quod quisque privatus habet disponendi de suis bonis in proprium commodum; Dominium *altum* illud dicitur, quod juribus & dominiis particularium seu privatorum prædominatur, atque illis derogat, qua-

plenum & perfectum, in bona adventitia proprietatem solam non usumfructum, in profectitia verò nec usumfructum nec proprietatem sed solam administrationem, *ibid. n.* 84. Igitur Filius-familias de bonis castrensibus & quasi castrensibus potest pro nutu disponere; pater verò, si quid ex iis subtrahit, tenetur ad restitutionem, *ibid. n.* 87. de bonis adventitiis filius secluso patris consensu non potest disponere, quia pater eorum habet usumfructum, nisi illum filio remittat, aut hac lege Filio-familias relicta sint, ut ususfructus patri non acquiratur, vel si pater cum filio succedat alteri filio in bonis adventitiis, vel quandò pater noluit assentiri filio adeunti hæreditatem, item quandò pater incestas nuptias contraxit, si factus fuerit Judæus vel Hæreticus, denique si ususfructus alicujus rei filio relictus fuerit, *ibid. n.* 88. & 89. Filius, qui præ cæteris fratribus patri inservit, potest sibi retinere aliquid instar salarii, si sit emancipatus, vel si tacitè aut expressè protestetur se velle salarium, nec teneatur patrem alere; tùm enim bona, quæ ex ejus labore proveniunt dici possunt aventitia, *ibid. n.* 90. Filius, qui bona patris usurpat & furatur in notabili quantitate, peccat mortaliter, *ibid. n.* 91. Uxor jure communi habet proprietatem & administrationem bonorum paraphernalium; in dotem verò proprietatem seu dominium directum dumtaxat, maritus autem administrationem & usumfructum, *ibid. n.* 92. Uxor peccat contra justitiam & est furti rea, si aliquid subripiat ex bonis communibus sive etiam ex dote, insciô aut invitô maritô; quia etsi dotis proprietatem habeat, facit tamen contra jus mariti, ad quem administratio & ususfructus pertinet; si eadem bona consumat in ludo, ornamentis superfluis & nimis pretiosis, marito non consentiente, nisi quia aliter non posset obtinere pacem in familia, *ibid. n.* 94. Sæpè tamen à furto excusatur uxor, quæ, insciô maritô disponit de bonis communitatis, 1mo. si capit ut faciat eleemosynam & donationes communes; ad vitandum damnum mariti; si maritus sit amens, prodigus, absens nemini relicta familiæ administratione; si capiat, ut pauperibus parentibus aut filiis ex alio matrimonio natis, tenetur tamen ea, quæ sic dedit, in suam partem referre, cùm ad partitionem cum hæredibus mariti venitur, *ibid. n.* 95. Servi seu mancipia, etsi in propriam vitam & membra dominium non habeant, sunt tamen dominii alicujus capaces, *ibid. n.* 96. (vid. *Servus*, *Occupatio*, *Res inventa*)

Religiosi Ordinis Fratrum Minorum videntur rerum, quæ unico etiam usu consumuntur, ut panis, vestes, &c. non habere dominium, sed nudum usum, *ibid. Sect.* 2. *§.* 3. *n.* 180.

Donatio est liberalis rei alicujus alteri collatio. Ut valeat, debet esse deliberata, spontanea, & acceptata, prout de promissione dicitur, *Tom.* 3. *Tract.* 5. *c.* 3. *Sect.* 2. *§.* 12. *n.* 440. Dividitur in Donationem inter vivos, & Donationem mortis causâ: prior est ea, qua quis donat cum intentione, ut res, se adhuc vivô, fit donatarii; de se est irrevocabilis nisi in casibus mox recensendis; Altera est, qua quis sic donat, ut nolit rem nisi post mortem suam esse donatarii; essentialiter est revocabilis; *ibid. n.* 441. Ad Donationis sic definitæ & divisæ validitatem quatuor requiruntur conditiones, quæ si non adsint, caduca & nulla est Donatio, quarum prima se tenet ex parte donantis, vi cujus necesse est, ut donator sit ad donandum

habilis, scilicet talis, cui contrahere licitum est (de quo vid. *Contractus*) Hinc non possunt validè donare ii omnes, qui non possunt contrahere; qui à natura sunt muti simul & surdi, ita ut nec scripturâ nec voce voluntatem suam certò exprimere valeant; Religiosi professi; qui præsunt Communitatibus, tutores & curatores de bonis Communitatis, pupillorum & minorum, nisi eleemosynas & donationes remuneratorias moderatas; maritus ex bonis communibus sine legitima causa; conjuges sibi invicem saltem irrevocabiliter. Donatio patris facta filio nondum emancipato est tantùm revocabilis, undè non revocata confirmatur morte patris, vel etiam emancipatione filii, si res est tradita: valet autem donatio matris in filium, quia filius non est in potestate matris civili scilicet & in ordine ad effectus civiles. Porro in his omnibus & similibus, ubi agitur de dispositione bonorum, spectandæ sunt & servandæ leges & consuetudines speciales locorum rationi consentaneæ, quæ sæpè à Jure communi Cæsareo discrepant, *ibid. n.* 442. Secunda conditio se tenet ex parte donatarii, ut scilicet donatarius recipere non prohibeatur: hinc donatarii esse non possunt illi, qui certam in alios habent auctoritatem, *ibid. n.* 443. Tertia se tenet ex parte rei quæ datur, ut scilicet dari permittatur: hinc non valet donatio in fraudem creditorum facta; donatio excedens quingentos solidos seu florenos, nisi sit ad pias causas; donatio omnium bonorum tàm futurorum quàm præsentium inter vivos, *ibid. n.* 444. Quarta conditio se tenet ex parte formalitatum; tres numerari solent, 1ma. *acceptatio*, cujus necessitas locum habet in donationibus, quæ fiunt Ecclesiæ & Minoribus, qui validè non acceptant sine Curatorum consensu, 2da. *traditio* vel *realis*, qua donator rei dominium directum & utile in donatarium actu & absolutè transfert, vel *ficta*, qua scilicet donator ita rei proprietatem transfert in donatarium, ut ejus usumfructum sibi retineat; 3tia. *insinuatio*, qua nempè donationes in acta publica referuntur: eâ non indigent donationes ad pias causas, neque donatio summæ pecuniariæ de manu ad manum facta, *ibid. n.* 445. Donatio inter vivos revocatur ob quatuor causas; 1mo. ob ingratitudinem donatarii; 2do. ob prolem posteà susceptam à Donatore; 3tio. si sit inofficiosa, hoc est, facta contra officium pietatis debitæ liberis vel parentibus; 4to. si quid donatum sit ob causam non secutâ causâ, *ibid. n.* 446. Donatio facta mortis causâ in tribus casibus revocari potest; 1mo. si Donatorem illius pœniteat; 2do. si ante Donatorem moriatur Donatarius, nisi Donator promisisset se eam non revocaturum; 3tio. si Donator dederit intuitu instantis periculi mortis, censetur tacitè revocata donatio sublatô periculô, *ibid. n.* 447. (Vid. *Voluntates ultimæ*)

Dolus vel error circa causam finalem donationis eam irritat, *ibid. n.* 448. Hinc tenentur ad restitutionem 1mo. Qui fingit se habere aliquam conditionem seu qualitatem, quæ requiritur, ut quis gratis admittatur in aliquod Collegium vel Hospitale, vel ut accipiat aliquod Legatum; item qui fingit se pauperem, ut gratis recipiatur in seminarium fundatum pro pauperibus alendis: 2do. Qui accipit aliquid ob causam fictam; 3tio. Qui se fingit pauperem, tenetur accepta eleemosynæ titulô restituere vel Donatori vel pauperibus: secùs si error sit solùm circa causam impulsivam, quæ nempè solùm movet ad faciendum vel

vel dandum promptiùs & faciliùs, *ibid. n.* 449.

Drachma, Moneta Attica seu Atheniensis, *Tom.* 1. *Tract.* 1. *part.* 1. *c.* 8. *n.* 127.

Dubitatio temeraria est suspensio animi assensum inter & dissensum sine sufficienti fundamento, *Tom.* 3. *Append. ad Tract.* 5. *part.* 2. *c.* 3. *n.* 761. (vid. *Suspicio*)

Dubium est suspensio judicii sive assensûs & dissensûs, *Tom.* 3. *Tract.* 1. *c.* 4. §. 3. *n.* 214. Dubium generali divisione dividitur in *negativum* & *positivum:* prius est suspensio mentis in utramque partem contradictionis pro neutra parte habentis motiva seu rationes assensûs vel dissensûs; at dubium istud potiùs nescientia seu ignorantia dicendum est, quàm dubium: *positivum* est mentis suspensio inter utramque partem paria pro utraque parte habentis motiva seu rationes. Dividitur 2do. in *speculativum* & *practicum:* prius est, quo dubitatur in genere, nùm aliquid licitum sit & illicitum: *practicum* est, quo dubitatur, an actus aliquis in particulari hîc & nunc cum omnibus suis circumstantiis sit licitus necne. Dividitur 3tio. in dubium *juris* & dubium *facti:* prius est, quo quis dubitat de lege, præcepto, & quocumque obligationem pariente, vel de aliquo ad obligationem prærequisito qua tali, v. g. de legitima potestate ad obligandum, &c. Dubium *facti* est, quo quis certus quidem est de lege, sed dubitat, an eam impleverit. Idem dubium sub diverso respectu potest esse dubium *facti* & *juris*, *ibid.* (Vid. *Conscientia*)

Duellum seu homicidium ex condicto, quod Græci *Monomachiam* vocant, est duorum vel paucorum certamen in certo loco & tempore designato cum vitæ & mutilationis periculo ex mutuo consensu & auctoritate privata initum, *Tom.* 3. *Append. ad Tract.* 5. *part.* 2. *c.* 2. *§.* 8. *n.* 630. Duellum sic definitum & privata auctoritate initum semper est peccatum mortale; undè illud nec offerre licitum est, nec oblatum acceptare, *ibid. n.* 631. & 632. Nec probatur, quod quidam Theologi ajunt, scilicet licitum esse ei, qui ad duellum provocatur, ne ignaviæ notam incurrat, dicere provocanti, se quidem duellum non acceptare, sed paratum esse se defendere, si quis eum invaserit; hæc enim verba indirectam duelli acceptationem complecti videntur, *ibid. n.* 633. Duellantium pœnæ præcipuè sunt hæ duæ: Excommunicatio (quam etiam incurrunt eorum patrini; suasores, &, ex composito saltem, duelli spectatores; Principes & Domini temporales, qui in suis terris locum aliquem ad ejusmodi pugnam concesserint, &c.) & privatio Ecclesiasticæ sepulturæ eorum, qui in tali conflictu decesserint, *ibid. n.* 634. (vid. *Homicidium*)

Dulia (vid. *Adoratio*)

E.

Ebrietas est excessus in potu usque ad violentam privationem rationis, ejusque potestatis proximæ. Est peccatum mortale, *Tom.* 3. *Tract.* 6. *part.* 3. *c.* 1. *§.* 3. *n.* 271. sive sit excessus vini voluptatis gratiâ, sive ex alia ratione, *ibid. n.* 272. Ut sit mortalis, sufficit, quòd sit voluntaria indirectè vel interpretativè, *ibid. n.* 273. ita est peccatum mortale respectu omnium, ut tamen gravius sit in quibusdam personis, scilicet 1mo. in mulieribus ob turpitudinis & luxuriæ periculum tùm in se tùm in aliis; 2do. in iis, qui ex officio regere debent alios;

pturæ sacræ veritatem probat, Scriptura sacra Ecclesiæ infallibilem auctoritatem, quamquàm in dispari probationis gradu, *ibid. n.* 63. Quatuor generatim possunt assignari veræ Ecclesiæ Christi notæ in Symbolo Nicæno expressæ, scilicet quòd sit Una, Sancta, Catholica, & Apostolica, quibus hæ tres adduntur illis quatuor jam comprehensæ, nimirùm quòd sit Romana, Visibilis, & Indefectibilis, *ibid. n.* 75. Præcipua unitas Corporis Ecclesiæ consistit in unione membrorum cum Capite & inter se, *ibid. §.* 1. *n.* 76. Unitatem Ecclesiæ demonstrant nomina, figuræ, & parabolæ, quibus eam adumbrant S. Scripturæ, *ibid. n.* 77. Unitatem hanc Ecclesiæ disertè declarat Apostolus, 1. Cor. 12. v. 12. *ibid. n.* 78. item constans & perpetua SS. Patrum traditio, *ibid. n.* 79. Acatholici admittunt Ecclesiam Christi esse & dici debere *Unam*; quomodò id explicent, *ibid. n.* 80. Vera Christi Ecclesia ita est una, ut excludat quascumque alias Hæreticorum Societates, quarum fides est diversa & erronea etiam in articulis, quos Acatholici *non fundamentales* nuncupant, *ibid. n.* 81. *& seq.* Quid Novatores intelligant per Articulos *fundamentales* & *non fundamentales*, *ibid. n.* 80. quomodò & quo sensu Catholici dicant aliquos Christianæ Religionis Articulos præ aliis esse fundamentales, *ibid. n.* 85. Ecclesia Catholicorum illam habet unitatem, quæ nota est ac character veræ Christi Ecclesiæ; non autem Ecclesia Protestantium seu Novatorum, *ibid. n.* 86. *& seq.* Solv. ob. *ibid. n.* 93. *& seq.*

Ecclesia Catholicorum est sancta ea sanctitate, quæ veræ Christi Ecclesiæ propria est & singularis, non verò Ecclesia seu potiùs societas Protestantium: habet enim Ecclesia Catholicorum sanctitatem doctrinæ & professionis; sanctitatem eorum, qui primùm eam fundârunt; gloriam miraculorum, quibus Ecclesiæ suæ veritatem & sanctitatem Deus confirmavit: in his tribus quippè posita est præsertim sanctitas, quæ veræ Christi Ecclesiæ propria est ac singularis. Hæc tria autem in Societate Protestantium non inveniuntur, *ibid. §.* 2. *n.* 105. *& seq.* Solv. ob. *ibid. n.* 110. *& seq.* Ecclesiam Christi verè esse Catholicam apud omnes, qui Christiano nomine utuntur, in confesso est, idque probat S. Augustinus lib. de unit. Eccles. c. 6. & seq. *ibid. §.* 3. *n.* 129. Ecclesia Romana est Catholica, non autem societas Protestantium seu Novatorum, *ibid. n.* 131. *&* 132. Solv. ob. *ibid. n.* 133. *& seq.* Est Apostolica, non verò Novatorum Societates, *ibid. §.* 4. *n.* 143. *& seq.* Solv. ob. *ibid. n.* 152. *& seq.* In vera Christi Ecclesia duo præcipuè distinguenda veniunt, doctrina fidei scilicet, & morum disciplina, *ibid. §.* 5. *n.* 160. Vera & Catholica Christi Ecclesia est ac dici debet Romana, *ibid. n.* 161. *& seq.* Solv. ob. *ibid. n.* 166. *& seq.* Est visibilis ex natura sua, adeò ut oculis omnium semper conspicua fuerit, *ibid. §.* 6. *n.* 171. Visibilitas veræ Christi Ecclesiæ propria & singularis convenit societati Catholicorum non verò Protestantium, *ibid. n.* 174. Ecclesia Christi visibilis nunquam defecit, nec unquam deficiet, *ibid. §.* 7. *n.* 186. *& seq.* Solv. ob. *ibid. n.* 189. *& seq.* An Ecclesia Catholica benè distinguatur in *dispersam* & *coadunatam*, *ibid. c.* 3. *n.* 193. Ecclesia est Judex infallibilis germani ac genuini S. Scripturæ sensûs, *Tom.* 1. *Tract.* 1. *part.* 1. *c.* 6. *n.* 75. *& seq.* Ecclesia est infallibilis in definiendis fidei & morum controversiis & quæstionibus, etiam in

tuordecim sunt illius species, *ibid. n.* 27 perfectè adit sub charitatis proximo debitæ præceptum divinum tùm naturale tùm positivum obligans sub mortali, *ibid. n.* 258. hoc præceptum extenditur ad quælibet opera misericordiæ & subsidia spiritualia ac corporalia, quibus proximus indiget, *ibid. n.* 261. undè quilibet in extrema proximi necessitate tenetur sub mortali ei subvenire non solùm de superfluis statui, sed etiam de necessariis ad statûs decentiam, *ibid. n.* 262. *& seq.* Tanta danda est eleemosyna, quanta sufficit ad levandam proximi necessitatem, *ibid. n.* 266. Quædam observanda circa præstationem eleemosynæ, *ibid. n.* 267. Illi tantùm possunt ac debent eleemosynam facere, quibus aut dominium rei erogandæ, aut illius administratio libera competit, *ibid. n.* 268. *& seq.* pauperibus omnibus eleemosyna erogari debet, *ibid. n.* 275. Eleemosynam variæ conditiones comitari debent, sex enumerantur, *ibid. n.* 276. *& seq.* quosnam fructus pariat eleemosyna, quatuor enumerantur, *ibid. n.* 282. *& seq.*

Eliacim Regni Judæ moderator, *Tom.* 1. *Tract.* 1. *part.* 2. *Sect.* 1. *c.* 2. *n.* 249.

Elipandus Episcopus Toletanus & Felix Episcopus Urgelitanus Hispani docuerunt sub finem Sæculi 8vi. Christum, saltem ratione humanitatis dici debere & esse Filium Dei adoptivum & servum; hic error damnatus fuit ab Ecclesia sub Adriano Papa in Synodis Forojuliensi an. 791. Ratisbonensi an. 792. & Francofordiensi an. 794. *Tom.* 2. *Tract.* 3. *c.* 6. *§.* 5. *n.* 331.

Emancipatio. Filius emancipatur, cùm paternæ potestati subducitur, atque definit esse filius-familias; undè quamdiu paternæ potestati subest, non emancipatus & filius-familias vocatur. Duobus modis fit emancipatio 1mo. expressè, cùm coram Judice postulat pater, ut filius extra paternam potestatem ponatur, suorumque jurium Dominus constituatur; 3do. tacitè, cùm fit vel ratione dignitatis à filio adeptæ, vel propter lapsum ætatis scilicet 25. annorum, vel propter matrimonium, *Tom.* 3. *Tract.* 5. *c.* 2. *Sect.* 1. *§.* 2. *n.* 85. litteræ emancipationis ab anno ætatis 14to. completo obtineri possunt, quamvis communiter non obtineantur nisi ab illis, qui annum ætatis 18vum. attigerunt, *ibid. Sect.* 2. *§.* 2. *n.* 197.

Emphyteusis vox græca latinè idem significat ac *insero* vel *consero*; quia Emphyteusis est contractus, qui inventus est, ut agri steriles & inculti meliorentur, quod fit serendo, plantando, &c. usus tamen obtinuit, ut etiam fœcundæ terræ in Emphyteusim dentur. Definitur *Contractus, quo res aliqua immobilis possidenda & fruenda sub certa & annua pensione traditur.* Qui rem ipsam accipit, dicitur *Emphyteuta*; id, quod traditur, vocatur res *Emphyteutica*; & pensio, quæ solvitur, *Canon*, cujus remissio peti nequit, nisi re tota pereunte, *Tom.* 3. *Tract.* 5. *c.* 2. *Sect.* 2. *§.* 2 *n.* 182. Ab Usufructu differt quadrupliciter 1mo. quia Emphyteuta potest transferre jus suum in alium, non verò Usufructuarius; 2do. Usufructus est in rebus mobilibus, non Emphyteusis; 3tio. ob Emphyteusim debetur pensio, non ob Usumfructum; 4to. Usufructus morte Usufructuarii finitur, non semper Emphyteusis; potest enim dari in perpetuum, vel ad plures generationes, *ibid. n.* 183. Emphyteuta potest expelli, si pro Ecclesiastica Emphyteusi per biennium, pro sæculari per totum triennium pensionem non solverit: sed hæc expulsio

fidentiam, nec ei licet tempore publicæ persecutionis aut calamitatis fugere, *ibid. n.* 141. Varii sunt Episcoporum gradus; nam alii sunt Patriarchæ, alii Primates, alii Metropolitani, &c. qui omnes ordinatione pares sunt, & sola jurisdictione ac dignitate distincti, *ibid. n.* 142. (Vid. de singulis suis locis) Probabilius est, Episcopos jurisdictionem suam immediatè à Christo habere, *ibid. part.* 2. *c.* 1. *§.* 1. *n.* 192.

Epistola. S. Pauli Epistolæ, (vid. *Paulus*) septem Epistolæ Canonicæ undè sic dictæ, *Tom.* 1. *Tract.* 1. *part.* 2. *Sect.* 2. *c.* 3. *n.* 642. quis illarum ordo, *ibid. n.* 653. (Vid. *Jacobus Apostolus*, *Petrus*, *Joannes*, *Judas*)

Epykia vox Græca latinè idem est ac *æquitas, æquum & bonum;* Thucididi lib. 3. idem est ac *Juris æquitas* & *vigoris remissio*, sicque sumpta definitur Interpretatio legis ab homine privato facta secundùm jus magis universale, vel quod magis viget, *Tom.* 3. *Tract.* 2. *part.* 2. *c.* 1. *Sect.* 5. *§.* 1. *n.* 239. Interpretatio legis per epykiam est licita non solùm in lege humana, sed etiam in lege divina tùm naturali tùm positiva, *ibid. n.* 240.

Error, est judicium falsum seu existimatio falsi, *Tract.* 3. *Tract.* 5. *c.* 2. *Sect.* 2. *§.* 3. *n.* 206. Error potest esse circa substantiam rei, vel accidens illius; alius est antecedens, alius concomitans, *ibid.* (Vid. *Contractus*, *Matrimonium*) Varii errores de temporibus, quibus charitatis præceptum obligat, recensentur, *ibid. Tract.* 3. *part.* 3. *c.* 4. *§.* 1. *n.* 203.

Esdras, Quis fuerit, *Tom.* 1. *Tract.* 1. *part.* 2. *Sect.* 1. *c.* 2. *n.* 276. Quatuor ejus nomine inscribuntur Libri Veteri Testamentô contenti, quorum duo priores apud Latinos velut Canonici suscipiuntur, duo posteriores verò velut apocryphi rejiciuntur, *ibid. n.* 269. Primi libri Auctor est ipse Esdras, *ibid. n.* 270. quid contineat, *ibid. n.* 274. Secundus Nehemiæ tribuitur, *ibid. n.* 271. quid contineat, *ibid. n.* 275. Quid tertius & quartus contineant, *ibid. n.* 272. & cur apocryphi dicantur, *ibid. n.* 273. Esdras est Auctor Judæorum Canonis, *ibid. part.* 1. *c.* 5. *n.* 52.

Esther, quæ fuerit, *Tom.* 1. *Tract.* 1. *part.* 2. *Sect.* 1. *c.* 2. *n.* 329. Liber ipsius nomine inscriptus quid contineat, *ibid. n.* 320. & 331. quis eum scripserit, *ibid. n.* 332. & *seq.* Est Canonicus & divinæ auctoritatis, *ibid. n.* 335. & *seq.* Solv. ob. *ibid. n.* 344. & *seq.*

Eva, cur educta fuerit è latere Adami, cùm fœminæ in aliis animalium speciebus non fuerint hoc modô productæ, *Tom.* 2. *Tract.* 2. *c.* 2. *§.* 2. *n.* 80.

Evagatio mentis in oratione aliisve exercitiis spiritualibus est mortalis in oratione vel exercitio spirituali graviter præcepto, si in parte notabili voluntariè duret; venialis verò in oratione non præcepta, nisi fit circa objecta graviter illicita, quæ placeant, *Tom.* 3. *Tract.* 6. *part.* 3. *c.* 1. *§.* 7. *n.* 324.

Evangelium vox græca latinè *bonus nuntius* seu *bonum nuntium* dicitur, *Tom.* 1. *Tract.* 1. *part.* 2. *Sect.* 2. *c.* 1. *num.* 554. Evangelium S. Matthæi (vid. *Matthæus*) Evangelium S. Marci (vid. *Marcus*) Evangelium S. Lucæ (vid. *Lucas*) Evangelium S. Joannis (vid. *Joannes*) Præter hæc quatuor Evangelia nulla alia velut Canonica recipit Ecclesia, quamvis plura passim numerentur, *ibid. n.* 606.

Eucharistiæ à Christo Domino per modum refectionis spiritualis institutū sit, hinc etiam illius materia ex cibo & potu constat, sumptâ metaphorâ à corporali refectione, ad quam cibus & potus requiruntur: duplex igitur est partialis materia Eucharistiæ generatim sumpta, scilicet cibus & potus; igitur panis & vinum sunt materia idonea & necessaria Eucharistiæ, *ibid. Sect.* 1. *n.* 9. *& seq.* Solus panis triticeus, & solum vinum de vite sunt materia valida Eucharistiæ, *ibid. §.* 1. *n.* 12. *& seq.* Invalida igitur est Eucharistiæ confectio seu consecratio, si panis sit ex radicibus aut fructibus arborum, aut ex seminibus leguminum, *ibid. n.* 16. item non validè consecratus panis confectus ex oriza, avena, hordeo, milio, &c. necnon ex tritico non puro, nisi quantitas tritici sit notabiliter major: valet tamen panis confectus ex spelta, seu zea, Spelʒen, Korn, Vesen, *ibid. n.* 17. Ad valorem Sacramenti Eucharistiæ requiritur panis confectus ex farina triticea aquâ naturali dilutâ & igne coctâ, *ibid. n.* 18. Ex præcepto & usu Ecclesiæ panis consecrandus apud Nos Latinos debet esse figurâ orbiculari, ac quodam studio præparatus, *ibid. n.* 19. Primis Ecclesiæ Sæculis illius non alia fuit figura, quàm quæ est panis communis, *ibid. num.* 20. Non potest validè consecrari liquor ex pomis, piris, cerasis, &c. expressus; nec omphacium; nec acetum; nec succus intra uvas maturas, aut vinum in pane vel simili alia materia contentum; nec vinum aromatibus ita conditum, ut morali æstimatione speciem vini amiserit; secùs si alteratio sit exigua, quamvis illicitè sic consecretur, *ibid. n.* 21. Validè consecratur mustum, quamvis extra necessitatem hoc prohibitum sit; item vinum congelatum, sed posteà resolutum, modò gelû non fuerit corruptum; vinum autem actu congelatum est materia dubia, quare, si fortè in hyeme vinum in calice congeletur, debet per ignem resolvi, priusquàm consecretur, *ibid. n.* 22. Utraque hæc materia, panis scilicet & vinum, debet esse moraliter præsens consecranti, *ibid. n.* 24. Ad validam consecrationem necesse est, ut materia consecranda determinetur in particulari per intentionem Sacerdotis, *ibid. n.* 25. Undè validè non consecrat, qui ex mille v. g. hostiis vellet tantùm consecrare decem non determinando illas in particulari; similiter qui intenderet ex multis illam consecrare, quam Deus vel alius voluerit determinare, si hanc determinationem ignoret: determinatio per intentionem merè internam absque ulla nota exteriori, qua hostia consecranda ab aliis non consecrandis exteriùs distinguatur, non sufficit; undè, si contingeret, hostiam non consecratam casu admisceri consecratis sic, ut non posset ab iis discerni, non videtur, quòd validè consecrari possit, sed tunc ad vitandum damnum ejus, qui fortè eam acciperet, distribuendæ essent singulis communicantibus duæ hostiæ ex illarum cumulo. Hostiæ, quæ Sacerdote nesciente, nec ante consecrationem advertente, super corporale positæ sunt, non debent censeri consecratæ; si verò illas adverterit, & reliquerit super corporale intendens illas consecrare simul cum ea, quæ ad Sacrificium destinata est, censeri debent consecratæ, quamvis inter consecrandum earum ampliùs non meminerit. Hostiæ, quæ super corporale positæ non sunt, licèt aliàs sufficienter præsentes, sicut & guttæ vini extrinsecùs calici adhærentes, probabiliùs non sunt consecratæ: de iis guttis verò, quæ intra cuppam à to-

to

eidem opposuerunt ii omnes, qui veritatem carnis Christi sunt inficiati, ut Simoniani, Menandriani, &c. directè verò realem & substantialem Christi in Eucharistia præsentiam aggressi sunt Sæculô IX. Joannes Scotus Erigena, id est, Hibernus; XI. Berengarius Andegavensis Ecclesiæ Archidiaconus; XII. Petrus de Bruys origine Delfinatensis vel Provincialis, à quo Petrobrusiani, & Henricus Monachus Apostata, à quo Henriciani; XIII. Colonienses dicti Apostolici, Albigenses & Tolosani à locis, in quibus virus suum disseminârunt sic dicti; XIV. Auctor sectæ Flagellantium, & Wiclefus; XVI. Carolstadius Archidiaconus Wittenbergensis in Saxonia, Zwinglius Tigurinus, & Calvinus, *ibid. n.* 123. & *§*. 2. *n*. 138.

Vera, realis, & substantialis præsentia Corporis Christi in Eucharistia efficaciter probatur ex verbis Christi Joan. 6. à v. 52. *ibid. §*. 1. *n*. 126. *& seq.* Solv. ob. *ibid. n*. 131. *& seq.* item ex verbis institutionis, Matth. 26. *ibid. §*. 2. *n*. 139. *&* 140. Solv. ob. *ibid. n*. 141. *& seq.* item ex constanti & universali SS. Patrum ac totius Ecclesiæ traditione, *ibid. §*. 3. *n*. 153. *& seq.* Solv. ob. *ibid. n*. 156. *& seq.* Hæc realis præsentia Christi in Eucharistia rationibus philosophicis non potest impossibilis demonstrari, *ib. §*. 4. *n*. 180. Solv. ob. *ibid. n*. 181. *& seq.*

Tribus tantùm modis concipi potest substantialis præsentia Corporis Christi in Eucharistia, per *impanationem*, *consubstantiationem*, & *transubstantiationem* videlicet. Impanationis nomine intelligitur unio hypostatica Verbi cum pane ita, ut in Eucharistia Verbum hypostaticè uniatur cum pane: per Consubstantiationem intelligitur præsentia substantiæ carnis Christi cum substantia panis ita, ut substãtia panis simul cum substantia carnis Christi verè in Eucharistia existat: nomine autem Transubstantiationis intelligitur conversio totius substantiæ panis & vini in substantiam Corporis & Sanguinis Christi manẽtibus duntaxat speciebus panis & vini, *ibid. Sect.* 2. *§*. 1. *n*. 190. *&* 192. Corpus & Sanguis Christi fiunt in Eucharistia per Transubstantiationem ita, ut nonnisi species panis & vini maneant exclusâ eorum substantiâ *ibid.* §. 2. *n*. 194. *&* 195. Solv. ob. *ibid. n*. 196. *& seq.* Transubstantiatio est vera actio, *ibid. §*. 3. *n*. 204. & probabiliùs reproductiva, quæ tamen productio non est creatio, nec generatio, nec actio adductiva, nec unitiva, nec conservativa, *ibid. n*. 205. Proprius & formalis terminus Transubstantiationis est Corpus & Sanguis Christi quatenùs reproducta & sub speciebus panis & vini præsentia, *ibid. n*. 206. Transubstantiatio fit in instanti, *ibid. n*. 207. Totus & integer Christus continetur sub unaquaque specie, *ibid. n*. 208. sic, ut tamen ex vi verborũ præcisè solùm Corpus sub specie panis, & solus Sanguis sub specie vini contineatur; per concomitantiam tamen naturalem & proximam sub utraque specie simul est corpus, sanguis, & anima; & per concomitantiam supernaturalem ac remotam divinitas, itémque persona Patris & Spiritus sancti propter circuminsessionem, *ibid. n*. 209. De fide est, totum Christum facta separatione sub qualibet parte specierum contineri, imò & ante separationem totum Christum sub qualibet parte specierum contineri Theologi communiter asserunt, quamvis id de fide haud sit, *ibid. n*. 210. Christus in Eucharistia existens nullam potest actionem elicere, quæ pendeat à sensibus; actus tamen scientiæ infusæ & visionem beatificam elicere potest; neque ab agentibus corporeis pati potest, moveri tamen localiter potest, *ibid. n*. 211.

ristiam sine teste peteret; experientiâ quippè constat rudiores, expleta confessione, pro more ad sacram mensam pergere, non attendentes fuerintne absoluti necne: in quo casu, ubi supponitur nullum esse periculum infamiæ aut scandali, Sacerdos potest ab hujusmodi homine quærere, nùm absolutionis beneficium fuerit consecutus, *ibid. n.* 274. Mortuis Eucharistia dari non potest, *ibid. n.* 275.

De fide est Eucharistiæ sumptionem non esse necessariam necessitate medii sive parvulis, sive adultis, neque in re, neque in voto, *ibid. c.* 5. §. 1. *n.* 278. & *seq.* Solv. ob. *ibid. n.* 283. & *seq.* Eucharistiæ Sacramentum omnibus ratione utentibus mandatum est à Domino, adeoque ejus sumptio adultis necessaria est necessitate præcepti divini, *ibid.* §. 2. *n.* 290. Divinum istud præceptum obligat sæpiùs in vitæ decursu, *ibid. n.* 291. Obligat in quovis probabili mortis periculo, ut in gravi morbo, instante conflictu, difficili partu, periculosa navigatione, incisione, &c. quæ omnia veniunt sub nomine *articuli mortis*, *ibid.* Periculosè decumbentibus Eucharistia per modum Viatici ministrari potest ac debet, quacumque hora cujuslibet in anno diei vel noctis: pluries eodem morbo durante ministrari potest infirmo Viaticum, præsertim si morbus ingravescat, aut aliud periculum immineat, modò ab una Viatici perceptione ad aliam dies non pauci effluxerint: quòd si infirmus post acceptum Viaticum mortis periculum evaserit, & post dies aliquot communicare voluerit, ejus pio desiderio poterit Pastor annuere, dummodò jejunus communicet. Qui manè sanus communicaverit, eodem die, si mortis periculum urgeat, potest Eucharistiam percipere tanquàm Viaticum. Si infirmus quispiam communicare non possit, sub quocumque prætextu Eucharistia ad eum deferri non debet. Si contigerit infirmum, acceptâ Eucharistiâ tussi subitâ Sacram hostiam ejicere, ea in ciborium reverenter reponi debet, aut in os infirmi, & locus, ubi ipsa cecidit, mundari, & aliquantùm abradi, necnon pulvis seu abrasio hujusmodi in ignem conjici; si verò super linteū aut mappam tantū ceciderit, tunc mappa vel linteum diligenter ab ipso Sacerdote lavari, & ipsa lotio pariter in ignem effundi debet. Si verò contigerit infirmum, acceptâ Eucharistiâ, nauseare, ei vas aut linteum ad excipiendum vomitum offeratur, & si in vomitu species integræ appareant, tunc si eas æger commodè consumere non possit, cautè separentur, & in mundo ac honesto vase, non verò in sacra pixide, decenter reponantur, atque ad Ecclesiam deferantur, in aliquo loco sacro, non tamen in Tabernaculo, deponendæ, donec corrumpantur, & sic corruptæ demùm in Sacrarium projiciantur: quòd si species consecratæ non appareant, vomitus in stupam, seu aliam similem materiam infusus, vel detersione in eam collectus comburatur, & cineres in Sacrarium mittantur. Si infirmus, dum communionem recipit, aut statim post ipsam acceptam moriatur, antequam Sacramentum deglutierit, species, quæ apparebunt in ore ejus, extrahantur & serventur, ut suprà dictum, donec corruptæ in Sacrarium projiciantur, *ibid. n.* 292. Nullum primis Ecclesiæ temporibus ipsius fuit de sacra communione præceptum; quamvis quotidiè vel saltem pluries in hebdomada à Fidelibus sumpta fuerit Eucharistia. Verùm tepefacto primo illo fervore, rariùs frequentari cœperunt divina mysteria, cui criminosæ negligentiæ ut obsisteret Ecclesia, statuit, ut saltem ter quotannis, scilicet in Natali Domini, Paschate, & Pentecoste com-

ibid. n. 324. Directè ac per se remittit peccata venialia, *ibid. n.* 325. Præservat à peccatis mortalibus, *ibid. n.* 326. Confert gratiam per modum alimenti spiritualis, *ibid. n.* 327. Efficit aliquam spiritualem delectationem, *ibid. n.* 328. Minuit concupiscentiæ fomitem, *ibid. n.* 329. Est causa immortalitatis & gloriæ corporis; quatenùs nempe Deus movetur ad vivificanda corpora propter conjunctionem, quam habuerunt cum vivificatrice carne Christi, *ibid. n.* 330. Quamvis directè solùm eam sumenti prosit, indirectè tamen aliis propter suscipientis pietatem ac devotionem, qui communionem suam in illorum gratiam offert, prodesse potest, sicut alia bona opera in utilitatem aliorum offerri ac ipsis prodesse possunt, *ibid. n.* 331. Suum effectum in anima producit in ipsa manducatione; hinc qui sacras species in ore retineret, nullum ex Sacramento fructum perciperet. Vana est observantia, si grandiores formulæ aut hostiæ sumantur, ut, speciebus diutiùs in stomacho permanentibus, uberior gratia producatur, *ibid. n.* 332. Sacramentum Eucharistiæ non plus gratiæ confert sub duplici quàm sub una specie sumptum, *ibid.* §. 2. *n.* 334. & *seq.* Solv. ob. *ibid. n.* 336. & *seq.* Ad Eucharistiam percipiendam dispositiones requisitæ aliæ sunt, quæ animam, aliæ quæ corpus spectant. Quantùm ad dispositiones ex parte animæ requiritur 1mò status gratiæ, & quidem sub peccato mortali, *ibid.* §. 3. *n.* 343. 2do. Per se loquendo jure divino requiritur, ut qui sibi conscius est peccati mortalis, ante communionem illud confiteatur; si verò urgeat necessitas communicandi, & desit copia Confessarii, requiritur duntaxat & sufficit perfecta contritio; taliter contritus tamen tenetur posteà, quamprimùm poterit, confiteri: item ante communionem confiteri tenetur ille, qui absolutionem consecutus, recordatur se ex inculpata oblivione aliquod crimen non confessum fuisse, *ibid. n.* 344. 3tio. Requiritur, ut cum magna devotione & reverentia sumatur Eucharistia, *ibid. n.* 345. Quoad dispositiones ex parte corporis requiritur 1mo. jejunium naturale consistens in eo, quòd nihil omninò per modum cibi vel potûs, vel medicinæ, à media nocte præcedente per primum horologii pulsum designata ab ore in stomachum trajiciatur, *ibid. n.* 346. 2do. requiritur habitus seu conformatio corporis ad modestiam & pietatem composita, *ibid. n.* 347. 3tio. requiritur puritas carnis, quæ considerari potest vel in usu legitimo matrimonii, vel extra illius usum; 1mo. actus conjugalis, licèt in se legitimus, quia tamē, præter immunditiam corporalem, quæ eum semper comitatur, mentem deprimit, ejusque evagationem & distractionem inducit, saltem quando non ex animo prolis suscipiendæ, sed captandæ voluptatis desideriô, atque ideò cum peccato veniali exercetur, à Sacra communione retrahere debet, nisi obstet aliqua necessitas, ut scandalum, aut infamia vitanda, vel lucratio Jubilæi, &c. Impuritas, quæ est peccatum mortale, hominem removet à participanda Eucharistia; hinc, qui tale peccatum admisit, non statim debet, etsi contritus & absolutus, Eucharistiam sumere, nisi urgeat aliqua necessitas, & aliud Confessario videatur: imò ex quadam decentia abstinendum est ab Eucharistia ob pollutionem involuntariam, nisi videatur à Dæmone ad impediendam communionem procurata, vel nisi adsit aliqua necessitas, vel singularis utilitas, vel scandalum ex omissione timeatur, *ibid. n.* 348. Circa jejunium naturale, quod veluti dispositio ex parte corporis ad suscipiendam Eucharistiam requiritur, nota illud esse legem ex Apostolica traditione venientem, *ibid.* §. 4. *n.* 349. In ea lege neutiquam datur le-

bonorum, *Tom. 4. Tract. 7. part. 2. c. 3. §. 3. n. 231.* (vid. *Bona spiritualia*) Datur duplex excommunicatio Major una, altera Minor: prior privat omnibus bonis spiritualibus; Minor verò aliquibus tantùm ex iis, quæ Ecclesia habet in sua potestate, *ibid.* & *n. 232.* Excommunicatio Major omnium pœnarum, quæ ab Ecclesia infligi possunt, est gravissima: alio nomine *Anathema* dicitur, quæ vox denotat gravissimam excommunicationis pœnam cum aliqua execratione & indignatione adjunctâ. Aliquando etiam cum solemnitate aliqua excommunicationis sententia pronuntiatur. Indefinitè & absolutè verò lata semper Major intelligitur. Hujusmodi excommunicatio autem ferri non debet nisi ob gravia peccata; & etiam ab ea ferenda abstinendum est, si fortè aliquod incommodum aut Schismatis periculum Ecclesiæ indè immineret, *ibid. n. 233.* Excommunicationes Majores, & quæ ipso facto incurruntur & Summo Pontifici reservantur præcipuè sunt istæ: Excommunicatio contra Simoniacos. Contra Incendiarios. Contra effractores & spoliatores Ecclesiarum. Contra Falsarios Litterarum Apostolicarum, supponendo vel corrumpendo. Contra percussores Clericorũ; si percussio hæc enormis sit, reservatur Papæ, si verò levis, Episcopo: hæc excommunicatio extenditur etiam ad mandantes percussionem effectu subsecuto; ad habentes ratam percussionem nomine eorum factam; ad consentientes, consilium, auxilium & favorem præstantes; non impedientes, cùm possint & ex officio teneantur; invitum detinentes in custodia; percutientes Clericum etiam consentientem. Ab illa incurrenda excommmunicatione excusantur: qui Clericum in necessariam defensionem percutiunt; qui ex ludo, vel disciplinæ causâ; mulier in defensionem castitatis Clericum percutiens; si percussor Clericum non cognoscat, quia Clericatûs insignia non gerit; aut si Clericus Canonis privilegiò sit privatus. His majoribus excommunicationibus adjungit Rituale nostrum Argentinense Simoniam realem in Ordinibus & Beneficiis, & confidentia, dummodò sit publica, *ibid. n. 234. & 235.* Aliæ sunt excommunicationes, quæ Episcopis duntaxat sunt reservatæ, suntque in hac nostra Argentinensi Diœcesi: Excommunicatio annexa crimini hæresis: Excommunicatio annexa gravi percussioni Clerici vel Religiosi Clericali aut Religionis habitu induti; si sit atrox, reservatur Papæ: Excommunicatio annexa incendio Templorum necnon domorum prophanarum voluntariè procurato opere, consilio, mandato; sicut & effractioni ac spoliationi sacrarum ædium, Monasteriorum, & aliorum piorum locorum, ante publicam denuntiationem; nam post denuntiationem reservatur Papæ: Excommunicatio annexa contractui clandestino Matrimonii: In eadem causa Matrimonii excommunicatio annexa falso testimonio à contrahentibus vel ab aliis mala fide, sive scriptò, sive viva voce præstito, ut à Ministris Ecclesiæ Matrimonium in se nullũ benedicatur & celebretur: igitur ab iis excommunicationibus, quæ reservatæ sunt tam à jure quàm ab homine, absolvere tantùm possunt vel S. Pontifex, si ipsi reservatæ sint, vel Episcopi, si censuram tulerint, vel ipsis sit reservata, *ibid. n. 236.* Quantùm ad effectus excommunicationis Majoris, eorum alii respiciunt ipsum excommunicatum, alii modum, quo agendum est cum excommunicato: qui excommunicatum respiciunt sunt isti: excommunicatio privat participatione Sacramentorum activa & passiva, *ibid. n. 238.* privat communibus Ecclesiæ suffragiis, Sacrificio, publicis precibus, indulgentiis, & aliis sacris actionibus, quæ totius Ec-

Parasceves; privatim verò possunt pro ipsis orare. Prohibetur etiam Ecclesiæ Ministris, ne Sacramenta ministrent coram excommunicatis vitandis, aut eos admittant ad divina officia: illicitum quoque est extra gravissimam necessitatem Sacramenta petere vel recipere ab excommunicato non vitando: item omnes Fideles tenentur excommunicatos non toleratos vitare, eorumque consortium fugere, non solùm in rebus divinis, sed etiam in profanis: Nulli etiam Fideles possunt assistere divinis Officiis coram seu præsente excommunicato vitando, *ibid. n.* 244. Quamvis peccet mortaliter, qui cum excommunicato non tolerato in rebus divinis communicat; tamen venialiter tantùm peccat, qui cum tali excommunicato in rebus civilibus ac temporalibus communicat, secluso Ecclesiasticæ disciplinæ contemptu; incurrit tamen excommunicationem Minorem, *ibid. n.* 245. Qui excommunicatus est, in tribunali etiam justitiæ sæcularis functiones Judicis, Advocati, Actoris, Testis, Tutoris, Curatoris, &c. licitè exercere non potest, *ibid. n.* 246. Excommunicatus etiam Ecclesiasticâ sepulturâ privatur, si vel nominatim & expressè denuntiatus sit, vel adeò publicus & notorius Hæreticus, ut negari non possit, *ibid. n.* 247. Obligatio non communicandi cum excommunicato nominatim denuntiato & vitando est reciproca, nec tantùm cadit in ipsum excommunicatum, ne scilicet in societatem aliorum Fidelium se ingerat; sed etiam in ipsos Fideles, ne eum in suam societatem admittant: occurrunt tamen aliqui casus, in quibus societas illa permittitur, ut notabilis utilitas spiritualis vel corporalis tùm nostra tùm excommunicati; lex Matrimonialis, qua tenentur conjuges, si vel ambo, vel alteruter excommunicatus fuerit cohabitare secum, &c. Necessitas communicandi ratione subjectionis & reverentiæ, quam debent liberi parentibus, & servi Dominis, quamvis excommunicatis; ignorantia tàm juris quàm facti, modò crassa & affectata non sit, sed invincibilis: in dubio autem latæ in aliquem excommunicationis, non tenetur eum quis vitare, secùs si certa ipsi foret & cognita illius excommunicatio, incerta verò excommunicationis absolutio; necessitas vitandi aliquod grave incommodum animæ vel corporis, famæ, & bonorum temporalium, *ibid. n.* 248. Qui extra casus istos communicat cum excommunicato vitando incurrit excommunicationem Minorem; si in crimine criminoso, id est, si committat & participet in peccato, propter quod alius excommunicatus est, incurrit Majorem excommunicationem, *ibid. n.* 249. ut & qui excommunicatum sepelit in loco sacro; & Clerici, qui à Summo Pontifice excommunicatum admittunt ad divina Officia, *ibid. n.* 250.

Executor (vid. *Cooperatores ad damnum*)

Existentia. Nihil obest, quin, præter absolutam & communem existentiam in Deo tres relativæ etiam admittantur, *Tom.* 2. *Tract.* 1. *part.* 2. *c.* 4. *§.* 2. *n.* 428. Solv. ob. *ibid. n.* 429. & *seq.*

Exodus vox græca egressum latinè significat; eo nomine secundus Veteris Testamenti liber insignitur, *Tom.* 1. *Tract.* 1. *part.* 2. *Sect.* 1. *c.* 1. *n.* 191. Solv. ob. *ibid. n.* 192. & *seq.*

Exomologesis. Actio, quam Latini in Sacramento pœnitentiæ peccatorum confessionem dicunt, Exomologesis à Græcis appellatur, à verbo græco *Exomologeo*, quod latinè idem est ac *confiteor*, atque postmodùm etiam ad Latinos translatum est. Exomologesis nomen ad duo præcipuè significanda usur-

F.

Feudum. Feudi nomen à fœdere vel à fide seu fidelitate, quam Vasallus Domino præstare debet, dici videtur; definitur contractus, quo rei immobilis Dominium utile alicui sub fidei & obsequii conditione traditur à Domino rei ejusdem proprietatem retinente. Qui dat, dicitur Infeudator; qui accipit, Vasallus seu Feudatarius; quod datur, res feudalis, aut etiam feudum, sive sit prædium, sive officium, aut quid aliud immobile, vel quod pro immobili habetur. Multa erant olim Emphyteusim inter & Feudum discrimina, quæ nunc non ampliùs subsistunt, ex quo Feudum non ad mares solùm sed & ad fœminas devolvitur, atque onera tam realia, quàm personalia suscipit, *Tom.* 3. *Tract.* 5. *c.* 2. *Sect.* 2. *§.* 3. *n.* 185.

Fideicommissum non differt à Legato, nisi quòd in Fideicommisso verba dirigantur ad hæredem, in Legato autem ad ipsum Legatarium. Igitur Fideicommissum est ultimæ voluntatis dispositio, qua testator hæredi præcipit, ut aliquid ex hæreditate donet tertio, *Tom.* 3. *Tract.* 5. *c.* 3. *Sect.* 2. *§.* 13. *n.* 458. Fideicommissum sicut & Legatum duplex est, *particulare* scilicet, & *universale*; priùs est, cùm alicui designatum aliquod bonum eidem tradendum præcipitur hæredi; *universale* est, cùm testator omnia sua bona, vel omnium suorum bonorum partem, hæredis fidei committit alteri tradenda, *ibid. n.* 459. Jus Cæsareum concedit Fideicommissario quartam partem hæreditatis, quæ Trebellianica dicitur à Jure-Consulto Trebelliano, ne inutiliter hæreditatem adierit, *ibid. n.* 460. Fideicommissum in favorem illius, qui per leges non potest institui hæres vel legatarius, non valet; sed legitimo hæredi restitui debet, *ibid. n.* 461.

Fidejussio est contractus, quo quis in se suscipit obligationem solvendi debitum alterius, si debitor ipse non solverit. Variæ sunt Fideijussionis conditiones; 1mo. Non obligatur Fidejussor, si invalida sit aut extincta principalis debitoris obligatio; 2do. Fidejussor non potest obligari, ut plùs debeat, quàm debet is, pro quo obligatur; 3tio. Fidejussor non potest conveniri à creditore ad solvendum, nisi priùs à principali debitore debitum repetitum fuerit, & eis solvere non possit; 4to. Fidejussoris obligatio transit ad ipsius hæredes; 5to. Tenetur solvere ante sententiam Judicis, sicut & ipse debitor, in cujus locum succedit; 6to. peccat graviter, qui certus de sua impotentia ad solvendum pro alio, ejus Fidejussorem se constituit, putans fieri posse, ut debitor non sit solvendo, *Tom.* 3. *Tract.* 5. *c.* 3. *Sect.* 2. *§.* 9. *n.* 405. Præcipua Fidejussoris jura sunt 1mo. quòd possit agere contra debitorem, ut restituat sibi tùm illud omne quod solvit, tùm damna, quæ passus est; 2do. cogere potest creditorem, ut sibi cedat omnem actionem cùm personalem, tùm hypothecariam, quam contra debitorem habet; 3tio. ut non maneat obligatus, si creditor debiti petitionem suo tempore neglexerit, & debitor posteà factus sit impotens; 4to. potest licitè pro fidejussione sua pretium aliquod exigere à debitore, & de eo cum ipso pacisci pro ratione quantitatis debiti & periculi, *ibid. n.* 406.

Fideles in peccato mortali existentes habent Fidem Theologicã, *Tom.* 3. *Tract.* 3. *part.* 1. *c.* 4. *n.* 84. (Vid *Fides*) habent & Spem, *ibid. part.* 2. *c.* 3. §. 2. *n.* 144. (Vid. *Spes*)

Fides vox apud sacros Scriptores æquivoca: prout est virtus Theologica acci-

Tres

Tres recensentur Fidei proprietates, Certitudo, Obscuritas, & Necessitas, *ibid. c.* 5. *§.* 1. *n.* 90. Circa certitudinem Fidei duplex movetur difficultas, una ex parte Dei revelantis, altera ex parte hominis credentis, *ibid. n.* 91. Deus non potest revelare falsum, *ibid. n.* 92. quod à parte rei non est verum, illud non potest homo credere fide divina, *ibid. n.* 93. Solv. ob. *ibid. n.* 94. *& seq.* Fides non est obscura, si per respectum ad motiva credibilitatis aut ex parte revelationis consideretur, *ibid. §.* 2. *n.* 98. est tamen obscura ex parte objecti materialis, quod creditur, ita, ut credi non possit, quod vel evidenter scitur, vel videtur, *ibid. n.* 99. Solv. ob. *ibid. n.* 100. *& seq.* Fidei necessitas dupliciter considerari potest 1mo. secundùm internum ejus actum, seu prout dicit assensum, quem ratio præbet alicui veritati præcisè propter auctoritatem Dei revelantis; 2do. secundùm actum externum, sive externam fidei professionem, quæ ore, aut opere, aut exteriori aliquo signo fieri potest, *ibid §.* 3. *n.* 105. Internus Fidei actus definiri potest *firmus mentis assensus rei revelatæ ab Ecclesia propositæ propter primam veritatem revelantē.* Ad hujusmodi firmum assensum quinque vulgò numerantur actus prærequisiti, *ibid. n* 106. quorum tres naturaliter elici possunt, *ibid. n.* 107. duo autem supernaturaliter, *ibid. n.* 108. actus internus Fidei est tùm necessitate medii tùm necessitate præcepti necessarius omnibus adultis, *ibid. n.* 112. (Vid. *Necessitas, Actus Fidei*) Quibus temporibus obliget Fidei præceptum, *ibid. n.* 116. Extat præceptum eliciendi externum Fidei actum, *ibid. n.* 117. non est per se necessarius nisi necessitate præcepti; per accidens tamen potest esse necessarius necessitate medii, *ibid. n.* 118. præceptum actûs externi fidei seu fidem exteriùs confitendi aliud est affirmativum, negativum alterum, *ibid. n.* 119. præceptum confitendi exteriùs fidem quando obliget, *ibid. n.* 120. quando per omissionem confessionis externæ Fidei honor Deo debitus subtrahi censeatur, *ibid. n.* 121. item utilitas proximo impendenda, *ibid. n.* 123. nullo in casu licitum est fidem exteriùs negare, *ibid.* nec falsam simulare Religionem, *ibid. n.* 124. Jehu lib. 4. Reg. non laudatur, quòd simulaverit se velle sacrificare Baal, sed solùm quòd demum Achab delevisset, & cultum Baal destruxisset; nec Eliseus eodem lib. c. 5. permisit Naaman adorare idolum per simulationem, sed solùm se incurvare, ut Rex coram idolo genu flectens illi inniteretur, *ibid. n.* 125. Nunquam licet cœnam hæreticam sumere, interesse concionibus vel conventibus hæreticorum, cùm adest periculum subversionis vel scandali, vel etiam id censetur à vera fide defectio; seriò uti vestibus vel aliis signis, quæ solùm adhibentur ad professionem vel exercitium falsæ Religionis, legere hæreticorum libros de fidei quæstionibus & controversiis tractantes, *ibid. n.* 126. Christiano licet fugere, vel se occultare tempore persecutionis, si ex ejus fuga nullum fidei detrimentum in aliis, vel scandalum oriatur, *ibid. n.* 127. hæc fuga tamen ei est illicita, cujus præsentia necessaria est ad alios in fide confirmandos, *ibid. n.* 128.

Fides quæ necessaria est ad justificationem non est specialis promissionum fides, sed est dogmatica seu Catholica Fides, assensus scilicet firmus ac certus rebus omnibus à Deo revelatis, *Tom.* 2. *Tract.* 4. *c.* 4. *§.* 2. *n.* 83. (Vid. *Justificatio*) Nemo potest nec debet, seclusa speciali revelatione, fide divina credere sibi remissa esse

cum fine proportionem ponderat; *consensus*, qui est actus voluntatis adhærentis consilio rationis, & acceptantis media ab intellectu proposita; *electio* seu actus, quo voluntas ex pluribus mediis unum aliis præfert in ordine ad finem intentum: electio, ut recta sit & honesta prudenter fieri debet, scilicet medium, quod eligitur, debet esse efficacius & magis idoneum ad finis consecutionem; *imperium*, quod est actus practicus intellectus imperantis usum mediorum, quæ, post habitam deliberationem, electa sunt tanquam ad finem magis idonea; *Usus*; qui dupliciter sumitur, scilicet *activè*, estque actus elicitus voluntatis applicantis seipsam & alias potentias ad exequenda prædicta media, & passivè, estque ipsa executio; denique *fruitio* ultimus finalis causæ effectus, estque quies in fine possesso, & veluti fructus operantis, *ibid. n.* 85. Horum effectuum tres, scilicet volitio, intentio, & fruitio, circa finem versantur, cæteri circa media ad illum, *ibid. n.* 86. (Vid. *Beatitudo* finis ultimus hominis)

Forma voti (vid. *Votum*)

Formularium Alexandri Papæ VII. *Tom.* 3. *Tract.* 4. *c.* 4. §. 2. *n.* 182.

Fornicatio est copula carnalis soluti cum soluta, *Tom.* 3. *Append. ad. Tract.* 3. *part.* 2. *c.* 2. *ſ.* 10. *n.* 648. Is, qui sine vi, fraude, dolo, vel promissione aliqua, sed ex libero virginis consensu, turpem corporis ipsius usum obtinuit, ex justitia nihil ei debet in foro poli seu conscientiæ: tamen in foro fori seu exteriori talis corruptor ad dotandam virginem condemnari solet, quia præsumitur virginem decepisse & seduxisse, nisi contrarium probet: probabile tamen est, quòd talis corruptor, etsi ex justitia nihil debeat in foro conscientiæ, tamen, si dives sit, ex charitate saltem teneatur virginem defloratam pauperem dotare: parentibus ejus autem tenetur restituere damnum, quod eis intulit corrumpendo eorum filiam sub ipsorum potestate adhuc constitutam, *ibid. n.* 649. Mulier tenetur alere prolem à partu usque ad tertium annum; ab anno tertio & deinceps ipse corruptor, donec proles sibi possit providere; imò ab ipso partu si mater non possit, vel ipse ad id se obligaverit: Si verò duo eandem fœminam cognoverint, & dubitetur uter sit pater, uterque tenetur æqualiter hoc onus sustinere: quòd si Hospitali exposita fuerit proles, debent parentes eidem Hospitali restituere expensas, quia Hospitale fundatum est pro pauperibus gratis alendis, non pro aliis, nisi ipsorum sumptibus: si autem corruptor garrulitate sua causa sit, cur puella ab ipso corrupta diffametur, tenetur ad restitutionem pecuniariam, *ibid. n.* 650. Qui vi, fraude, vel falsis persuasionibus virginem vitiavit absque promissione Matrimonii tenetur compensare omnia damna virgini & ejus parentibus indè obvenientia, vel pecuniâ, vel eam ducendo: in foro externo obligatur ad eam dotandam & ducendam: preces autem importunæ censentur etiam vis quædam & seductio. Etsi puellæ ejusque parentibus ex ipsius defloratione nulla obvenerint damna, tamen adhuc videtur corruptor teneri facere compensationem pecuniariam, vel aliam arbitriô boni viri pro damno virginitatis injustè violatæ; præsertim si jam nupta damnum aliquod patiatur, quia res v. g. innotuit marito, atque ob id duriùs & deteriùs ab eo ipsa accipiatur, *ibid. n.* 651. Qui virginem sub promissione matrimonii, sive verâ, sive fictâ, corrupit, tenetur eam ducere, *ibid. n.* 652. excipitur 1mo. si præsu-

Fulgen-

Fulgentius (Sanctus) Quis? ejus Opera, *Tom.* 1. *Tract.* 4. *c.* 1. §.2.*n.*74.

Furtum, quod aliqui à furvo aut atro dictum putant, quia plerumque in tenebris fieri solet, tripliciter sumitur: 1mo. latissimè pro omni injusta damnificatione in bonis alterius, sive commissione, sive omissione fiat: 2do. latè, pro omni injusta acceptione rei alienæ, sive ea acceptio fit fraudulenta, ut fit per contractus iniquos; sive occulta, ut fit per furtum strictè sumptum; sive violenta, ut fit per rapinam: 3tio. strictè, atque sic sumptū definitur Usurpatio seu ablatio occulta rei alienæ invitò rationabiliter Dominô, vel ejusdem rei justo detentore, *Tom.* 3. *Append. ad Tract.* 5. *part.* 2. *c.* 4. §. 1. *n.* 713. Dividitur 1mo. ratione modi, in *manifestum*, quando fur deprehenditur cum re furtiva; & *occultum*, cùm non deprehenditur: 2do. ratione temporis, in *diurnum*, & *nocturnum*: 3tio. ratione rei acceptæ, in *simplex* & *qualificatum*; simplex est illud, quod modò definitum est; qualificatum verò, quod vestitum est specialibus quibusdam qualitatibus, quæ ipsum secundùm leges majori pœnâ dignum efficiunt, & quadruplex est: scilicet *Sacrilegium*, quod est furtum rei sacræ è loco sacro, vel sacræ è loco non sacro; *Peculatus* seu furtum rei ad fiscum vel ærarium publicum pertinentis; *Plagiatus*, cùm vel mancipia à Dominis, vel homines liberi subripiuntur aut vendendi, aut in servos retinendi; si enim fruendi causâ, dicitur *Raptus*; *Abigeatus* denique, cùm auferuntur seu abducuntur pecora. Ex his furti speciebus Sacrilegium solum est, quod specie morali à furto differat, *ibid. n.* 714. Furtum ex suo genere est peccatum mortale; potest tamē esse veniale tùm ex defectu cognitionis, tùm ex levitate materiæ, *ibid.* §. 2. *n.* 717. Ut furtum censeatur peccatum mortale, ea quantitas requiritur, quæ, spectatis omnibus circumstantiis infert grave damnum, privatque notabili utilitate; damnum autem, quod respectu unius, putà divitis, leve est, respectu pauperis censeri potest grave; undè eadem quantitas in omnibus furtis statui non potest pro materia peccati mortalis, *ibid.* 718. Porrò ad æstimandum damnum Theologi distinguunt quatuor personarum genera 1mum. Illustrium, quæ splendidè vivunt; 2dum earum, quæ vivunt ex suis reditibus, licèt non ita splendidè, quales sunt communes divites; 3tium Artificum, qui suô se sustentant artificiô; 4tum pauperum, qui mendicando sibi consulunt. Communiter statui potest ad furtum mortale respectu personarum primi generis sufficere florenum cum dimidio; respectu personarum secundi generis florenum; respectu personarum tertii generis, si ars sit majoris lucri, medium florenum, si minoris, quindecim crucigeros; respectu personarum postremi generis, septem crucigeros, *ibid. n.* 719. Hæc quidem communiter statui possunt; nam potest fieri, ut qui ex reditibus suis vivit, multò minùs commodè vivat, quàm qui ex majoris lucri arte vivit, ut Mercator v. g. sicque minor summa majus illi detrimentum afferat; item contingere potest, ut quis manibus suis operans decem tantùm aut duodecim crucigeros, aut etiam quindecim crucigeros vel viginti singulis diebus lucretur, quibus se aut familiam suam sustentet, ex quibus, qui ei decem vel duodecim, vel etiam octo auferret, non posset non censeri notabile & sufficiens ad peccatum mortale detrimentum ei afferre, *ibid. n.* 720. peccat etiam mortaliter, qui ab uno vel pluribus leves summas furatur, quæ simul junctæ faciunt quantitatem notabilem, & quidem singulis vicibus, si ab initio habuit voluntatem per plura minima furta notabilem quan-

G.

n. 174. & *seq.* Solv. ob. contra illius auctoritatem, *ibid. n.* 178. & *seq.*

Gennadius Massiliensis, Quis? ejus Opera, *Tom.* 1. *Tract.* 4. *c.* 1. §. 2. *n.* 74.

Gesnerus (Conradus) Quis? ejus Opera, *Tom.* 1. *Tract.* 4. *c.* 1. §. 2. *n.* 98.

Gloria vana est inordinata cupiditas humanæ existimationis & laudis: proprius ejus actus & inordinata manifestatio propriæ excellentiæ sive veræ sive fictæ. Est mortalis eodem modo, quo ambitio.

Septem sunt ejus filiæ, Inobedientia, Jactantia, Hypocrisis, Contentio, Pertinacia, Discordia, & Inventio novitatum, de quibus vid. suis locis. Contra eam & filias suas eadem sunt adhibenda remedia ac contra superbiam, *Tom.* 3. *Tract.* 6. *part.* 3. *c.* 1. §. 1. *n.* 260. (Vid. *Ambitio*, *Superbia.*)

Goarius (Jacobus) Ordinis S. Dominici, vulgavit Parisiis an. 1647. Euchologium Græcorum, *Tom.* 4. *Tract.* 3. *c.* 1. §. 3. *n.* 64.

Godolias præficitur Regno Judæ, *Tom.* 1. *Tract.* 1. *part.* 2. *Sect.* 1. *c.* 2. *n.* 251.

Gomaristæ, Qui sint, *Tom.* 1. *Tract.* 1. *part.* 1. *c.* 6. *n.* 78.

Gomor seu *Assaron*, mensuræ genus, quo Hebræi in deserto per 40. annos maximè usi sunt ad metiendum Manna, *Tom.* 1. *Tract.* 1. *part.* 1. *c.* 8. *n.* 146.

Gratia. Arduum ac plenum scopulis, tot summorum ingeniorum naufragiô famosum est de gratia argumentum. Circa dogma hoc viro Catholico sufficit, si agnoscat ac fateatur summè potentem esse vim gratiæ cœlestis ad inclinanda, quo Deus voluerit, hominum corda; vim illam seu virtutem gratiæ à Deo auctore & parente esse; sub ea dominatrice liberam semper remanere hominis voluntatem, ut ipsi obsequatur vel resistat; humanam voluntatem divinâ gratiâ excitatam & adjutam activè concurrere ad opus bonum; indivisam esse non partitam gratiæ & libertatis, quoad opus bonum, actionem. Quantùm verò ad Scholæ circa eandem gratiam opiniones, quæ, salva fidei veritate, ac majestate, hinc indè à Theologis propugnantur, facilè eas quilibet Catholicus ignorare potest vel negligere, cùm ad propugnandum Fidei dogma quidquam certi non conferant, *Tom.* 2. *Tract.* 4. *præloq. n.* 1. Gratia inde nomen accepit, quòd gratis detur: generatim ergò definitur *bonum à Deo gratis datum.* Gratiæ nomen in Scripturis tripliciter sumitur, 1mo. latè, scilicet pro omni eo, quod gratis datur, sive sit naturale sive supernaturale; 2do. strictè, pro beneficiis supernaturalibus creaturæ rationali collatis sive sint ex meritis Christi sive non; 3tio. strictissime, pro beneficiis supernaturalibus, quæ homini indigno & peccatori ex Christi merito conferuntur; undè & *Gratia Christi* appellatur, atque definiri potest *Donum Dei gratuitum supernaturale homini lapso concessum per merita Christi Domini in ordine ad vitam æternam*, *ibid. c.* 1. *n.* 2. Dividitur in *creatam*, quæ sunt beneficia vocationis & justificationis, &c. & *increatam*, quæ sunt bona voluntas divina, prædestinatio, unigenitus Dei Filius, &c. in *temporalem*, quæ est beneficium gratuitum in tempore collatum, & *æternam*, quæ scilicet extitit ab æterno, ut prædestinatio ad gratiam & gloriam, prædefinitio operum salutarium, &c. in *internam*, quæ scilicet est in nobis, ut illustratio mentis, pia voluntatis motio, habitus supernaturales, &c. & *externam*, quæ scilicet extra nos est, ut doctrina Christi, exempla

ter à Deo animæ infunduntur, infusæ nuncupantur. In justificatione ergo, quæ est effectus formalis gratiæ habitualis, infunduntur virtutes Theologicæ & omnes virtutes morales ordinis supernaturalis, & omnia dona Spiritus Sancti, *ibid. n.* 63. Qui gratiam à charitate distinguunt gratiæ habitualis subjectum esse ipsius animæ essentiam volunt; qui verò negant gratiam à charitate distingui, tuentur gratiam habitualem immediatè in voluntate recipi, *ibid. n.* 64. Effectus gratiæ habitualis sunt præcipuè isti, 1mo. peccata delet; 2do. corda eorum, in quibus diffunditur, immutat, atque ex peccatoribus & impiis justos, pios, & sanctos efficit; 3tio. ex inimicis & Deo exosis reddit amicos, dilectos, cives Sanctorum, & domesticos Dei; 4to. per illam fiunt homines consortes divinæ naturæ; 5to. per eam homo efficitur filius Dei adoptivus vero ac proprio quodam sensu; 6to constituit eum hæredem vitæ æternæ, *ibid.* §. 2. *n.* 79. inter insignes istos ac eximios gratiæ habitualis effectus duo potissimùm sunt, justificatio scilicet & meritum, de quibus gravissimæ occurrunt controversiæ Catholicos inter & Acatholicos, *ibid. n.* 80. (Vid. *Justificatio, Meritum.*)

Gratia actualis supra à nobis definita mentem illustrat, ut diximus, & voluntatem excitat atque adjuvat, undè excitans dicitur & adjuvans: famosissima est hujus actualis gratiæ divisio in sufficientem & efficacem, *ibid. c.* 5. *n.* 133. Pelagiani & Semipelagiani asseruêre, posse aliquem sine gratia actuali aliquid conducens ad salutem, *ibid. Sect.* 1. §. 1. Nemo sine gratia actuali quidquam potest velle, agere, perficere, aut etiam inchoare, quod conducat ad salutem æternam, *ibid. n.* 136. & 137. Solv. ob. *ibid. n.* 138. & *seq.* Homo justus præter habitualem seu sanctificantem gratiam, indiget actualis gratiæ adjutoriô, ut bonum supernaturale & ad salutem conducens elicere valeat, *ibid.* §. 2. *n.* 148. Solv. ob. *ibid. n.* 154. & 155.

Ad servanda omnia mandata divina, & ad superandas graves tentationes necessaria est homini etiam justo gratia actualis, *ibid. n.* 149. Solv. ob. *ibid n.* 154. & 155. Homo justus cum ordinariis gratiæ auxiliis non potest toto vitæ suæ tempore omnia omninò peccata venialia vitare, *ibid. n.* 150. Solv. ob. *ibid. n.* 156. & *seq.* Nemo sine interioris gratiæ auxilio credere potest Fide Christiana mysteria Fidei nostræ, quantumvis credibiliter proposita, *ibid. n.* 151. Solv. ob. *ibid. n.* 162. & 163. Deus sine gratia interiore illustrationis & inspirationis amari non potest amore perfecto seu super omnia, *ibid. n.* 152. Solv. ob. *ibid. n.* 164. & *seq.* Homo etiam infidelis potest solis naturæ viribus facere aliquod opus bonum morale naturale, seu actum naturalem ex omni parte, etiam ex fine honestum, contrà quàm sentiant Lutherus, Calvinus, Bajus, Jansenius, & eorum asseclæ, *ibid. n.* 153 Solv. ob. *ibid. n.* 170. & *seq.* vid. etiam *Exercit. Theol. Exercit.* 10. *n.* 170. & *seq.* Nomine gratiæ sufficientis ex fide Ecclesiæ intelligimus auxilium supernaturale præbens voluntati veram & expeditam potentiam saltem mediatam agendi bonum supernaturale: dari hujusmodi negârunt Lutherus & Calvinus, quibus se adjunxit Jansenius, quem sequuntur ejus discipuli, qui nomine gratiæ sufficientis intelligunt duntaxat vel gratiam habitualem solam, vel parvam quamdam gratiam actualem, quæ totum habet effectum, ad quem datur, nempe velleitatem, *ibid. Sect.* 2. *n.* 186. In statu naturæ lapsæ & per Christum reparatæ datur gratia verè sufficiens, *ibid.* §. 1. *n.* 187. Solv. ob. *ibid. n.* 188. & *seq.* Contendunt Lutherus & Calvinus mandata Dei simplici-

Guilielmus Cave, Quis? *Tom.* 1. *Tract.* 4. *c.* 1. §. 2. *n.* 102.

Gula est inordinatus appetitus vel usus cibi aut potûs: sumitur aliquando strictiùs prout continet inordinationē solùm in cibo & potu non inebriante. Communiter committitur quinque modis: 1mo. si edas ante tempus; 2do. si nimis exquisita, id est, pretiosiora, quàm tuo statui conveniat vel necessitati; 3tio. si plus justò; 4to. si voraciter; 5to si nimis exquisitè præparata, *Tom.* 3. *Tr.* 6. *part.* 3. *c.* 1. §. 3. *n.* 268. Peccatum gulæ mortale est in multis casibus, 1mo. ratione affectûs graviter inordinati, quo quis ita inhæret oblectationibus cibi vel potûs, ut in iis finem suum ultimum constituat; 2do. si quis bibat ad ebrietatem; 3tio. si quis ob solam voluptatem cibo & potu ad vomitum scienter se ingurgitet, aut postquam multùm comedit & bibit, ad vomitum se excitet, ut iterùm ob solam voluptatem edat & bibat; 4to. ratione gravis nocumenti, quod quis ob gulam sibi, aut familiæ suæ, aut creditoribus, aut gravem patienti necessitatem infert, 5to. si quis, extra necessitatem gravem saltem, carne humana aut sanguine vescatur, 6to. ratione gravis scandali, vel periculi peccandi graviter. Extra hos casus peccatum gulæ est solùm veniale, *ibid. n.* 269. Remedia adversùs gulam sunt 1mo. considerare gulæ incommoda ac damna; 2do. vitare occasiones; 3tio. sectari in omnibus temperantiam; 4to. semper sibi in mensa subtrahere aliquid modicum, quod adhuc licitè sumi posset, & præsertim quod magis arridet palato, *ibid. n.* 270. (Vid. *Ebrietas*, *Hebetudo mentis*, *Inepta lætitia*, *Multiloquium*, *Scurrilitas*.)

H.

Habacuc Propheta, Quis? & quando floruerit, *Tom.* 1. *Tract.* 1. *part.* 2. *Sect.* 1. *c.* 4. *n.* 540. & 541. ipsius liber quid contineat, *ibid. n.* 562.

Habitatio est jus habitandi in alienis domibus salvâ earum substantiâ. In Jure Civili distinguitur ab usu domûs; qui enim solum usum haberet domûs, eam per se habitare teneretur; qui verò jus habitationis habet, non solùm in ea domo per se degere, sed etiam aliis eam locare potest: totâ locatarii vitâ perdurat, nisi aliter conventum fuerit, *Tom.* 3. *Tract.* 5. *c.* 2. *Sect.* 2. §. 2. *n.* 181.

Hæresis ad infidelitatem positivam reducitur & est hominis Christianismum profitentis error pertinax contra veritatem immediatè à Deo revelatam, & ab Ecclesia propositam, *Tom.* 3. *Tract.* 6. *part.* 3. *c.* 2. §. 1. *n.* 331. (Vid. *Apostasia.*)

Hæretici publici & manifesti non sunt propriè & verè in Ecclesia, *Tom.* 1. *Tract.* 3. *c.* 4. §. 3. *n.* 312. & *seq.* Solv. ob. *ibid. n.* 315. & *seq.* Hæretici occulti sunt in Ecclesia sed imperfectè dumtaxat, *ibid. n.* 322. Solv. ob. *ibid. n.* 324. & *seq.* Hæretici non habent Fidem Theologicam, *Tom.* 3. *Tract.* 3. *part.* 1. *c.* 4. *n.* 87. (Vid. *Fides.*) nec habent Spem, *ibid. part.* 2. *c.* 3. §. 2. *n.* 143. (Vid. *Spes.*) Disputatio de rebus Fidei cum Hæreticis prohibita est omnibus Laicis, excepto casu necessitatis, si Laicus sit doctus: hæc tamen prohibitio in locis, ubi Hæretici grassantur & Catholicis sunt permixti, per contrariam consuetudinem videtur esse abrogata: tamen jure naturali prohibita est talis disputatio cuilibet indocto, etsi Clericos. Item omnibus illicita est disputatio de rebus Fidei coram Catholicis indoctis & simplicioribus, *Tom.* 3. *Tract.* 6. *part.* 3. *c.* 2. §. 1. *n.* 337. Lectio librorum hæreticorum jure naturali iis interdicitur, quibus ex ea imminet periculum perversio-

in Hierarchia includuntur, scilicet Sacer Ordo, Scientia, & Actio: prior est sacra potestas, seu auctoritas à Deo ordinata ad perficiendos subditos: Scientia sunt divinæ illustrationes, motiones & alia charismata, quibus Hierarchia fit Deiformis veluti speculum purissimum radios divini luminis excipiens, ut in subditos transfundat: actio sunt functiones Hierarchicæ, *ibid. n.* 171. Hierarchiam sic descriptam in triplicem partitur Dionysius, scilicet in cœlestem seu Angelicam, Legalem, id est, Veteris Testamenti, & Ecclesiasticam seu Novi Testamenti, *ibid. n.* 172. Hierarchia Ecclesiastica ad Scholæ normam definiri potest potestas hominum Sacrorum ordinata debitum in subditos retinens principatum, *ibid. n.* 173. Existere hujusmodi humanam & Ecclesiasticam Hierarchiam velut de fide definivit Concilium Tridentinum, *ibid. n.* 175. Solv. ob. *ibid. n.* 176. & *seq.* constatque tribus Ordinibus, Episcopis scilicet, Presbyteris, & Ministris, *ibid. n.* 179. nomine Ministrorum veniunt Diaconi: an verò etiam eodem nomine intelligi debeant Subdiaconi & cæteri inferiorum Ordinum Ministri non est una omnium sententia, *ibid. n.* 180. imperfectè saltem & impropriè Hierarchici dici possunt, *ibid. n.* 181. Ad functiones Hierarchicas scientia est absolutè necessaria; quia sine scientia & actio reprehensibilis, & Ordo inutilis est; proindè ignorantia est irregularitas, circa quam nulla potest esse dispensatio, *ibid. c.* 2. §. *unic. n.* 212. Officium sive actus viri Hierarchici est 1mo. subditos purgare ab ignorantia, errore, & labe peccati; 2do. purgatos illuminare, ac sublimia docere, putà quæ sit mysteriorum nostrorum, v. g. Eucharistiæ Sacrificii excellentia & virtus, quæ dignitas adoptionis filiorum Dei, & quàm eximium donum gratia sanctificans, communicatioque Spiritûs Christi, ex quo procedere debent justorum opera; 3tio. illuminatos perficere, quod proprium est Episcoporum, qui ut plenitudinem Spiritûs sancti conferunt per Sacramenta Confirmationis & Ordinis, demonstrare debent excellentiorem viam iis, qui hujusmodi Sacramentis sunt vel initiandi vel jam initiati, *ibid. n.* 213. Hierarchicus nosse debet legem divinam & Evangelicam; item leges humanas tùm Ecclesiasticas, tùm Civiles, *ibid. n.* 214. & *seq.* (Vid. etiam *Tom.* 2. *Tract.* 2. *c.* 1. §. 7.)

Hieronymus (Sanctus) Quis? ejus Opera, *Tom.* 1. *Tract.* 4. *c.* 1. §. 2. *n.* 58. Novum Testamentum è Græco in Latinum transtulit, vel saltem emendavit, *Tom.* 1. *Tract.* 1. *part.* 1. *c.* 7. *n.* 111.

Hilarius Pictaviensis (Sanctus) Quis? ejus Opera, *Tom.* 1. *Tract.* 4. *c.* 1. §. 2. *n.* 46.

Hin vox hebræa, certum mensuræ genus significans, quod duos continet congios, *Tom.* 1. *Tract.* 1. *part.* 1. *c.* 8. *n.* 142.

Historia humana est narratio rerum quovis sæculo & ætate gestarum, & earumdem annotatio. Ecclesiastica vocatur, si res Ecclesiam præcipuè spectantes; Profana autem, si sæcularia præcipuè tractet, *Tom.* 1. *Tract.* 4. *c.* 2. *n.* 104. Historiæ sive profanæ sive Ecclesiasticæ cognitio Theologo perutilis, imò quodammodò necessaria est, *ibid. n.* 105. Regulæ, quibus veræ historiæ à fictis dignoscuntur, *ibid. n.* 106. & *seq.*

Historicus. Nullus Historicus præter Auctores sacros potest facere eam certitudinem, quæ fidem generet, *Tom* 1. *Tract.* 4. *c.* 2. *n.* 110. Historici gra-

mutilat, duplex ei damnum infert, unum personale seu naturale, quod in vitæ aut membrorum privatione consistit; aliud temporale, cujus species seu partes præcipuæ sunt 1mo. impensæ factæ in curatione ægri; 2do. lucrum cessans; 3tio. damna, quæ patiuntur hæredes aut alii, quibus boni aliquid præstabat aut præstare debeat occisus; *ibid. n.* 635. Quantùm ad damnum personale seu naturale probabilius videtur, quòd injustus occisor, seu qui alium injustè mutilavit, pro vita aut membro præcisè sumptis aliquid restituere teneatur, *ibid. n.* 636. & 637. quale autem pro vita & membro dandum sit pretium, id prudentum judiciô definiendum est, *ibid. n.* 638. (Vid. *Restitutio*) Damna temporalia resarcire tenentur injustus occisor, hæredibus (necessariis duntaxat) expensas, quæ in occisi curatione factæ sunt; cibos, quibus uti propter morbum coactus est, qui læsus fuit, iis tamen deductis, quos aliàs consumsisset; lucrum, quod ex operis suis percepturus fuisset, *ibid. n.* 639. item occisi creditoribus, quod prudenter judicari potest ab occiso restituendum fuisse, *ibid. n.* 640. idem occisor etiam restituere tenetur, etiamsi supplicium luat pro homicidio, *ibid. n.* 641. id etiam tenet, etsi occisus moriendo testetur se ei condonare, *ibid. n.* 642. imò etiam occisoris hæredes, in ejus defectum, tenentur ad restitutionem, *ibid. n.* 643. etiam ad restitutionem tenetur qui unum, putans esse alium, occidit, *ibid. n.* 644. is autem, qui occidit hominem paulò post ex infirmitate moriturum, vel justè à Judice occidendum, solùm tenetur pro operis vel lucris cessantibus secundùm breve tempus illud, quo supervicturus erat: si verò ille, quem occidit, ab alio injustè occidendus erat, tùm restitutionem totiûs præstare tenetur: similiter qui brachium alicui amputavit, qui paulò post non ex accepto vulnere, sed alia occasione mortuus est (nisi pactum, aut sententia Judicis præcesserit) solùm tenetur pro tempore, quo supervixit, *ibid. n.* 645. probabiliùs etiam is, qui in duello alterum occidit, tenetur ad restituendum tùm creditoribus, tùm uxori & filiis occisi, si indigent, eosque occisus ex quæstu alebat, *ibid. n.* 646. quoad æstimationem damnorum realium seu temporalium, quæ ex occisi morte consecuta sunt, spectanda est occisi conditio; item attendendum id, quod est in spe, non æquipollere ei, quod est in re, &c. *ibid. n.* 647. (Vid. *Irregularitas* ex delicto homicidii) Homicidium est impedimentum dirimens Matrimonium (Vid. *Matrimonium*)

Homo (vid. *Beatitudo*, *Corpus*, *Creatura*)

Honor est testificatio excellentiæ alterius facta per externam reverentiæ aut submissionis exhibitionem, *Tom.* 3. *Append. ad Tract.* 5. *c.* 3. *n.* 6. & 19.

Horæ Canonicæ, *Tom.* 3. *Tract.* 4. *c.* 2. *n.* 15. seu potiùs *Tract. de Statu Religioso c.* 11. *n.* 189. & *seqq.*

Hydria vasis genus ad continendam aquam destinatum, *Tom.* 1. *Tract.* 1. *part.* 1. *c.* 8. *n.* 138.

Hyperdulia (vid. *Adoratio*)

Hypocrisis, tertia vanæ gloriæ filia, est simulatio virtutis; estque peccatum mortale si habeat conjunctum vel contemptum virtutis, vel grave damnum proximi; item si simuletur sanctitas ob finem graviter repugnantem charitati Dei aut proximi: si autem absit contemptus virtutis, ac damnum proximi, vel honoris Dei, nec finis intentus graviter repugnet charitati, erit solùm veniale peccatum, *Tom.* 3.

est admittenda communicatio idiomatum in abstracto, proprietatum scilicet naturæ divinæ respectu humanæ; multò minùs proprietatum naturæ humanæ respectu divinæ, *ibid. n.* 255. Solv. ob. *ibid. n.* 256. *& seq.*

Idololatria est supremus ac divinus cultus creaturæ exhibitus, sive est actus, quo cultus supremus & soli Deo debitus tribuitur creaturæ. Est peccatum omnium gravissimum, *Tom.* 3. *Tract.* 6. *part.* 3. *c.* 3. *Sect.* 1. *§.* 1. *n.* 408. Idololatria est triplex; alia perfecta, qua quis divinum honorem idolo defert, quia illud esse Deum falsò putat; alia minùs perfecta, cùm quis creaturæ cultum externum soli Deo debitum defert, non credens quidem eam habere divinitatem quamdam, sed ex pravo affectu, v. g. ex odio veri Dei, vel cupiditate aliquid ab illa creatura, putà à Diabolo, obtinendi: hæc ob malitiam voluntatis est gravius crimen, quàm perfecta; & alia denique simulata; cùm scilicèt quis sine existimatione divinitatis ex interno affectu colendi, sed ex solo mortis metu supremum cultum creaturæ exteriùs solùm exhibet: est semper peccatum mortale, est etiam crimen læsæ Majestatis divinæ, est etiam mendacium perniciosum contra Religionem ac confessionem Fidei, cùm cultus exterior sit signum cultus interioris, *ibid. n.* 409.

Jechonias Rex Juda, *Tom.* 1. *Tract.* 1. *part.* 2. *Sect.* 1. *c.* 2. *n.* 250.

Jehu Rex Israel, *Tom.* 1. *Tract.* 1. *part.* 2. *Sect.* 1. *c.* 2. *n.* 234. Lib. 4. Reg. c. 10. non laudatur, quòd simulaverit se velle sacrificare Baal, sed solùm quòd domum Achab delevisset, & cultum Baal destruxisset, *Tom.* 3. *Tract.* 3. *part.* 1. *c.* 5. *§.* 3. *n.* 125.

Jejunium Ecclesiasticum est abstinentia à quibusdam certis & determinatis ciborum speciebus juxta præscriptum Ecclesiæ, *Tom.* 3. *Tract.* 5. *proœm. §.* 4. *n.* 16. Jure naturali & Ecclesiastico præcipitur, *ibid. n.* 17. Lex seu præceptum Ecclesiasticum jejunii Fideles in conscientia ligat, *ibid. n.* 18. Tempora jejunii ab Ecclesia destinata sunt Quadragesimale, quod est ex traditione Apostolica: quatuor anni tempora: & variæ vigiliæ festorum Domini & Sanctorum, *ibid. n.* 19. Omnes Fideles jejunii lege tenentur, nisi adsit justa causa, quæ ab ea lege quempiam eximat, *ibid. n.* 20. Undè à lege communis jejunii immunes sunt 1mo. pueri usque ad tertium septenarium, quia sunt in statu augmenti; 2do. peregrinantes & operarii propter gravem ipsorum laborem, nisi iter voluptatis gratiâ susceperint, aut labor differri possit sine detrimento, vel etiam gravis haud sit; 3tio. pauperes, qui ostiatim quærunt panem, nec habent quod uni justæ refectioni sufficiat; 4to. mulieres prægnantes & nutrices; 5to. Senes, cum viribus deficiunt; 6to. omnes generatim, qui sine gravi incommodo seu damno jejunare non possunt, *ibid. n.* 21. Unica, & continua, nec diu protracta in die refectio ad jejunium requiritur, *ibid. n.* 22. Cœnula seu collatiuncula, quæ præter dictam refectionem in diebus jejunii Ecclesiastici à Fidelibus sumi solet, consuetudine est introducta, & ab Ecclesia toleratur: quoad quantitatem debet esse modica, quoad qualitatem verò prohibentur ii cibi, qui valdè nutriunt, ut ova, pisces, legumina cocta, *ibid. n.* 23. Jejunium violat, qui immoderatè vel pluries vinum haurit extra refectionem, qui sumit jusculum, lac, vel similem potionem, quæ ad nutriendum principaliter ordinatur: item qui exiguum

vincibilis juris importat in rei alicujus possessione malam fidem, adeoque impedit præscriptionem, *Tom.* 3. *Tract.* 5. *c.* 2. *Sect.* 1. *§.* 3. *n.* 159.

Ildephonsus (Sanctus) Quis? ejus Opera, *Tom.* 1. *Tract.* 4. *c.* 1. *§.* 2. *n.* 82.

Imagines. Hæretici circa cultum & venerationem sacrarum imaginum, *Tom.* 2. *Append. ad Tract.* 3. *§.* 1. *n.* 2. & §. 4. *n.* 60. Prius ac licitus est sacrarum imaginum cultus, nec idololatriæ incusandus, *ibid. n.* 61. Solv. ob. *ibid. n.* 62. & *seq.*

Immensitas vi termini est illimitata Dei rebus omnibus præsentia: definitur *virtualis substantiæ divinæ diffusio, per quam res omnes pervadit ac penetrat, iisque per se se ac intimè adest tota absque ulla limitatione ac termino;* seu per quam apta est existere simul in omnibus locis ac spatiis possibilibus in infinitivum, & in infinitis re ipsa existeret, si re ipsa infinita extarent loca, *Tom.* 2. *Tract.* 1. *part.* 1. *c.* 3. *§.* 3. *n.* 58. (Vid. *Deus*)

Immutabilitas Dei ex vi nominis negativum aliquid sonat; attamen positivam eamque summam in Deo perfectionem arguit, per quam idem semper est, & in eodem statu immobiliter semper permanet, omninò incapax, qui perfectionem aliquam acquirat aut perdat, *Tom.* 2. *Tract.* 1. *part.* 1. *c.* 3. *§.* 4. *n.* 64. (vid. *Deus*)

Impanatio (vid. *Eucharistia*)

Impeccabilitas Christi (vid. *Christus*)

Impedimentum. Impedimenti nomen ita per se clarum est, ut explicatione non indigeat; est enim id, quod obest, ne quid fiat aut obtineatur: hujus nominis acceptio præcipuè usurpatur à Theologis & Juris-Consultis circa Matrimonium. (Vid. *Matrimonium*)

Impii. (Vid. *Fideles* in peccato mortali existentes)

Impossibile. Tripliciter aliquid impossibile esse potest, *simpliciter* nempe, *secundum quid*, & *moraliter*. Impossibile simpliciter est v. g. illud omne, quod non possumus sine aliquo auxilio quod nullatenùs est in nostra potestate: impossibile secundùm quid est v. g. illud omne, quod non possumus cum solis naturæ viribus, sed possumus cum auxilio gratiæ, quod vel habemus, vel in nostra est potestate, ut illud habeamus: impossibile moraliter est illud omne, quod non possumus nisi cum magna difficultate. Nullus Legislator sive Divinus sive humanus potest præcipere impossibilia *simpliciter*: Divinus pro supremo suo jure potest præcipere & præcipit aliqua impossibilia *secundùm quid*, sicut & aliqua *moraliter* impossibilia in sensu explicato: Humanus verò non potest præcipere *moraliter* impossibilia sine causa valdè gravi & urgente, *Tom.* 3. *Tract.* 2. *proœm. n.* 15.

Incarnatio Verbi. Stupendum simul ac summè necessarium imò primarium totius Christianæ Religionis Caput, Spei ac salutis nostræ fundamentum unicum est Incarnationis Dominicæ Sacramentum, *Tom.* 2. *Tract.* 3. *proœm. n.* 1. Porro Incarnationis nomine hîc intelligitur unio Verbi divini cum natura humana in unitate personæ, ex qua resultat Deus homo, nempe Christus: definiri igitur potest Incarnatio Primarium Religionis Christianæ mysterium, quo Verbum divinum assumsit naturam humanam veram & integram in unitatem personæ ad redimendum genus humanum, *ibid. n.* 3. & *c.* 5. *n.* 143. Incarnatio Verbi sic definita variis nominibus in Scriptura significari

nis à peccato fide certum est contra Pelagianos & Abaelardum, *ibid.* §. 2. *n.* 140. Igitur Incarnatio facta fuit ad liberandum hominem à peccato tùm originali tum actuali, *ibid. n.* 141. Explodenda videtur vana & futilis hæc apud Theologos quosdam agitata quæstio, an scilicet, si Adam non peccasset, Incarnatio Verbi facta fuisset nec ne; ut & illa, an ea facta fuerit principaliùs propter originale peccatum, quàm propter actualia, *ibid. n.*142.

Terminus Incarnationis sumtæ pro actione, per quam humana natura & divina conjunguntur in persona Verbi est compositum illud mirabile, quod *Christum* nuncupamus, *ibid. c. 6. n.* 267. Mysterium Incarnationis beatis Angelis fuit cognitum, *ibid.* §. 8. *n.* 365. Dæmones verò seu mali Angeli aliquando dubii & anxii videntur fuisse circa Christi divinitatem, *ibid. n.* 366. Adamo ante lapsum confusè saltem ac generatim cognitus fuit Messiæ adventus, quamvis illius finem ignoraret; at post lapsum suum paulò distinctiùs intellexit venturum Messiam culpæ Reparatorem, *ibid. n.* 367. Abrahamo longè clariùs promissus est Messias, ex cujus semine nasciturus prædicitur Gen. 22. v. 18. nempè ex Isaac, *ibid.* c. 26. v. 4. Clarissimè Messiæ promissio ac revelatio facta est, vaticinante Jacob Gen. 49. v. 10. *ibid. n.* 368. Nec Moysem mysterium istud latuit, *ibid. n.* 369. Denique tota gens Judaica potuit ac debuit hujus mysterii notitiam habere, *ibid. n.* 370. Nec etiam negari debet aliquos ex Gentilibus extitisse, qui compertum habuerunt hoc mysterium, *ibid. n.* 371. (Vid. *Christus, Verbum, Subsistentia, Unio hypostatica.*)

Incestus est copula personarum consanguinearum vel affinium intra gradum prohibitum: opponitur castitati & pietati, nam præter luxuriæ fœditatem continet turpitudinem contrariam reverentiæ consanguineis vel affinibus debitæ: eò gravius est scelus, quo gradus est propinquior: item multò gravior est incestus cum consanguinea, quàm cum affine. Incestus verò spiritualis, qui est copula illicita inter personas impeditas ob cognationem spiritualem ortam ex Baptismo vel Confirmatione, continet tùm malitiam propriam incestûs, tùm Sacrilegii, *Tom.* 3. *Tract.* 6. *part.* 3. *c.* 1. §. 4. *n.* 288.

Incuria salutis dicitur, qua quis media, quibus beatitudinem æternam obtinere possit, adhibere negligit: ad eam pertinet Abjectio animi, qua quis vellet bonis terrenis perpetuò frui, *Tom.* 3. *Tract.* 6. *part.* 3. *c.* 2. §. 2. *n.* 350. Ambæ sunt de se peccata mortalia, *ibid. n.* 351.

Indefectibilitas Ecclesiæ considerari potest vel quoad durationem temporis, quæ *permanentia* dicitur; vel quoad fidei constantem professionem, quæ solet appellari *infallibilitas* seu *inerrantia* in fidei & morum doctrina sancienda, *Tom.* 1. *Tract.* 3. *c.* 2. §. 7. *n.* 185. (Vid. *Ecclesia.*)

Indignatio est animi commotio contra alium ob malum ab illo acceptum, quia hoc indignum reputat: sæpè est venialis, mortalis verò ratione maledicti, contumeliæ, gravis odii, contemptûs, vindictæ, vel scandali, *Tom.* 3. *Tract.* 6. *part.* 3. *c.* 1. §. 5. *n.* 317.

Indulgentia. Varia apud Veteres est hujus beneficii acceptio: vocatur à S. Cypriano *relaxatio*; à posteriorum Sæculorum Patribus & Conciliis plerumque dicitur *remissio, donatio, condonatio*; à Paciano contra Novatianos, & à Gregorio VII. *Indulgentia*; denique à Concilio Triden-

bitam, *ibid.* §. 5. *n.* 458. Indulgentiæ prosunt animabus in purgatorio detentis, *ibid. n.* 459. & 460. Solv. ob. *ibid. n.* 463. & *seq.* Sed per modum suffragii tantùm, non verò per modum absolutionis Judiciariæ, *ibid. n.* 461. Quò Indulgentiæ defunctis prosint 1mo. debent specialiter in forma concessionis ad illos extendi; 2do. verisimilius est Indulgentias infallibiliter valere pro iis defunctis, pro quibus specialiter applicantur à Fidelibus, idque propter pactum Dei cum Christo initum, & propter promissionem Christi absolutè factam Petro & ejus Successoribus Matth. 16. *ibid. n.* 462. Ad fructum Indulgentiarum consequendum requiritur 1mo. status gratiæ saltem cùm ultimum opus completur, *ibid.* §. 6. *n.* 466. 2do. integra executio omnis boni operis à Pontifice præscripti, *ibid. n.* 467. 3tio. ad consequendam plenariam omnium peccatorum etiam venialium requiritur detestatio illorum omnium, & depositio affectûs ad quodlibet eorum, *ibid. n.* 468 4to. juxta quosdam propositum & sollicitudo satisfaciendi Deo per satisfactiones congruas peccatis ae facultati pœnitentis proportionatas ita, ut ex proportione hujus sollicitudinis tanquam dispositionis ad Indulgentiæ effectum necessariæ percipiatur major vel minor Indulgentiæ fructus: verùm alii negant tale propositum requiri, *ibid. n.* 469. Indulgentiæ sine justa causa eaque rationabili concessæ irritæ sunt & nullæ, *ibid.* §. 7. *n.* 470. Porrò causæ justæ & legitimæ concedendi Indulgentias sunt 1mo. hæc generalis, ut scilicet cunctorum Fidelium augeatur devotio, Fides splendeat, Spes vigeat, Charitas vehementiùs incalescat; 2do. Magnitudo doloris & acerbitas tristitiæ in pœnitente ob diutiùs dilatam ejus cum Ecclesia reconciliationem; 3tio. Ardens studium exequendi pœnitentiam injunctam, cujus intuitu tempus pœnitentiæ interdùm fuit contractum; 4to. Difficultas exequendi pœnitentiam injunctam, seu propter longinquum iter, seu propter infirmitatem; 5to. Infidelium conversio; hæresum extirpatio; pax & tranquillitas Reipublicæ Christianæ; bellum sacrum ad recuperandam terram sanctam; Basilicarum constructio; pauperum, viduarum, Ministrorum Ecclesiæ sustentatio, &c. *ibid. n.* 471. Ad valorem Indulgentiæ requiritur causa proportionata Indulgentiæ illius, quæ conceditur, nempè major causa pro majori Indulgentia, *ibid. n.* 472. Cæterùm ad proportionem causæ cum Indulgentia non requiritur, ut opus injunctum sit in se valdè meritorium vel satisfactorium, difficile ac pœnale, & laboriosum; sed ut sit medium aptum atque utile ad consequendum finem, cujus gratiâ conceditur Indulgentia, *ibid. n.* 473. Solv. ob. *ibid. n.* 474. & *seq.* Multiplex est Indulgentiarum divisio: dividuntur quippe in plenarias & partiales; temporales & perpetuas; in eas, quæ dicuntur Jubilæi, & eas, quæ ad instar Jubilæi conceduntur, *ibid.* §. 8. *n.* 479. & *seq.*

Infamia est obscura notitia cum vituperatione & reprehensione, *Tom.* 4. *Tract.* 7. *part.* 3. *c.* 4. §. 3. *n.* 334. Generatim duplex est, *Juris* scilicet, quæ oritur ex Jure seu Lege civili aut canonica, quæ certis quibusdam actionibus vel officiis infamiæ notam inurit; & *Facti*, quæ oritur ex delicto gravi & notorio, propter quod reus apud graves & honestos viros malè audit, *ibid.* Nulla pœna à Judice Ecclesiastico Inflicta præcisè ac directè inducit infamiam saltem quoad effectus civiles, benè autem indirectè; inducit autem directè infamiam quoad effectus spirituales, *ibid. n.* 335. Nec etiam quævis mulcta aut pœna à Judice sæculari

seu Evangelium non vult audire, vel sufficienter propositæ non assentitur, vel non inquirit quando sufficienter est proposita ita, ut teneatur inquirere, quamvis nec positivè dissentiat, nec errorem fidei aut Evangelio contrarium asserat; est peccatum mortale, *ibid. n.* 329. Infidelitas positiva est privatio fidei in eo, qui Evangelium sufficienter audivit, & ei positivè contradicit, vel errorem eidem contrarium asserendo, vel alio modo; est peccatum mortale contra Fidem, *ibid. n.* 330.

Infinitas vi nominis est carentia termini & finis: negativum quid sonat, attamen summam eamque positivam arguit in Deo perfectionem, *Tom.* 2. *Tract.* 1. *part.* 1. *c.* 3. §. 2. *n.* 54. (Vid. *Deus*)

Inimicus. Inimici ex Charitate diligi debent, *Tom.* 3. *Tract.* 3. *c.* 4. §. 4. *n.* 286. & 287. Charitas seu amor inimico debitus plura exigit ex parte nostra, *ibid. n.* 288. & *seq.* Specialia benevolentiæ signa & beneficia non tenemur præstare inimicis per se loquendo, *ibid. n.* 291. benè autem per accidens & ob quasdam circumstantias, *ibid. n.* 292. Tenemur inimico veniam petenti non solùm offensam remittere, sed etiam benevolentiæ & reconciliationis signa exhibere saltem ut plurimùm, *ibid. n.* 293. & 294. Tenemur inimicis in necessitate sive spirituali, sive corporali opitulari, &c. *ibid. n.* 295. Qui alterum injustè offendit, tenetur veniam petere, *ibid. n.* 296. Non tenemur inimico remittere satisfactionem debitam, ut honoris, famæ, &c. *ibid. n.* 297. At cavendum ne in hujusmodi injuriarum actionibus appetitus propriæ vindictæ subrepat, *ibid. n.* 298. Æquam ad arbitrium prudentum satisfactionem ab inimico oblatam acceptare tenemur ex charitate, *ibid. n.* 299. Vindicta seu redditio mali pro malo privata auctoritate facta semper est illicita, *ibid. n.* 300.

Injustitia. Injustitiæ nomen vel latè sumitur, scilicet pro omnis legis violatione, quo sensu peccatores cujuscumque generis sæpè in sacra Scriptura vocantur injusti: vel strictè & propriè, prout nempè opponitur Justitiæ strictè sumptæ; quæ Injustitia, si consideretur ut *habitus*, definiri potest prava voluntatis dispositio ex actibus injuriosis orta & ad similes actus inclinans; si verò ut *actus*, voluntaria juris alieni violatio, *Tom.* 3. *Append. ad Tract.* 5. *proœm. n.* 477. Objectum ipsius est jus alterius prout violatur, *ibid. n.* 478. Injustitia alia est contra Justitiam generalem, alia contra Justitiam particularem: sed ratione materiæ est triplex pro triplici genere damnorum, quæ proximo inferri possunt in bonis animæ, corporis, & in iis, quæ externa dicuntur, seu famæ & honoris sint, seu fortunæ, *ibid. n.* 479. (Vid. *Bona*)

Inobedientia formalis scilicet & specialis, prima vanæ gloriæ filia, est peccatum, quo violatur præceptum Superiorum ex contemptu, sive quia præceptum est: est mortalis etiam in re minima. Violatio autem præcepti non ex contemptu, sed ex alio motivo, putà ob delectationem, vel utilitatem, aut difficultatem est inobedientia generalis pertinens ad aliam speciem peccati, proindè vanæ gloriæ non deputatur: est mortalis vel venialis, prout præceptum, quod violatur, sub mortali vel veniali obligat, atque etiam prout motivum graviter vel leviter malum est, cùm actus participet malitiam finis, utpotè per eum voliti, *Tom.* 3. *Tract.* 6. *part.* 3. *c.* 1. §. 1.

Intentio etiam interpretativa dicitur, qua quis rem aliquam vult non in se, sed in sua causa; sic interpretativam homicidii intentionem habet, qui sciens se in ebrietate solitum esse homines occidere, se inebriat. De absoluta & conditionata Intentione vid. *Sacramentum*, ubi de forma Sacramentorum.

Intentio *finis* est ea, qua quis intendit virtutem & effectum actionis suæ, putà sanctificationem suscipientis Sacramentum, *ibid. n.* 172 (Vid. *Sacramentum.*)

Interdictum definitur Censuræ species, qua Ecclesia, vel omninò vel ex parte, Sacramentorum usum, divinorum Officiorum celebrationem, & sepulturam Ecclesiasticam interdicit, aut propter aliquod grave facinus, aut propter indecentiam notabilem, *Tom. 4. Tract. 7. part. 2. c. 3. §. 3. n.* 159. Triplex generatim distinguitur Interdictum, locale scilicet, personale, & mixtum: locale directè cadit in locum, ac impedit, ne in eo divina Officia, saltem publicè, celebrentur, & ne quis in eo sepulturâ donetur; estque vel generale v. g. Regni, Provinciæ, Civitatis; vel speciale, alicujus nempè Ecclesiæ. Personale in ipsas cadit personas. Mixtũ ex locali & personali constat, & directè afficit tùm locũ tum personã, *ibid. n.* 260. Interdictum personale non debet ferri in Societatem propter privati hominis culpam, sed solùm propter delictum Communitatis aut Superioris. Hæc vulgò in generali Interdicto licent: baptizare infantes, pœnitentes reconciliare, Viaticum & Extremam Unctionem moribundis ministrare, sed non publicè. Interdicti generalis tempore potest Missa semel per hebdomadam in Parochiali Ecclesia celebrari, sed submissa voce sine campanarum sonitu, exclusis iis, qui sunt interdicti, clausóque Ecclesiæ ostiô, idque in Dominica propter diei solemnitatem, & ut simul renoventur hostiæ in gratiam ægrotorum. Permittunt aliqui Canones in hisce generalibus Interdictis, dum Ecclesiæ non sunt nominatim interdictæ, ut in præcipuis anni festivitatibus Officium divinum solemni ritu peragatur, ea semper lege, ut interdicti extra Ecclesiam remaneant. Licèt Ecclesia sit interdicta, possunt Clerici in ea, clausis janius orare & Officium recitare, sed absque cantu & cæremoniis, atque ita, ut nihil extra Ecclesiam audiatur. Si Interdictum sit personale, quando nominatur populus, non censentur interdictus Clerus, sicut nec Ecclesia. Si nominentur Ecclesiæ tantùm, potest alibi populus Missæ & Officiis adesse, & Sacramentis participare. Si Ecclesia sit interdicta, Capellæ, Claustrum, & Cœmeterium, si contigua sunt, interdicta censentur. Interdictô autem solummodò cœmeteriô Ecclesia interdicta non censetur. Si interdicti Ecclesiam intrare præsumant dum in ea celebratur Officium, & admoniti discedere nolint, cessandum est ab ipsa etiam Missa, nisi Canon jam inceptus sit; tunc autem post Communionem Sacerdos ab Altari recedere debet, & Missam in Vestiario complere. Servari non debet Interdictum, nisi legitimè promulgatum fuerit. Interdictum, quod ab Episcopo latum est, promulgatum servare tenentur Regulares etiam Exempti. Episcopi Interdictum servare non tenentur, nisi expressè nominentur. Si Laici Interdictum violent, peccant mortaliter: Clerici insuper fiunt Irregulares, si Ordinis sui fun-

Invidia est tristitia seu vehemens mœror de bono alieno, quatenùs videtur imminuere gloriam vel excellentiam nostram, quia nempè in eo bono à proximo nostro æquamur vel superamur. Ad eam revocatur gaudium de malo alieno, quatenùs id bonum invidentis æstimatur: mortalis est ex suo genere. Invidia sumpta pro habitu est vitium inclinans ad talem tristitiam, & ad prædictum gaudium, *Tom.* 3. *Tract.* 6. *part.* 3. *c* 1. *§.* 6. *n.* 319. Invidia seu tristitia de bono alieno potest contingere quatuor modis; imò. cùm quis dolet de bono alicujus, quantùm ex eo sibi vel aliis damnum timet: talis tristitia est licita, si indè timeas malum injustè inferendum; secus est illicita: 2do. cùm quis dolet de bono alteriùs solùm ex eo, quòd sibi desit bonum illud, ita tamen, ut minimè cupiat alterum illo carere; & hoc non est invidia sed æmulatio, quæ si sit circa bona spiritualia & honesta, laudabilis est; si autem sit de bonis temporalibus, potest esse cum culpa & sine culpa, prout bonum est dolenti proportionatum & necessarium vel improportionatum & superfluens, & prout refertur ad bonum vel malum finem: 3tio. Cùm quis dolet de bono alterius, quia is eo indignus est; quæ tristitia mortalis est, si sit de bonis supernaturalibus, vel si quis Dei providentiam arguat, quòd peccatoribus bona temporalia largiatur, & bonos affligat; nam est blasphemia: 4to. cùm quis dolet de bonis alicujus, in quantùm alter æquat aut superat ipsum in bonis illis; hoc est propriè Invidia, semperque peccatum, *ibid. n.* 320. Invidiæ filiæ sunt Odium, Detractio, Gaudium in malis proximi, Susurratio, *ibid. n.* 321. Invidiæ remedia præter orationem sunt: 1mo. considerare te non ideò minùs habere, invidiam invidenti nihil prodesse; &c. 2do. sæpè gaudere de bono proximi; 3tio. gratificari ei, cui invides, illum laudare, orare Deum pro ejus bono, & gratias Deo agere propter beneficia ab eo in ipsum collata, &c. 4to. humilitas & contemtus gloriæ ac honoris humani, *ibid. n.* 322.

Invocatio Sanctorum (Vid. *Sancti*)

Involuntarium (Vid. *Voluntarium*)

Joachaz Rex Juda, *Tom.* 1. *Tract.* 1. *part.* 2. *Sect.* 2. *c.* 2. *n.* 248.

Joannes Apostolus (Sanctus) Quis & undè oriundus, quibus Evangelium suum prædicavit, *Tom.* 1. *Tract.* 1. *part.* 2. *Sect.* 2. *c.* 1. *n.* 597. & 598. Quæ sustinuerit, *ibid. n.* 599. & 600. Quo anno & quibus rationibus permotus scripserit Evangelium suum, *ibid. n.* 601. & 602. Num historia mulieris adulteræ verè partem Evangelii ipsius constituat, *ibid. n.* 603. cur in aliquibus Græcis exemplaribus omissa sit, *ibid. n.* 604. Difficultates in eo occurrentes explanantur, *ibid. n.* 605. Tres etiam numerantur apud nos hujus S. Apostoli Epistolæ: prima ad Parthos est directa; quid contineat; cui semper adscripta fuit, *ibid. c.* 3. *n.* 676. An hæc verba: *tres sunt qui testimonium dant in cœlo, &c. c.* 5. *v.* 7. verè S. Joannis sint, & ad hujus Epistolæ contextum pertineant, dubium aliquod extitit, & etiamnum apud quosdam existit, *ibid. n.* 677. nihilominùs & S. Joannis Apostoli & ad ipsum textum pertinere dicenda sunt, *ibid.* 678. & *seq.* Solv. ob. *ibid. n.* 683. & *seq.* Secunda inscripta est ad Matronam quamdam nomine Electam: fortè nomen istud symbolicè adhibitum est ad Ecclesiam alteri Ecclesiæ litteras dantem contegendam, *ibid. n.* 688. Quid ipsa contineat, *ibid. n.* 689. Tertia ad Cajum scripta est;

juris nemo censendus est irregularis; at in quolibet probabili dubio facti debet aliquis se gerere irregularem, *ibid. n.* 320. Irregularitas dividitur 1mo. in eam, quæ est *ex defectu*, & eam quæ est *ex delicto*; prior est ea, quæ fundatur in aliquo defectu absque propria culpa; altera est, quæ fertur propter indecentiam fundatam in propria culpa: 2do. in *totalem* & *partialem*; prior est ea, quæ perpetuò excludit à quolibet Ordine suscipiendo vel exercendo; partialis verò est ea, quæ vel non durat in perpetuum, vel non omni Ordinis ministeriô privat, sed aliquo tantùm. Ad incurrendam Irregularitatem ex delicto requiritur 1mo. ut delictum sit grave & mortale; 2do. actus externus; non tamen necesse est, ut delictum sit cum contumacia contra Ecclesiam, *ibid. n.* 321. Triplex est effectus Irregularitatis; 1mo. impedit susceptionem Ordinum & Tonsuræ Clericalis; 2do. privat usu Ordinum, omnium quidem, si sit totalis, quorundam verò duntaxat, si sit partialis; 3tio. inhabilem reddit ad quodlibet beneficium recipiendum, si nempè sit totalis, ita, ut collatio sit ipso jure nulla & irrita, *ibid. §.* 2. *n.* 322. Irregularitas totalis præcedens adeptionem Beneficii inhabilem reddit ad exercitium jurisdictionis ordinariæ huic Beneficio annexæ, non autem delegatæ: quæ autem supervenit Beneficio obtento non privat usu jurisdictionis ordinariæ, si sine usu Ordinis exerceri potest. Qui Irregularitatem, quam fortè incurrit, violat, peccat graviter, nisi excuset necessitas, *ibid. n.* 323. Novem numerantur species Irregularitatis *ex defectu*, scilicet ex defectu animæ; ex defectu corporis; ex defectu natalium; ex defectu famæ; ex defectu ætatis; ex defectu obligationis; ex defectu Sacramenti; ex defectu lenitatis; & ex defectu libertatis, *ibid. §.* 3. *n.* 324. Irregularitatem ex defectu animæ triplex animi defectus inducit, scilicet defectus rationis usûs; scientiæ, qualem sacri Canones requirunt, & defectus fidei confirmatæ, *ibid. n.* 325. Quantùm ad Irregularitatem ex defectu corporis primis Ecclesiæ Sæculis defectus corporis, modò ex delicto non essent, Irregularitatem non inducebant: at Sæculis sequentibus, cùm scilicet refriguit charitas, nec ea esset virtus in iis, qui corpore vitiati erant, quæ deformitatem illius vinceret, Ecclesia post quartum Sæculum hanc Irregularitatem induxit, *ibid. n.* 328. Irregularitas igitur ex defectu corporis inducitur, si ille talis sit, ut vel impediat decentem Ordinis executionem, vel notabilem deformitatem inducat, aut scandalum, horrorem, vel contemptum personæ generet. Ejusmodi corporis defectus quadruplicis sunt generis; 1mo. enim Irregularis est, qui ex tali defectu inhabilis redditur ad munus Sacerdotale; 2do. qui horrorem & scandalum generat; 3tio. qui cum nimia difficultate & indecenter munus Sacerdotale peragit; 4to. qui notabiliter est deformis: in dubio nùm deformitas aut indecentia Irregularitatem inducat, standum est Episcopi judicio, *ibid. n.* 329. Vitia corporis occulta Irregularitatem non inducunt, nisi talis defectus ex propria culpa ortus sit, & nisi quis sit Hermaphroditus, *ibid. n.* 330. Ex defectu natalium Irregulares sunt omnes filii illegitimi, excipe natum ex Matrimonio nullo ob impedimentum dirimens, sed tamen bona fide unius saltem partis in facie Ecclesiæ celebrato, *ibid. n.* 331. Quatuor modis tolli potest hæc Irregularitas 1mo. per solemnem Religionis professionem, quoad Ordines dumtaxat, non verò quoad Prælaturas & Dignitates sive intra sive extra

tatem contrahere censentur ex Jure Canonico Accusator, qui, non satisfactionem dumtaxat, sed vindictam petit; Advocatus seu Procurator, qui Accusatori patrocinantur; Testes; Scriba seu Notarius; Judex, qui sententiam pronuntiat; denique Carnifex, qui eam exequitur, & ii omnes, qui operam suam ipsi præstant, &c. *ibid. n.* 347. Ut hi omnes incurrant Irregularitatem ex defectu lenitatis requiritur 1mo. ut mors vel mutilatio Rei de facto sequatur; 2do. ut cooperatio ad mortem sit voluntaria saltem in susceptione Officii; undè qui cooperantur causæ sanguinis v. g. accusando, testificando, &c. quandò ad hoc obligantur lege charitatis, vel obedientiæ, vel justitiæ, non incurrunt Irregularitatem; 3tio. ut cooperatio sit justa, si enim injusta foret, Irregularis foret non tàm ex defectu lenitatis, quàm ex delicto homicidii, *ibid. num.* 348. Clerici jurisdictionem temporalem habentes non incurrunt Irregularitatem, quando leges pœnales ferunt contra malefactores in genere, vel quandò Clericum degradatum tradunt Judici sæculari, tametsi Reus subindè pœnâ capitis mulctetur, vel Officialibus suis mandant, ut de homicidio aut alio crimine inquirant, *ibid. n.* 349. Medici & Chirurgi, qui artis suæ regulas secuti vel consulunt, vel exequuntur mutilationem, Irregularitatem non incurrunt, nisi ex gravi culpa eorum homo deformaretur, vel interiret; in dubio se ut Irregulares gerere debent, *ibi. n.* 350. Clericis extra casum necessitatis sub Irregularitate prohibetur mutilationem vel adustionem membri alicujus imperare vel exequi, *ibid. n.* 351. Qui pugnant in bello evidenter injusto, atque in eo militant, fiunt Irregulares, etiamsi propriis manibus non occiderint nec mutilaverint; pariter & ii, qui in bello justo propria manu occidunt vel mutilant; secùs non, nisi dubitent, *ibid. n.* 352. Irregularitas ex defectu libertatis contrahitur 1mo. à Conjugatis, qui sine consensu uxorum castitatem vovent, atque ad Ordines promoveri non possunt; 2do. à Servis, hoc est, Mancipiis, qui sui potestatem non habent, nec ordinari possunt, nisi priùs à Dominis suis libertate donati fuerint, *ibid. n.* 353.

Irregularitatum, quæ ex delicto nascuntur, quatuor sunt species, nempè ex delicto hæresis, ex iteratione Baptismi, ex indebita Ordinis susceptione vel usu, & ex homicidio voluntario, *ibid. §.* 4. *n.* 354. Irregularitas ex delicto hæresis contrahitur ab Hæreticis, Apostatis, Schismaticis, & eorum fautoribus, *ibid. n.* 355. Irregulares ex iteratione Baptismi sunt, qui rebaptizant, aut rebaptizanti ministrant, item qui voluntariè & extra casum necessitatis ab Hæretico se baptizari sinit; non tamen ii, qui sub conditione sive expressâ, sive tacitâ, Baptismum iterant, ubi scilicet graviter dubitatur de validitate Baptismi priùs peracti, *ibid. n.* 375. Irregularitas ex indebita Ordinis susceptione vel usu contrahitur 1mo. ab iis, qui furtivè ac fraudulenter Ordines suscipiunt; 2do. qui majori excommunicatione ligati eosdem suscipiunt, *ibid. n.* 357. 3tio. qui interdicti vel suspensi Ordinem sacrum recipiunt, si Officium Ordinis sic suscepti exerceant, *ibid. n.* 358. Minor excommunicatio Irregularitatem non parit, *ibid. n.* 359. Irregularitatem etiam incurrit, qui scienter & solemniter ministrat in Ordine Sacro, quem non habet, *ibid. n.* 360. & 361. eam quoque contrahit, qui ligatus aliquâ censurâ, excepta minori excommunicatione, functiones Ordinum exercet, *ibid. n* 362. Irregularitatem ex delicto homicidii con-

fectus infamis, vel derisus graviter contristatur, aut contemnitur, *Tom.* 3. *Append. ad Tract.* 5. *part.* 2. *c.* 3. *§.* 1. *n.* 634. (Vid. *Detractio*)

Irritatio Legis est cùm Lex, etiamsi lata fuerit, fit nulla & invalida, antequam recipiatur. Lex humana irritatur, vel cùm propter contrariam consuetudinem ab hominibus sapientibus & fidelibus executioni non mandatur, vel cùm in Legislatore defuerunt potestas aut voluntas. Nota non omne, quod illicitum est, esse irritum, licèt aliqua illicita sint irrita, *Tom.* 3. *Tract.* 2. *part.* 2. *c.* 1. *Sect.* 5. *§.* 4. *n.* 59.

Irritatio Voti alia est directa, indirecta alia: prior extinguit prorsùs votum, hæc verò afficit dumtaxat materiam voti, ipso voto illæso & permanente; undè est potiùs suspensio executionis voti, quàm illius extinctio, *Tom.* 3. *Tract.* 4. *c.* 3. *§.* 7. *n.* 150. (Vid. *Votum*)

Irritatio Juramenti (Vid. *Juramentum*)

Isaias Propheta; Quis, & quando propheticum munus susceperit; quamdiu prophetaverit, & quo mortis genere obierit *Tom.* 1. *Tract.* 1. *part.* 2. *Sect.* 1. *c.* 4. *n.* 473. & 475. Liber ipsius quid contineat, *ibid. n.* 496. Velut divinus & Canonicus ab omnibus semper habitus est, *ibid. n.* 470. Solv. ob. *ibid. n.* 472. & 473.

Isidorus (Sanctus) Quis? ejus Scripta, *Tom.* 1. *Tract.* 4. *c.* 1. *§.* 2. *n.* 80.

Judas Apostolus (Sanctus) Quis, & quibus Evangelium annuntiarit, *Tom.* 1. *Tract.* 1. *part.* 2. *Sect* 2. *c.* 3. *n.* 693. quo mortis genere obierit, *ibid. n.* 694. unica est ejus Epistola in Ecclesia habens auctoritatem; ad quos scripta fuerit, & quo tempore, *ibid. n.* 695. An Canonica esset veteres nonnulli hæserunt, cur, *ibid. n.* 696. sed velut Canonicam Concilia, Patres, ac universim omnes suscipiunt, *ibid. n.* 697. Undè Judas ea, quæ tùm de Henoch, tùm de Moyse in illa loquitur, habuerit, *ibid. n.* 698.

Judices in Veteri Testamento. Qui post mortem Josuë deinceps usque ad Saulem primum Hebræorum Regem Israëlitis præfuerunt, Judices sunt appellati, *Tom.* 1. *Tract.* 1. *part.* 2. *Sect.* 1. *c.* 2. *n.* 217. Quandoque à Deo excitati, interdùm verò à populo electi fuerunt, *ibid. n.* 218. eorum auctoritas Regum imperio haud impar erat; quanto tempore duraverit, *ibid. n.* 220. eorum Chronologia, *ibid. n.* 221. Quis Judicum Libri Auctor, *ibid. n.* 222. Solv. ob. *ibid. n.* 223. & 224.

Judicium de credibilitate Fidei (Vid. *Credibilitas*, *Fides*)

Judicium temerarium est mentis assensus sine sufficienti fundamento circa rem aliquam præstitus, qui, si sit cum formidine oppositi, dicitur *opinio*, si sine tali formidine, est & vocatur *judicium firmum*, *Tom.* 3. *Append. ad Tract.* 5. *part.* 2. *c.* 3. *n.* 761. Judicium temerarium, si verè tale sit, & fiat cum sufficienti advertentia, necnon circa gravem materiam versetur, est peccatum mortale etiam contra justitiam, *ibid. §.* 5. *n.* 704. si verò tale non sit, sed mentale dumtaxat contra proximum, potest aliquando vel nullum esse peccatum, vel veniale tantùm; ut 1mo. cùm temeritas non est notabilis; 2do. cùm deest sufficiens advertentia: imò nullum erit peccatum, si fiat ex sola mentis promptitudine; 3tio. cùm deest materia gravis & sufficiens ad peccatum sive mortale sive veniale, *ibid. n.* 705.

Judith,

Regu-

Regulæ circa juramenti interpretationem hæ sunt: 1ma. Quoties aliquis certus est de intentione, quam in jurando habuit, tunc in foro conscientiæ nulla opus est interpretatione, *ibid.* ∫. 5. *n.* 214. 2da. Juramentum judicandum est juxta naturam actûs, cui adjungitur, *ibid. n.* 215. 3tia. Juramentum quoad obligationem suam strictè est interpretandum, quantùm ejus materia & verba promissionis permiserint, *ibid. n.* 216. 4ta. Juramentum interpretandum est juxta conditiones eidem ex communi prudentum sensu affixas, *ibid. n.* 217.

Causarum, quæ impediunt, ne juramenti obligatio contrahatur, aliæ se tenent ex parte materiæ, ut si res, de qua juratur, sit impossibilis, aut peccatum involvat, vel si sit de re prorsùs otiosa; aliæ se tenent ex parte personæ jurantis, & sunt duæ, scilicet defectus libertatis, & resistentia legum, *ibid.* ∫. 6. *n.* 218. Causæ, quæ efficiunt, ut juramentum promissorium obligare desinat, quinque solent recenseri: 1ma. Notabilis mutatio materiæ, *ibid. n.* 219. 2da. Remissio seu condonatio, nisi alicui jurata fuerit promissio principaliter intuitu Dei, *ibid. n.* 220. 3tia. Commutatio; differt hæc ab Irritatione & Dispensatione, quòd Irritatio obligationem tollat absque ulla causa; Dispensatio verò obligationem quidem tollat, sed non sine justa causa; Commutatio autem non tollat omninò obligationem, sed sub eodem juramenti vinculo unam materiam pro alia surroget. Commutatio juramenti, quod in favorem alterius factum est & ab eo acceptatum, nec à jurante, nec à Superiore fieri potest etiam in aliquid melius. Juramenta in honorem Dei facta non possunt in quid minus mutari aliâ, quàm Superioris, auctoritate. Summus Pontifex in tota Ecclesia, Episcopus verò quilibet in sua Diœcesi juramenta in quid minus commutare potest, nisi hæc sint Sedi Apostolicæ reservata, *ibid. n.* 221. 4ta. Irritatio facta auctoritate illius, qui jus habet in alterum, *ibid. n.* 222. (Vid. *Votum*) 5ta. Dispensatio facta à Superiore Ecclesiastico legitimam potestatem habente; quæ non valet, nisi justa subsit ejusdem concedendæ ratio, si juramentum confirmet promissionem tertio cuidam factam, nisi interveniat boni communis ratio. Promissio jurata absenti facta & necdum ab eo acceptata à Superiore relaxari non potest saltem sine gravi causa, *ibid. n.* 223.

Jurisdictio, alia est ordinaria, alia delegata; prior est quæ competit personæ v. g. Episcopo, Parocho, ratione statûs ac muneris; altera quæ conceditur ei, cui cura aliorum ex officio non incumbit, ut facultas prædicandi, excipiendi confessiones, ei concessa, qui Pastor non est. Aliquando delegatur jurisdictio simul cum dignitate ita, ut delegatus vice delegantis constituatur, ut Prorex aut Proconsul in politicis, Vicarius Generalis, Officialis, Pœnitentiarius Episcopi in regimine Ecclesiastico; aliquando verò sine dignitate, ut si quis deputetur ad speciale quoddam officium, putà ad concionandum, &c. *Tom.* 4. *Tract.* 7. *part.* 2. *n.* 174. & *ibid. Tract.* 5. *c.* 6. ∫. 2. *n.* 331. & *seq.* (Vid. *Potestas*, *Pœnitentia*) Quid sit Jurisdictio. *ibid.*

Jus. Juris nomen sex præcipuè modis sumitur: 1mo. pro Arte Juris seu Jurisprudentia; 2do. pro loco, in quo Jus dicitur; 3tio. pro Judicis sententia; 4to. pro Lege, quæ est regula, qua diriguntur actiones Justitiæ, quo sensu Jus dividi solet in Jus naturale, &

den-

dentalis per quatuor priora Sæcula continebat solos Nicænos Canones; post quartum Sæculum etiam complexus est decreta Conciliorum Orientalium, seu collectionem, quæ apud Orientales dicebatur Codex universæ Ecclesiæ: eidem Codici posteà inserti sunt suprà memorati 50 Canones, qui dicuntur Apostolici, Synodi Sardicensis Canones viginti quinque; Concilii Africani Canones centum triginta octo; Constantinopolitani I. Canones tres, Calcedonensis viginti septem; Decretales Epistolæ Summorum Pontificum à Siricio usque ad Hormisdam. Circa annum 781. prodiit alia collectio, quam Riculphus Moguntinus ex Hispania attulit sub nomine Isidori Hispalensis: complectebatur, præter Codicem Dionysianum, decreta ad disciplinam spectantia, quæ Romani Pontifices usque ad Siricium tulisse dicebantur. Annô 1010. Burchardus easdem Romanorum Pontificum, qui ante Siricium vixerant, Epistolas Decretales novæ suæ Collectioni inseruit; & annô 1100. Yvo Carnotensis Operi à se adornato multa ex Digestis, Codice & Novellis addidit, proindeque Codicem composuit, qui tùm ex Canonibus, tùm ex Legibus Civilibus constaret, *Tom.* 3. *Tract.* 2. *part.* 2. *c.* 2. *§.* 1. *n.* 267. Annô 1150. prodiit Decretum Gratiani Monachi Benedictini Bononiensis. Addidit hic Auctor Isidori Collectioni ea, quæ ab Yvone collecta fuerant, & prætereà plurium veterum Patrum loca laudavit. Opus istud in tres divisit partes: 1ma. Distinctiones 101. continet, in quibus agit de jure divino, de jure humano, de iis, quæ pertinent ad mores componendos, & ad Ecclesiasticam disciplinam: altera complectitur Causas 36. in varias quæstiones distributas; Causæ autem 36tæ. inseritur Tractatus de pœnitentia, qui quinque distinctionibus absolvitur: 3tia. pars, quæ inscribitur, *De Consecratione*, quinque distinctionibus perficitur, *ibid. n.* 268. Annô 1236. Gregorius Papa IX. promulgavit Librum Decretalium seu Epistolarum, quas, variis de causis, Summi Pontifices ad diversarum provinciarum Episcopos miserant ab eo tempore, quo Gratianus suum Decretum publici juris fecerat: collectæ fuerunt à S. Raymundo Ordinis Prædicatorum, & in quinque libros divisæ, quibus annô 1296. Bonifacius Papa VIII. sextum addidit constantem ex Epistolis Pontificum, qui à Gregorio IX. ad suam usque ætatem rebus Ecclesiæ præfuerant, necnon ex Decretis Conciliorum Lugdunensium, & ex pluribus aliis, quæ ipse Bonifacius ediderat, *ibid. n.*269.

Annô 1317. Joannes Papa XXII. promulgavit Clementinas in quinque libros distributas, Decreta Concilii Viennensis, cui ipse Clemens Papa V. præsederat, continentes: iis idem Joannes Papa suas ipse addidit Decretales, quæ Extravagantes dicuntur, quòd extra Corpus Juris vagentur; necnon multas alias Extravagantes, quæ solent appellari communes, eò quòd non unius duntaxat, sed multorum Romanorum sint Pontificum, *ibid. n.* 270. Multiplex est discrimen inter disciplinam, quæ Jure novo invecta est, & eam, quæ Jure antiquo obtinebat: nam Jus novum differt à veteri, 1mo. quòd potestas, qua in plerisque causis judicandis Synodi provinciales fruebantur, Jure novo ad solum Papam pertineant; 2do. Beneficia, quæ olim in ipsa Ordinatione conferebantur, ab ipsa Ordinatione sunt distincta, & Clerici sub titulo patrimonii Majoribus Ordinibus adscribuntur; 3tio. Pœnitentiarum publicarum rigor maximè temperatus est; Dispensationumque Apostolicarum usus in Matri-

(u) 2 moniis,

ibid. n. 105. Justificatio seu Justitia, qua formaliter justi sumus, non est in omnibus justis æqualis, *ibid. n.* 89. Solv. ob. *ibid. n.* 104.

Justinus Martyr (Sanctus, Quis? ejus Opera, *Tom.* 1. *Tract.* 4. *c.* 1. *§.* 2. *n.* 31.

Justitia sumitur in Scriptura pro complexione omnium virtutum: apud Patres 1mo. pro Deo, ut est in se, id est, sine ordine ad creaturas; 2do. pro virtute reddente alteri, quod suum est, seu debitum ad æqualitatem, *Tom.* 3. *Tract.* 5. *proœm. n.* 29. Sic accepta Justitia definitur constans & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi; vel clariùs & magis ad Logicæ regulas, Virtus moralis firmans voluntatem ad perpetuò reddendum alteri jus suum ad æqualitatem, *ibid. c.* 1. *§.* 1. *n.* 30. Dividitur adæquatè in *Commutativam*, quæ est virtus moralis firmans privatum ad reddendum alteri, quod suum est; *Distributivam*, quæ est Virtus moralis firmiter inclinans communitatem, vel eum, qui ei præest eamque repræsentat, ad servandam debitam proportionem inter ea, quæ distribuuntur, & conditionem personarum, quas distributio respicit: hæc duplex est, *Remuneratoria*, quæ in officiis & præmiis juxta meritum distribuendis occupatur; & *Vindicativa*, quæ circa irrogandas pœnas juxta modum culpæ versatur; ad Commutativam ab aliquibus reducitur; & *Legalem*, quæ est virtus moralis firmans voluntatem ad tribuendum Reipublicæ debitum, scilicet procurando bonum Reipublicæ pro bono privato: hæc etiam duplex, scilicet *Nomothetica* seu *Imperans* in Principe vel Magistratu & Superiore residens, quatenus actus suorum Subditorum dirigit ad bonum commune; & *Exequens* seu *Ministerialis* residens in civibus & inferioribus, quandò amore boni communis obediunt, & observant ea, quæ legibus continentur, *ibid. §.* 2. *n.* 31.

Causa efficiens Justitiæ est Deus, à quo omne donum descendit, & homo, quatenùs Deo cooperatur: *Finalis* est ipsemet Justitiæ finis, seu actus Justitiæ, per quos unicuique jus suum tribuitur: *Formalis* ipsâ Justitiæ definitione continetur: *Materialis circa quam* seu objectum illius duplex est, *Materiale*, quod est res vel actio debita & reddenda; & *Formale*, quod est res vel actio prout strictè debita & ad æqualitatem reddenda: *Causa Materialis in qua* seu subjectum Justitiæ, vel in quo Justitia residet, est ipsa voluntas, *ibid. §.* 3. *n.* 33. Nec ejusdem hominis ad seipsum, nec inter Deum & hominem, nec denique inter Patrem & Filium reperitur Justitia propriè dicta, *ibid. n.* 34. Idem dicendum videtur de servis respectu Dominorum suorum, *ibid. n.* 35. Nihil tamen obest, quin Imperfecta & impropriè dicta Justitia inter eos intercedere dicatur. Idem quoque dicendum de marito & uxore quà talibus; quia sunt una caro & veluti unum totum: attamen si considerentur ut personæ distinctæ, inter eos Justitia intercedere potest, *ibid. n.* 36. & *c.* 2. *§.* 2. *n.* 93. Solv. ob. *ibid. n.* 37. *& seq.* Vid. etiam *Tom.* 2. *Tract.* 1. *part.* 1. *c.* 3. *§.* 7. *n.* 76. *& seq.*

Nemo potest nec debet, seclusa speciali revelatione, fide divina credere, sibi remissa esse peccata, veramque Justitiam se habere, *Tom.* 2. *Tract.* 4. *c.* 4. §. 2. *n.* 87. Justitia & fides semel habitæ amitti possunt, nec ad solos Electos pertinent, *ibid. n.* 88. Justitia, qua formaliter justi sumus non est in omnibus æqualis, *ibid. n.* 89. (vid. *Justificatio*)

L.

Lex. Legis nomen quidam derivant à verbo *ligare*, quòd nimirùm subditos liget seu obliget ad aliquid agendum vel omittendum: alii volunt legem dici à *legendo*, quòd scilicet plerumque scriptis mandetur: aliis placet legem dici à *legendo*, id est, *eligendo*, quòd scilicet multorum consultatione præ aliis mediis ad finem conducentibus eligatur; vel, ut alii volunt, quòd efficiat, ne lateat quod præ cæteris agendum est aut omittendum. Lex nonnunquam etiam *Jus* appellatur, v. g. *Jus naturale*, *Jus Canonicum*, *Jus Civile*, *&c.* quia est quædam jussio actionum justarum; nam *Jus* juxta quosdam derivatur à verbo *Jubeo*, & juxta alios à nomine *Justitia*, *Tom.* 3. *Tract.* 2. *proæm.* *n.* 2. Legis nomen dupliciter sumitur, latissimè & impropriè, & sic est quælibet regula seu mensura naturæ, artis, & morum; & strictè ac propriè, sicque sumpta Lex definitur Ordinatio rationis communis & stabilis ab eo, qui curam Communitatis habet cum voluntate olligandi & ad bonum commune promulgata, *ibid.* *n.* 3. Adeoque Lex debet esse 1mo. dispositio seu directio & regula subditorum &c. *ibid.* *n.* 4. 2do. rationabilis, id est, honesta & rectæ rationi consentanea, *ibid.* *n.* 5. & perpetua, id est, ut non expiret mortuo Legislatore, nec feratur cum certa temporis prædefinitione, cujus lapsu cesset ejus obligatio, atque ut obliget subditos non modò existentes sed & extituturos, *ibid.* *n.* 6. 4to. lata toti Communitati perfectæ seu corpori Reipublicæ, non Communitati imperfectæ, aut singulari alicui personæ, *ibid.* *n.* 7. 5to. ferre debet ab eo, penes quem est perfecta in alios auctoritas & jurisdictio, *ibid.* *n.* 8. 6to. qui eam fert debet velle obligare ad eam, *ibid.* *n.* 9. 7mo. ferri debet propter bonum commune dumtaxat, non privatum proprium aut aliquot privatorum, hujusmodi Lex enim esset grave peccatum, *ibid.* *n.* 10. 8vo. debet promulgari; sive dein id sit de illius essentia, sive de ejus conditione, ut vocant, *sine qua non*, *ibid.* *n.* 11. vid. Exercit. 18. *n.* 320. *& seq.* Lex differt à simplici præcepto, mandato, & statuto, *ibid.* *n.* 12. Debet esse honesta ex parte objecti, *ibid.* *n.* 13. Justa ex parte finis, potestatis, & secundùm æqualitatem proportionatam, *ibid.* *n.* 14. Possibilis, seu de objecto possibili, *ibid.* *n.* 15. (vid. *Impossibile*) Debet esse secundùm naturam, id est, naturalem rationem, *ibid.* *n.* 16. Debet esse secundùm patriæ consuetudinem necnon loco & tempori conveniens, *ibid.* *n.* 17. Debet esse necessaria, id est, ex gravi & instante necessitate: Lex tamen sine instanti necessitate lata obligat, si re ipsa valeat ad bonum commune, *ibid.* *n.* 18. Debet esse utilis ad bonum commune, *ibid.* *n.* 19. Manifesta, id est, clara, quæ conditio est tantùm ad benè esse Legis, *ibid.* *n.* 20. Lex omnis necessariò obligat, *ibid.* *n.* 21.

Lex generali divisione dividitur in *divinam* & *humanam*: Divina est ea, quæ à Deo lata est; Humana, quæ ab homine est sancita. Lex divina alia est *Æterna*, alia *Naturalis*, alia *Positiva*; Positiva alia est *Vetus*, alia *Nova*; Vetus est ea, quam Deus Moysi dedit per Angelum, & per Moysen Israelitis; Nova est ea, quæ à Christo lata fuit omnibus hominibus, & per Apostolos promulgata. Lex Humana subdividitur in *Ecclesiasticam*, quæ scilicet fertur potestate Ecclesiastica & spirituali, ut Papæ, Concilii, Episcopi; & in *Civilem*, quæ fertur potestate sæculari, ut Regis, Principis, &c. *ibid.* *n.* 22. Lex Æterna impropriè & latè sumpta, ac prout se extendit ad crea-

Lex divina positiva est, quæ Dei ipsius auctoritatè lata est & promulgata Scriptô vel voce, ut pax homini mortali cum Deo immortali fieret, seu ordinata esset hominum in Fide sub æterna Lege obedientia: Duplex est, ut suprà dictum, *Vetus* scilicet & *Nova*, *ibid. c.* 3. *n.* 53. Quamvis Theologi communiter nomine Veteris Legis eos omnes S. Scripturæ Libros, qui veteri Testamentô continentur, intelligant, attamen nomen istud hîc strictiùs sumitur, atque per Legem Veterem intelligitur ea, quam Moyses à Deo acceptam promulgavit, & quæ Pentateuchô seu quinque libris Moysis primum locum in Veteri Scriptura occupantibus continetur, atque Lex Mosaica nuncupatur, *ibid. Sect.* 1. *n.* 54. Cajani, Marcionitæ, & Manichæi, &c. docuerunt Legem Veterem non fuisse bonam sed omninò malam, *ibid.* §. 1. *n.* 55. Sed perperam, nam fuit bona, *ibid. n.* 56. Solv. ob. *ibid. n.* 58. & *seq.* Non tamen fuit perfecta respectu Legis Novæ, *ibid. n.* 57. Solv. ob. *ibid. n.* 62. & 63. Cerdoniani & Manichæi docuerunt, Deum Legis Veteris & Prophetarum non esse Patrem Christi, sed malum Deum & unum de Principibus tenebrarum. Ptolomæus Veterem Legem partim Deo, partim Moysi, partim Senioribus adscripsit, *ibid.* §. 2. *n.* 64. Tota Lex Mosaica seu Vetus, ab Exodo usque ad Deuteronomium inclusivè, est à Deo Legislatore, *ibid. n.* 65. Solv. ob. *ibid. n.* 66. & *seq.* Lex antiqua per Moysen data fuit Israelitis, *ibid.* §. 3. *n.* 70. Moysi autem per Angelos, non verò per Verbum divinum, quod in humana specie apparuerit, *ibid. n.* 71. Solv. ob. *ibid. n.* 72 & 73. Lex Vetus non omnibus hominibus data est, sed solis Israelitis, *ibid.* §. 4. *n.* 74. In Veteri Lege erant præcepta moralia & cæremonialia: illa erant Lex naturalis, quæ in Decalogo compendiosè continetur; ista verò erant, quæ præceptis moralibus superaddita sunt, quæque pertinent ad Sacrificia, ad judicia, ad purificationes, & ad alios ejusmodi ritus, *ibid.* §. 5. *n.* 75. Omnes homines Lege Veteri tenebantur quantùm ad præcepta moralia, *ibid. n.* 76. non verò quantùm præcepta cæremonialia aut judicialia, sed soli Judæi, *ibid. n.* 77. Solv. ob. *ibid. n.* 79. & 80. Omnes homines poterant se adjungere Judæis seu Israelitis, & Legi eorum se subjicere, *ibid. n.* 78. Lex Vetus tria præceptorum genera complectebatur: *Moralia*, quæ ad mores juxta rectæ rationis normam exigendos conferunt; *Cæremonialia*, quibus certi ritus ad Dei cultum præscribuntur; & *Judicialia*, quæ certum modum præscribunt justitiæ inter Judæos seu Israelitas servandæ, *ibid.* §. 6. *n.* 81. Triplex fuit Veteris Legis finis: primus & proximus per præcepta moralia, in iis, quæ ad naturalem rectitudinem necessariam ad vivendum conformiter ad naturam rationalem; per præcepra cæremonialia, in iis, quæ ad cultum divinum; & per præcepra judicialia, in iis, quæ ad regimen politicum spectant, dirigere populum Judaicum: secundus & principaliùs à Deo intentus finis, fuit spiritualis ac supernaturalis populi Judaici felicitas, tùm in hac vita per sanctitatem morum, tùm in altera: tertius fuit gloria Christi, ad quem venturum Lex Mosaica disponebat, & quem magna ex parte præfigurabat per præcepta cæremonialia, & multa judicialia, *ibid. n.* 82. Effectus Legis Veteris fuerunt, populum Judaicum dirigere in iis, quæ pertinebant ad honestatem naturalem necessariam, ad cultum divinum, & ad regimen politicum; procurare spiritualem & supernaturalem ejusdem populi felicitatem, tùm in hac vita per morum sanctitatem, tùm in altera per æternam beatitudinem; disponere ad

torum divinorum & humanorum, *ibid.* *§.* 3. *n.* 127. Lex Evangelica non eximit Fideles ab obligatione mandatorum tàm divinorum quàm humanorum, *ibid. n.* 128. *& seq.* Solv. ob. *ibid. n.* 131. *&* 132. Lex Evangelica differt à Mosaica 1mo. quia Lex Evangelica per se & primariò non fuit scripta exteriùs sed interiùs per abundantem Spiritûs sancti gratiam altè insculpta hominum cordibus, & viva voce exteriùs intimata; at verò Lex Mosaica scriptô tradita fuit in tabulis lapideis: 2do. quia Lex Evangelica ex se vim justificandi habet, necnon Sacramenta continet, quæ ritè ea suscipientibus gratiam sanctificantem ex opere operato conferunt; Lex verò Mosaica ex se vim justificandi non habuit, nec habuit Sacramenta & Sacrificia, quæ haberent vim conferendi ex opere operato sive gratias actuales, quibuscum homo seipsum disponere potest ad justificationem, si impius est & injustus; vel majorem justitiam seu gratiam sanctificantem, si jam pius est & justus; sed tantùm habuit potestatem conferendi legalem quamdam & cæremonialem justitiam, atque tollendi legalem immunditiam, hoc est conferendi habilitatem & tollendi inhabilitatem quamdam legalem ad cultum Dei externum: 3tio. quia Christus Veteri Legi nova præcepta addidit: 4to. Lex Vetus & Nova inter se differunt, quòd sub diverso respectu una sit alterâ durior seu gravior, & levior, &c. nam si ratio præcisè habeatur actuum exteriorum, Lex Vetus longè gravior est Lege Evangelica, *ibid. §.* 4. *n.* 133. *& seq.* Solv. ob. *ibid. n.* 142. *&* 143. Si ratio habeatur actuum interiorum & exteriorum simul, ad ad quos se extendit, seu quos præcipit Lex seu doctrina & littera Legis Evangelicæ, hæc longè gravior est Lege Veteri, *ibid. n.* 138. Lex Evangelica, si spectetur ut spectari debet, secundùm id, quod est in ea præcipuum & essentiale; hoc est, quatenùs est Lex Spiritûs & gratiæ, non est onus premens portantem se, quemadmodùm Lex Vetus, sed levans, reficiens, ac delectans, seu est Lege Veteri longè levior, *ibid. n.* 139. Solv. ob. *ibid. n.* 144. Utut varia sint hæc Legem Novam inter & Veterem discrimina, harum tamen binarum Legum substantiam & essentiam non tangunt, sed eis sunt velut accidentalia; undè Lex Evangelica secundùm substantiam non est alia à Lege Veteri, & ab ea non differt nisi tanquam idem perfectum ab eodem imperfecto, vir e. g. à se ipso cùm puer fuit, *ibid. n.* 140. *&* 141. Solv. ob. *ibid. n.* 145. *& seq.* Dantur in Lege Evangelica consilia, quæ proindè necessitatem præcisè non imponunt, sed dant optionem. Qui tamen hujusmodi Evangelicum aliquod consilium prætermittit, ut cupiditatibus suis indulgeat, carnis desideriis serviat, procul dubio peccat, *ibid. §.* 5. *n.* 161. Consilia Legis Evangelicæ alia sunt generalia & simpliciter dicta, quæ scilicet omnibus quidem, quantùm est de se sunt expedientia, sed non singulis; ac proindè dantur toti corpori Ecclesiæ ita, ut ad singula ejus membra non dirigantur: alia sunt specialia & secundùm quid, quæ scilicet omnibus & singulis conveniunt, atque singulis speciatim dantur in Lege Evangelica, *ibid. n.* 162. Hæc consilia Evangelica sunt veluti instrumenta duntaxat perfectionis vitæ Christianæ, non autem ipsa vitæ Christianæ perfectio, hæc enim consistit in observatione mandatorum, *ibid. n.* 163. Lex Evangelica nulli mutationi propriè dictæ subjecta est, sed perdurabit usque ad finem sæculorum, *ibid. §.* 6. *n.* 165. Solv. ob.

 ibid.

est

est actui præcepto, *ibid. n.* 223. aliquandò tamen per accidens cum quovis damno temporali, etiam vitæ obligant, quandò scilicet actus præceptus omitti non potest sine contemptu legitimæ potestatis vel Religionis, vel sine gravi scandalo, *ibid. n.* 224. & 225. imò aliquandò etiam per se cum periculo & damno, etiam vitæ, præsertim cùm tale periculum actui præcepto per se conjunctum est; sed tunc ad justitiam Legis requiritur, ut res præcepta sit gravis & necessaria ad conservationem, vel bonum statum Reipublicæ, *ibid. n.* 226. Lex humana vulgò triplex generatim distinguitur, scilicet vel *merè præceptiva*, vel *merè probibitiva*, quæ actum aliquem præcipit aut prohibet nulla facta pœnæ mentione, quæ transgressori infligatur; *merè pœnalis*, quæ, non expressò præceptò aut non expressâ prohibitione, operis alicujus pœnam decernit in eos, qui opus illud egerint; & *mixta*, quæ præcipit aliquid faciendum vel omittendum, & simul pœnam transgressoribus imponit, *ibid.* §. 4. *n.* 227. Lex purè præceptiva aut prohibitiva obligat sub reatu culpæ, sive sit Canonica sive Civilis, *ibid. n.* 228. Lex pœnalis mixta obligat sub reatu culpæ ad actum aut ponendum aut omittendum, qui aut præcipitur aut prohibetur, *ibid. n.* 229. Lex etiam merè pœnalis obligat sub reatu culpæ tùm ad subeundam pœnam, tùm ad ponendum actum Lege præceptum, tùm ad omittendum actum Lege prohibitum, *ibid. n.* 230. & *seq.* Qui legem pœnalem infregit non tenetur ad subeundam pœnam ante latam à Judice sententiam, si pœna in Lege exprimatur prout ferenda tantùm; neque etiam, quandò Lex continet pœnam latam, sed quæ ipsiusmet Rei seu transgressoris actionem requirit, nisi fortè ad Canonicam aut Religiosam disciplinam pertineat, ut jejunium, oratio, &c. aut nisi ipsius Legis verbis significetur nòn esse expectandam Judicis declarationem. Quando Lex continet pœnam latam in mera privatione consistentem, nec aliquam actionem requirentem, & executioni mandetur, nec quidquam Juri naturali repugnans continentem, ea statim incurritur, necnon statim subiri debet. Idem dicendum de privatione vocis activæ aut passivæ, quam Lex ipso facto incurrendam decernit. Idem quoque de Beneficii Ecclesiastici titulò ac proprietate in Clerico, qui crimen admisit, propter quod Lex eum ipso facto esse illo privatum decernit: sed tamen ipse Reus ante Judicis declarationem non tenetur se ipsum abdicare possessione Beneficii, cujus titulò excidit, nec debet restituere fructus ex eo perceptos, modò officia & onera Beneficio annexa exequatur; secùs enim etiam fructus restituere tenetur, ut & si Lex expressè definiat non esse expectandam Judicis sententiam, ut Reus & titulò Beneficii & possessione, & fructibus ex eo perceptis spolietur, & perceptos restituat: quòd si antè Judicis declarationem Reus aliquem jurisdictionis actum exerceat, valet actus ille, quamvis ex parte ipsius Rei sit illicitus, *ibid. n.* 233. & 234. Omnis ignorantia, quæ excusat à culpa, excusat etiam à reatu seu debito pœnæ propriè dictæ; item ab Irregularitate ex delicto. Ignorantia excusans à culpa mortali (licèt non excuset à culpa veniali) excusat etiam à pœna gravi Legis: quòd si pœna sit levis & talis, quæ cadere possit in culpam venialem, tunc ignorantia non excusans à veniali, non excusabit ab illa. Ignorantia, quæ non excusat à culpa gravi, non excusat à pœna, nisi in Lege addatur verbum, quod dolum aut scientiam requirat. Ignorantia affectata æquiparatur scientiæ. Ignorantia so-

Liber-

Libertas est vis sui dominativa cum activa indifferentia ad agendum vel non agendum, quæ dicitur libertas contradictionis; vel ad agendum oppositum, & dicitur libertas contrarietatis, *Tom.* 2. *Tract.* 1. *part.* 1. *c.* 6. §. 3. *n.* 196. (Vid. *Deus*) Generaliùs libertas est exemptio & immunitas à subjectione & servitute: hinc totuplex est libertas quotuplex servitus, à qua solvi & liberari potest. Quatruplex præcipuè distinguitur, nimirùm Libertas *à peccato*, quæ hominem facit sanctum; *à miseria*, quæ beatum efficit; *à coactione*, quæ spontè volentem, & *à necessitate*, quæ perfectè liberum reddit, nihilque aliud esse videtur, quàm ipsa voluntas humana, seu humanæ voluntatis facultas, per quam ipsa in boni prosecutioue & fuga mali à necessitate, tùm externa seu coactione, tùm etiam nonnunquam interna seu naturalis inclinationis, est immunis, *Tom.* 3. *Tract.* 1. *c.* 1. §. 2. *n.* 46. Undè patet generatim dari duplicem humanæ mentis libertatem, scilicet à *necessitate externa seu coactione*, quæ alio nomine *libertas spontaneitatis & naturæ* dicitur, estque immunitas ab omni violentia contra voluntatis propensionem illata, quamvis naturalem necessitatem inferat; & libertatem *à necessitate interna seu naturalis inclinationis*, quæ etiam *electionis*, *indifferentiæ*, vel *arbitrii* libertas dicitur, estque ea, quæ omnem necessitatem tàm internam seu naturæ, quam externam seu coactionis excludit, *ibid. n.* 47. Libertas tàm à necessitate interna quàm à necessitate externa, alia est, ut jam suprà dictum, *contradictionis*, qua nempè quis potest ponere actum, & non ponere; alia *contrarietatis*, qua quis eligere potest contraria, bonum & malum: Libertas contradictionis alia est *specificationis*, qua quis potest eligere hunc vel illum specie actum; alia *exercitii*, qua voluntas etsi necessariò determinata ad unum objectum sit, indeterminata tamen manet ad hunc vel illum actum, potestque hunc potiùs eligere, quàm alium, *ibid. n.* 48.

Homo lapsus non solùm à necessitate externa seu coactionis, sed à necessitate interna & naturæ liber est & immunis, *ibid. n.* 52. Solv. ob. *ibid. n.* 56. & *seq.*

Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ requiritur libertas à necessitate interna, nec sufficit libertas à necessitate externa seu à coactione, *ibid. n.* 53. Solv. ob. *ibid. n.* 64. & *seq.*

Essentia libertatis in genere non consistit in solo voluntario, sed ad eam necessariò requiritur vera aliqua indifferentia, non quidem contrarietatis, sed contradictionis dumtaxat; quamvis indifferentia contrarietatis etiam pertineat ad statum & libertatem hominis viatoris, *ibid. n.* 54. & 55.

Libertas Christi (vid. *Christus*)

Libri Legales Veteris Testamenti dicuntur ii, qui divinas Leges continent; quinam sint, *Tom.* 1. *Tract.* 1. *part.* 1. *c.* 1. *n.* 4. & *part.* 2. *Sect.* 1. *c.* 1. *n.* 161. Libri Legales Novi Testamenti pariter sunt ii, in quibus Gratiæ Lex à Christo promulgata exprimitur; quinam sint, *ibid. Sect.* 2. *c.* 1. *n.* 553.

Libri Historici Veteris Testamenti, sunt ii, quibus historiæ variaque in Veteri Testamento gesta continentur, *Tom.* 1. *Tract.* 1. *part.* 1. *c.* 2. *n.* 4. & *part.* 2. *Sect.* 1. *c.* 1. *n.* 203. Unicus est Novi Testamenti Liber Historicus, Actuum scilicet Apostolorum liber, *ibid. Sect.* 2. *c.* 2.

Libri Sapientiales Veteris Scripturæ; quot sint, &c. *Tom.* 1. *Tract.* 1. *part.* 1. *c.* 3.

Ludus

Ludus. Quamvis sæpiùs confundantur ludus, jocus, & lusus, differunt tamen, quia Ludus propriè dicitur in factis, jocus in verbis, & lusus magis fit voluptatis gratiâ, quàm spe lucri. Ludus ergo generatim sumptus, & prout jocum & lusum etiam complectitur definiri potest *Exercitatio non seria ad animi defatigati quietem ordinata.* Alii, quod ad idem redit, ludum generatim definiunt *Jucundum aliquod dictum vel factum ad animi relaxationem ordinatum*, *Tom.* 3. *Tract.* 5. *c.* 3. *Sect.* 2. §. 10. *n.* 415. Ludere aliquandò non minùs honestum est, quàm comedere, bibere, & dormire, quia illud, æquè ac ista, est vitæ necessarium; & sicut virtus Sobrietatis, quæ Temperantiæ species est, in hoc consistit, ut scilicet quis licitè & honestè utatur cibo & potu, &c. sic ac tenendum modum in ludo requiritur virtus aliqua, quæ vocatur *Eutrapelia*, id est, Urbanitas aliqua, *ibid.* Ut autem Ludus generatim sit licitus requiritur 1mo. ut Ludi genus nullo jure sit prohibitus; 2do. ut non sit occasio peccandi, nec scandalum aut damnum ullum cuiquam pariat; 3tio. ut modus debitus, decorum, & omnes debitæ circumstantiæ serventur, ita ut congruat personæ, tempori, loco, &c. 4to. ut nec sæpiùs nec diutiùs ludatur, quàm exigat necessitas reficiendi vires animi & eum expeditiorem reddendi ad debita officia, *ibid. n.* 416.

Ludi varia sunt genera & species, ut Spectacula, seu Ludi Theatrales; Choreæ; Sermones seu Confabulationes jocosæ; itemque Ludi, in quibus exponitur pecunia, *ibid. n.* 417. De Spectaculis, Choreis (vid. *Spectacula*, *Chorea*)

Confabulatio jocosa & jucunda licita est, dummodò suprà recensitis conditionibus ornata sit, *ibid. n.* 419.

Ludus, in quo exponitur pecunia, non modò Temperantiæ species est, sed etiam, atque præcipuè, ad Justitiæ virtutem pertinet, necnon sub ejus objecto continetur, quippè cùm sit species contractûs, atque hunc propriè spectet. Ludus ergo sumptus pro contractu definitur certamen ad animi relaxationem institutum, quo ludentes inter se pasciscuntur, ut victori res aliqua, quasi præmii locô cedat. Triplicis speciei seu generis est: merè industriosus, qui nihil aut ferè nihil à fortuna & casu habet; ut ludus pilæ: alius merè pendens à fortuna, ut ludus taxillorum, multi chartarum ludi, aliique quotquot alcæ nomine veniunt: alius denique mixtus, qui partim à fortuna partim ab industria pendet, ut sunt plures chartarum ludi, *ibid. n.* 420.

Jure naturali nullus ex his ludis est prohibitus; at Jure Civili & Ecclesiastico omnis ludus aleæ, seu qui aleæ quidpiam admixtum habet, severè est interdictus, saltem si frequens sit, *ibid. n.* 421. Hinc peccant mortaliter, qui aleæ deserviunt, id est, quorum professio est alea, item qui iis domum suam ad ludendum commodant, & qui eos ludentes inspiciunt, *ibid. n.* 422. Attamen haud grave peccatum, imò ne quidem veniale plerique censent aleæ modicam exponere pecuniam recreationis gratiâ, &, præter illas, quas suprà recensuimus, sub hisce conditionibus, scilicet, ut ludentes eorum, quæ exponunt, liberam habeant dispositionem, & id quod exponunt, perdere possint absque eo, quòd desint suis officiis; ut Summa, quæ ludo exponitur, sit modica secundùm uniuscujusque facultatem & statum, nec major, quàm opus sit ad animi delectationem, & ne ludus langueat; ut absit omnis fraus; ut adsit inter lusores sufficiens æqualitas; ut absit coactio, *ibid. n.* 423. Cæterùm lici-

etiam contra virtutem Religionis propter commercium & societatem cum capitali hoste Dei. Porro hæc omnia peccata inter se specie differunt ; nam singula habent specialem & notabiliter diversam deformitatem castitati repugnantem; sunt etiam graviora aliis speciebus Luxuriæ naturalis in ratione luxuriæ ; aliquæ tamen ex his speciebus Luxuriæ naturalis possunt gravioris esse culpæ ex alia parte, prout scilicet involvunt malitiam alterius speciei, contra justitiam, pietatem, religionem ; nam simplex pollutio non est absolutè majus crimen quàm concubitus cum matre, vel cum Moniali, *ibid. n.* 290.

Omnis actus luxuriæ in viduis & sponsis est mortalis : itaque sponsis solùm licent amplexus & oscula honesta juxta morem patriæ amoris honesti significandi & fovendi gratiâ, *ibid n.* 312. In sponsis ac viduis mortalis est voluntaria delectatio carnalis, seu delectatio appetitûs sensitivi de copula futura aut præterita, vel de copula apprehensa sub conditione, si adesset Matrimonium : sunt tamen qui docent posse à mortali excusari eos, qui absque venerea commotione apprehendunt actum conjugalem ut præteritum vel futurum, approbantes, quòd illum exercuerint, aut exercituri sint ; monent nihilominùs talen mentis apprehensionem, cùm vix possit esse sine delectatione venerea, esse statim rejiciendam, & nunquam accersendam, *ibid. n.* 313.

Filiæ Luxuriæ octo recensentur ; quatuor ex parte intellectûs, nempè cœcitas mentis, præcipitatio, inconsideratio, & inconstantia, quæ sunt mortales, quandò per eas præceptum aliquod in re gravi violatur : & quatuor ex parte voluntatis, scilicet amor sui inordinatus, odium Dei, affectus præsentis sæculi, horror & desperatio futuri sæculi, *ibid. n.* 314.

Remedia contra Luxuriam sunt 1mo. Oratio humilis & frequens; 2do. Mortificatio & custodia sensuum maximè visûs ; 3tio. Sobrietas seu usus moderatus vini & cibi ; 4to. Vitatio occasionum ; 5to. Fuga otii ; 6to. Frequens confessio & communio cum debitis dispositionibus; 7mo. Carnis macerationes & jejunia, cilicium, catena ferrea, &c. 8vo. Eleemosyna ; 9no. Assidua piorum librorum lectio, & meditatio passionis Christi, ac æternitatis; 10mo. Occurrente tentatione, cogitare Deum adesse præsentem justum peccati vindicem, & virtutis remuneratorem ; 11mo. Initiô tentationis fortiter resistere, &c. 12mo. Nascenté voluptatis sensum præsenti aliquo dolore accito extinguere, &c. Quæ remedia non tantùm valent adversùs carnis & luxuriæ vitium, sed etiam adhiberi possunt adversùs quæcumque alia vitia & tentationes, *ibid. n.* 315.

M.

Machabæi, Qui fuerint, & undè illorum nomen, *Tom.* 1. *Tract.* 1. *part.* 2. *Sect.* 1. *c.* 2. *n.* 369. & 370. Libri Machabæorum, quare sic dicti, *ibid. n.* 371. Quatuor circumferuntur hujus nominis libri, quorum duo priores Canonici, posteriores autem duo apocryphi habentur ab Ecclesia Catholica, *ibid. n.* 372. & *seq.* Solv. ob. *ibid. n.* 386. & *seq.* Qua lingua primus Machabæorum liber scriptus sit, *ibid. n.* 373. Quis ejus Auctor putetur, *ibid. n.* 374. quid contineat, & quam annorum supputationem ineat, *ibid. n.* 375. Secundus à quo scriptus sit, & quid contineat, *ibid. n.* 376. quam annorum supputationem ineat, *ibid. n.* 377. Tertius quid contineat, & quare Machabæorum nomine sit in-

Sect. 1. *c.* 4. *n.* 548. & 549. Quandò obierit, *ibid. n.* 550. Omnium Prophetarum novissimus, *ibid. n.* 551. Liber ipsius mentionem facit ortûs S. Joannis Baptistæ, & Sacrificii Novæ Legis, *ibid. n.* 552.

Maledictio. Est peccatum mortale proferre maledictionem gravem ex animo, ut malum grave eveniat: imò sibi vel aliis malum grave ex ira imprecari, quamvis sine animo ut eveniat, sæpè mortale est, sive ratione gravis contumeliæ, spectata personæ, cui maledicitur, qualitate, sive ratione scandali. Potest esse veniale peccatum vel ob parvitatem mali, quod quis alteri imprecatur, vel si ex levi motu, ludo, aut ex subreptione aliqua proferatur, *Tom.* 3. *Tract.* 6. *part.* 3. *c.* 2. *§.* 3. *n.* 359. Maledictio gravis effusa in non subditum præsentem graviter charitati & justitiæ repugnat, ideoque obligat ad satisfactionem: item maledicere creaturis irrationabilibus, quatenùs sunt homini utiles est æquivalenter maledicere homini ipsi; maledicere illis, in quantùm sunt creaturæ Dei, est Blasphemia; maledicere verò eis secundùm se consideratis est otiosum & vanum, atque per se solùm veniale, *ibid. n.* 360.

Maleficium est ratio operandi mira & noxia ope Dæmonis, seu est superstitio, qua quis ope Dæmonis nocet alteri vel in se vel in suis. Est etiam species Vanæ Observantiæ nec à Magia differt, nisi quòd hæc exerceatur vel ad ostentationem, vel commodum proprium aut alienum, atque simpliciter Magia nuncupetur; Maleficium verò ad nocendum aliis fiat, triplicemque contineat malitiam mortalem, scilicèt contra Religionem, Charitatem, & Justitiam; *Tom.* 3. *Tract.* 6. *part.* 3. *c.* 3. *Sect* 1. *§.* 5. *n.* 427.

Maleficium duplex est, *Amatorium* seu *Philtrum*, quo flectuntur homines ad amorem venereum, non quasi Dæmon voluntatem cogat, sed quia humores commovet & phantasiam concutit, adeoque exponit ruinæ, nisi ad orationem, jejunium, & Sacramenta recurratur; & *Veneficium*, quo morbi, dolores, & mors inferuntur, quò referri potest Maleficium tùm circa copulam carnalem, tùm circa infantes etiam baptizatos, quibus nocent Striges & Lamiæ, ut putat S. Augustinus. Utrumque Maleficii genus est grave peccatum, ac præter commercium cum Diabolo sæpè annexam habet Hæresim, Apostasiam, Sacrilegium, &c. *ibid. n.* 428. Maleficium tollere licet 1mo. remediis naturalibus, quæ petuntur ex herbis & pharmacis Medicorum; 2do. remediis supernaturalibus, ut sunt oratio, jejunium, confessio, Eucharistiæ susceptio, æquæ benedictæ usus, Reliquiæ Sanctorum, frequens nominis JEsu & B. Virginis Mariæ invocatio, Signum Crucis, &c. 3tio. remediis moralibus, quo nomine intelligimus ea, quibus dissolvi potest pactum, per quod Dæmon homini nocet, quod fit amovendo aut destruendo signa magica, ad quorum præsentiam Diabolus nocumentum infert, dummodò hæc remedia nullam Maleficii rationem habeant; nam solvere Maleficium per aliud Maleficium nullatenùs licèt, nec proindè petere à Malefico etiam parato, ut Maleficium per aliud Maleficium tollat, *ibid. n.* 429. at licitum est petere à Malefico, ut tollat Maleficium modô licitô; quamvis probabile aut etiam moraliter certum sit, illud ab ipso illicitô potiùs, quam licitô modô destructum iri: aliud tamen est, si sciamus Maleficum nullum licitum destruendi Maleficii modum cognoscere, vel etiam dubitemus, nùm talem licitum modum noverit; tunc enim non possumus sine peccato Maleficii disso-

texit,

texit, deseruerit, ut alium ordinem, eumque, quem cæteri Evangelistæ secuti sunt, texeret, *ibid. n.* 582. Historiam suam à prædicatione S. Joannis Baptistæ orditur, *ibid. n.* 583. Solum Marci Evangelium Veteres Hæretici probabant. Quidam inter Catholicos duodecim postremos illius versus ut aprocryphos perperam rejecerunt, *ibid. n.* 584. duo illius textus, qui difficultatem aliquam involvere videntur, explanantur, *ibid. n.* 585. vid. etiam *ibid. part.* 1. *c.* 7. *n.* 107.

Maria Virgo. Beato Virgo Maria nec de condigno nec de congruo meruit divinam maternitatem, *Tom.* 2. *Tract.* 3. *c.* 4. *§.* 1. *n.* 139. ipsius Virginitas spectari potest vel ante partum, vel in partu, vel post partum: quocumque autem modo spectetur, suos habuit hostes, *ibid. c.* 5. *§.* 3. *n.* 165. stat invicta veritas Catholica in Concilio VI. generali Act. 11. his verbis expressa: Mariæ Virginitas ante partum, in partu, & post partum Christi filii sui intemerabilis, *ibid. n.* 166. *& sequ.* Solv. ob. *ibid. n.* 169. *& seq.* Nestorius docuit, sed falsò & hæreticè, B. Mariam Virginem non esse Deiparam, *ibid. §.* 5. *n.* 189.

B. Virgo Maria, quamvis quatenùs erat in lumbis Adæ secundùm rationem seminalem, quandò transgressus est legem, & in prima conceptione, priusquàm anima rationalis infunderetur, vi generationis suæ peccato obnoxia, utpotè viâ ordinariâ seminata, fuerit, tamen à Christo redempta fuit, quatenùs anima ejus in proximo suæ creationis instanti fuit ornata gratiâ sanctificante, *Tom.* 3. *Tract.* 6. *part.* 1. *c.* 4. *n.* 106. *& seq.* Solv. ob. *ibid. n.* 111. *& seq.* (Vid. *Innocentiam Vindicatam Cardinalis Sfonderati ad calcem Tract. cit.*)

Martialis (Sanctus) Quis, qua ætate floruerit? Ejus Scripta, *Tom.* 1. *Tract.* 4. *c.* 1. *§.* 2. *n.* 24.

Martyrium generatim est omnis pœna in odium Christi inflicta & constanter tolerata: secundùm quod est commune parvulis & adultis duo concurrere debent, pœna scilicet & causa, nempè odium fidei: in adultis præter pœnam illatam in odium fidei, quam illi profitentur, requirit voluntariam acceptationem mortis ex aliquo fine supernaturali, nempe æternæ beatitudinis possidendæ, &c. *Tom.* 4. *Tract.* 2. *c.* 3. *§.* 2. *n.* 128. Martyrii mandatum, laudem ad meritum negárunt Gnostici, Valentiniani, Tatianus, *ibid. n.* 129. (Vid. *Baptismus*)

Massora Vox hebraica, Traditionem sonat, *Tom.* 1. *Tract.* 1. *part.* 1. *c.* 8. *n.* 160.

Massoretæ. Eo nomine vocati sunt Doctores illis Hebræi, qui, additis punctis vocalibus, litteras vocales consonantibus adjungendas significantibus sacri textûs lectionem determinârunt, *Tom.* 1. *Tract.* 1. *part.* 1. *c.* 8. *n.* 160.

Materia Voti (Vid. *Votum*)

Matrimonium. Sacramenti Matrimoni notitia Ecclesiæ Pastoribus, iisque omnibus, quibus animarum cura incumbit apprimè necessaria est, *Tom.* 4. *Tract.* 8. *Proœm. n.* 1. Difficile, obscurum, & maximè implicatum est hujus Sacramenti argumentum, *ibid. n.* 2. Apud Auctores Matrimonium quatuor potissimùm nominibus nuncupari solet; 1mo. *Matrimonium* à matre potiùs quàm *Patrimonium* à patre, quia prolis procreatio, cujus causâ Matrimonium institutum est, in matre non autem in patre evidens fit, atqui ad eam pertinet prolem alere & educa-

nuptiarum legem, quam ipsa natura dictaverat, à Deo ratam & confirmatam fuisse, *ibid. c. 2. n. 54.*

In Matrimonio duplex consideratur materia; una, ex qua constat contractus Matrimonialis, & quæ proxima vocatur; & altera, circa quam versatur contractus iste, & remota dicitur, suntque propria conjugum corpora; prior videtur reponenda esse in actibus contrahentium: forma verò Matrimonii videtur esse in his verbis posita: *Accipio te in meam, accipio te in meum, ibid. n. 55.*

Ad ratum Matrimonium necessarius est consensus mutuus contrahentium, *ibid. c. 4. n. 57* qui debet esse expressus ac publicus, & ab omni errore immunis, *ibid. n. 58.* & liber, non vi aut metu gravi injustè ab extrinseco extortus, atque sincerus & non fictus, *ibid. n. 59.* Variæ conditiones apponi possunt in Matrimonii contractu, quæ tamen sponsalia duntaxat spectant, non ipsum Matrimonium, neque enim cuiquam licet sub conditione Matrimonium contrahere; conjugalis enim contractus fit per verba de præsenti; nec licet exponere Sacramentum variis ambagibus & periculo invaliditatis; dicuntur autem Matrimonio apponi, quia ad illud tendunt: harum autē conditionum aliæ sunt generales, quæ in omni contractu includuntur, sive exprimantur sive non; ut v. g. si quis dicat, *ducam te si vixerimus, &c.* hæ contractum non suspendunt, ut quæ planè generales sint & necessariæ: aliæ sunt speciales, & hæ vel intrinsecæ, sine quibus stare non potest Matrimonium, ut v. g. si quis dicat, *ducam te, si non sis consanguinea mea, &c.* hæ non suspendunt Matrimonium, quia necessariò includuntur in contractu, ac perinde est, sive contractui apponantur, sive non: vel extrinsecæ; ex his aliæ sunt necessariò eventuræ, ut *contraham tecum, si Sol mane oriatur, &c.* hæ conditiones non suspendunt contractum, ac perinde se habent, ac si appositæ non fuissent: aliæ sunt impossibiles, ut *contraham tecum si cælum digitô tetigeris, &c.* hisce neque contractus conjugalis suspenditur, siquidem pro non adjectis haberi debent: Denique aliæ sunt vel de præterito, vel de præsenti, vel de futu ro; si de præterito vel præsenti sint, atque impletæ, tunc stat Matrimonium, eoque uti possunt contrahentes, si verò dubitent vel ignorent eas esse adimpletas, tunc Matrimoniô uti non possunt, sed expectare debent, donec certò sciant conditiones esse adimpletas; si sint de futuro & honestæ, non invalidant contractum sed suspendunt usque ad conditionis eventum; si turpes, nec tamen substantiæ Matrimonii adversentur, pro non adjectis haberi debent, nec iis contractus suspenditur, ex supposito tamen, quòd consensus sit verus & sincerus; si iis autem ipsa Matrimonii substantia seu bona, nempe fides, proles, & Sacramentum, violentur, nullum est Matrimonium, *ibid. n. 60.* Consensus in Matrimonium iis verbis aut signis exprimi debet, quæ juxta consuetudinem loci, aut communem intelligendi exprimunt consensum de præsenti, *ibid. n. 61.* Objectum primarium Matrimonii & principale est conjunctio animorum cum potestate ad mutuam traditionem corporum, *ibid. n. 62.* Ad validè contrahendum Matrimonium necessariò non requiritur consensus parentum; attamen, ut licitè contrahi possit Matrimonium, ordinariè requiritur hujusmodi parentum consensus; possunt tamen dari casus, in quibus sine illo consensu parentum licitè etiam contrahi potest Matrimonium, *ibid. n. 63.* Vid. *infrà.* Tria distinguuntur bona Matrimonii, nempe *Fides*, quæ est ea justi-

per ingressum in Religionem seu per Monasticam professionem, *ibid. n.* 107. Constans est Ecclesiæ doctrina Christianos conjuges aliquando licitè posse separari quoad thorum & cohabitationē, salvô Matrimonii vinculô, *ibid. n.* 108. & 109. Quænam, præter adulterium sint causæ divortii faciendi legibus expressæ, *ibid. n.* 110. Quodnam sit discrimē inter separationem propter adulterium, & propter alias causas, & quomodò divortium ob adulterium fieri possit & debeat, *ibid. n.* 111. & *seq.* Adulterium ratione impudicitiæ gravius est in viro quàm in muliere, ratione injustitiæ verò gravius est in muliere, quàm in viro, qui cum soluta adulterat: simpliciter tamen & absolutè gravius est adulterium uxoris, quàm mariti, *ibid. n.* 116. Extat naturale ac divinum Matrimonii præceptum; adeoque initiô generis humani ipsa Lege naturæ tenebantur omnes inire conjugia, non item post sufficientem humani generis propagationem, multò minùs in Lege Christi, in qua liberum est nuptias celebrare, id quidem toti hominum communitati est necessarium, sed non singulis, &c. *ibid. n.* 117. Nec jure naturali, nec jure divino positivo irritum est ac invalidum Matrimonium à filiis contractum insciis vel invitis parentibus, *ibid. c.* 6. §. 1. *n.* 146. Solv. ob. *ibid. n.* 152. & *seq.* Etsi antiquis Ecclesiæ Canonibus nulla & irrita fuisse Matrimonia filiorum defectu consensûs parentum pluribus Theologis & Canonistis videatur, tamen post Sæculum XII. apud Latinos valuit & etiamnum adhuc valet Matrimonium à Filiofamilias insciis & invitis parentibus contractū, *ib. n.* 147. & *seq.* Neque etiam Jure Civili irrita esse possunt Matrimonia Filiorum-Familias insciis & invitis parentibus contracta, *ibid. n.* 150. Graviter tamen peccant filii, qui sine causa legitima insciis vel invitis parentibus Matrimonia contrahunt, *ibid. n.* 151. Jure novo Concilii Tridentini Irrita & nulla sunt Matrimonia clandestina, id est, ea, quæ clàm & occultè, nullis testibus, nec Parochô præsentibus, contrahuntur, *ibid. n.* 157. Undè 1mo. nullum ac invalidum est Matrimonium, quod non contrahitur coram proprio Parocho, id est, domicilii alterutrius contrahentium Parochô, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi seu Ordinari licentia, & duobus vel tribus testibus: propril autem Parochi nomine intelligitur Parochus domicilii alterutrius contrahentium. Porro ad acquirendum jus domicilii in aliqua Parochia iis, qui in eadem Diœcesi de una Parochia transeunt in aliam, sufficit habitatio per sex menses; iis verò, qui ab una Diœcesi transeunt in aliam requiritur domicilium unius anni, *ibid. n.* 158. 2do. Matrimonium contractum coram proprio Parocho vel alio Sacerdote de licentia ipsius, in aliena Parochia validum est, *ibid. n.* 159. Valet etiam Matrimonium celebratum coram proprio Parocho nondum Sacerdote, *ibid. n.* 160. Multis etiam valere videtur Matrimonium contractū coram Parocho excom̄unicato, suspenso, irregulari, *ibid. n.* 161. Ea debet in contractu Matrimonii esse Parochi præsentia, quæ ad moralem & humanum actum sufficiat. In opinione illorum, qui dicunt contrahentes esse Ministros hujus Sacramenti, valet Matrimonium etiam in ratione Sacramenti, etsi Parochus, aut invitus adductus esset, aut solemnem benedictionem negasset: Qui verò volunt Parochum veri Ecclesiæ Ministri partes hîc sustinere, ac benedictionem esse formam veluti Essentialem hujus Sacramenti, ajunt eo in casu stare quidem Matrimonium quoad contractum & vinculum, at non esse verum Sacramentum, *ibid. n.* 162. Qui coram Parocho & testibus Matrimonium contra-

licet consistit in actibus contrahentium; forma verò in verbis, quibus Sacerdos nubentes conjungit in Matrimonium, *ibid. n.* 187. *& seq.* Quidam valdè communiter asserunt ipsosmet contrahentes esse hujus Sacramenti Ministros; alii verò volunt esse Sacerdotem, *ibid. n.* 190. Utriusque sententiæ momenta proponuntur, *ibid. n.* 191. *& seq.* Matrimonia à Catholicis cum Hæreticis inita ex se rata & valida sunt, quamvis ex se illicita, *ibid. n.* 197. & 198. licita tamen fiunt per dispensationem Ecclesiæ, nuncque satis frequentia sunt, *ibid. n.* 199. Gratia sanctificans, quæ per Matrimonium producitur, omnibus malis illis, quæ per primorum parentum peccatum in nuptias irrepserunt, medetur, atque necessaria omninò est ad assequenda tria Matrimonii bona, Fidei scilicet, prolis, & Sacramenti, *ibid. n.* 200. & 201. Quinam sint hujus Sacramenti ritus & cæremoniæ. Earum meminère antiqui Pontifices & Patres, maleque damnantur à Novatoribus. *ibid. n.* 202.

Matrimonii impedimentum est id, quod obest, quominùs Matrimonium licitè celebrari, aut celebratum valere possit, seu est id, quo Matrimonium jure redditur aut illicitum aut irritum: duo proindè sunt Matrimonii impedimentorum genera, nempe simplicia seu simpliciter impedientia vel prohibentia, & dirimentia: priora illicitum faciunt conjugium, impediuntque, ne dumtaxat contrahatur, non verò irritant: dirimentia verò Matrimonium dissolvunt seu dirimunt, *ibid. c.* 4. *n.* 203.

Lutherus, Calvinus, cæterique Novatores, qui in Matrimonio nihil nisi purè humanum agnoscunt, negant, quòd Ecclesia auctoritatem habeat statuendi impedimenta Matrimonium dirimentia, *ibid. Sect.* 1. §. 1. *n.* 205. At nos tuemur Ecclesiam habere jus & auctoritatem statuendi impedimenta non solùm impedientia, sed & dirimentia Matrimonium, *ibid. n.* 206. *& seq.* Solv. ob. *ibid. n.* 212. *& seq.* Ecclesia etiam habet auctoritatem dispensandi in impedimentis Matrimonii, *ibid.* §. 2. *n.* 218. *& seq.* Solv. ob. *ibid. n.* 224. *& seq.* Quænam conditiones requirantur, ut obtenta in impedimentis dirimentibus dispensatio valeat, *ibid. n.* 222. (Vid. *Lex.*) Quando & quibus de causis circa Matrimonii impedimenta dispensatio sit concedenda, *ibid. n.* 223. (Vid. *Lex.*) Impedimenta simplicia seu impedientia tantùm celebrationem Matrimonii olim jure veteri duodecim numerabantur, postmodùm ad quinque restricta fuère, *ibid. Sect.* 2. *n.* 226. modò jure novo Conciiii Tridentini tantùm quatuor vigent impedimenta hoc versu comprehensa:

Ecclesiæ vetitũ, votum, sponsalia, tempus. ibid. n. 231.

Per Ecclesiæ vetitum, seu interdictum intelligitur prohibitio, qua Ecclesia alicui nupcias prohibet ob temporalem aliquam causam: duplex est, unum simpliciter prohibens sine ulla irritante clausula; alterum verò cum clausula irritante: prius illicitum dumtaxat facit Matrimonium, alterum illud irritat, *ibid. n.* 227. per tempus feriatum intelligitur impedimentum temporis, quo non licet nuptias solemniter celebrare, scilicet, Jure novo Tridentini, ab Adventu Domini usque ad Epiphaniam, & à Feria IV. Cinerum usque in Octavam Paschatis inclusivè: ex hac voce *solemniter*, quam hìc adhibet Concilium, quidam inferunt non ipsas nuptias prohiberi, sed earum dumtaxat solemnitatem, pompam scilicet & apparatũ, quo Sponsi ad Ecclesiam ducuntur, quibus tamen alii obnuntiant, *ibid. n.* 228. per Sponsalia intelligitur impedi-

pedimentum, quod nascitur ex Sponsalibus cum aliqua vel aliquo initis, & nondum dissolutis, *ibid. n.* 229. per votum intelligitur votum simplex castitatis, vel ingrediendi Religionem, quod quidem impedit, sed non dirimit contractũ Matrimoniũ: aliter dicendum de voto solemni, istud nempe dirimit Matrimonium etiamnum jam contractum, *ibid. n.* 230.

Impedimenta Matrimonium dirimentia ante Concilium Tridentinum tredecim tantùm numerabantur, post illud verò quindecim omninò numerantur his versibus expressa:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultûs disparitas, vis, Ordo, ligamen, honestas,
Amens, affinis, si clandestinus, & impos,
Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto,
Hæc socianda vetant connubia, facta retractant.

Ex his impedimentis quædam sunt Juris naturalis, quæ hoc versu indicantur:

Mens ægra, & conjux, vis, error, ineptia, sanguis.

Alia verò Juris Ecclesiastici dumtaxat, quæ his versibus continentur:

Ordo sacer, votum, necnon Sponsalia firma,
Atque duplex crimen, quadruplex cognatio, raptus,
Si Baptisma deest, ætas, testes, Parochusve.

His addi debet *conditio*, utpotè impedimentum Jure Ecclesiastico dumtaxat, non naturali constitutum. Ab his impedimentis ante Concilium Tridentinum excludebantur Clandestina Matrimonia, & Cultûs disparitas; imò non pauci Theologi contendunt, votum solemne castitatis non semper & ubique fuisse impedimentum dirimens Matrimonium subsequens, *ibid. Sect.* 3. *n.* 232.

Error circa Matrimonium generatim duplex esse potest, personæ scilicet & qualitatis: prior est, quo circa personam erratur, atque una persona pro alia supponitur: error qualitatis & circa accidentia personæ alius est *conditionis*, ut si liber putetur, qui est servus; alius, qui propriè vocatur *qualitatis*, qui nempè circa mores, nobilitatem & ignobilitatem versatur; alius *fortunæ*, quo circa bona externa seu possessiones erratur. Error qualitatis quandoque redundat in errorem personæ, & personæ error reputatur, quando consensus errantis directè fertur in personam illam, cui talis qualitas adhæret, & tamen offertur ei persona, cui talis qualitas non inest. Quando autem directè in personam præsentem, cum eo tamen errore, quòd existimetur v. g. filius Regis, fertur consensus, solùm est error qualitatis, *ibid.* §. 1. *n.* 333. Error circa divitias & qualitates personæ etiam in ordine ad consensum contrahentis duobus modis consideratur, 1mo. concomitanter, ita ut de illis qualitatibus nec cogitet, nec eas exigat, ut in Matrimonium consentiat; 2do. antecedenter, ita, ut animus contrahentis in eas qualitates feratur, tanquam in conditionem, ex qua pendere vult suum in personam consensum, *ibid. n.* 234. Error circa personam invalidum reddit Matrimonium, *ibid. n.* 235. Error circa divitias & qualitates nunquam irritat Matrimonium, nisi redundet in errorem personæ, *ibid. n.* 236. Error conditionis servilis, cùm ignoratur, dirimit Matrimonium; secùs si sciatur, neque etiam si ambæ personæ servituti obnoxiæ contrahant etiam in-

invitis Dominis. Servi item pœnæ, qui ex sententia Judicis pœnæ mancipati sunt, ut damnati ad triremes, exilium, vel etiam mortem, quam fugâ declinaverunt. Impedimentum hoc erroris Jure Ecclesiastico dumtaxat constitutum est, non naturali, *ibid.* §. 2. *n.* 337. Matrimonium post solemne continentiæ votum in Religione approbata, vel post susceptionem Majorum Ordinum nullum est & irritum, *ibid.* §. 3. *n.* 338. Disceptant Theologi inter se an istud voti solemnis & Ordinis Sacri impedimentum semper fuerit impedimentum dirimens Matrimonium; qui negant hac ducuntur ratione, quòd illud jure dumtaxat positivo Ecclesiastico inductum fuisse dicant; at alii illud jure divino naturali constitutum volunt, adeoque semper fuisse impedimentum: sed quidquid hac de re sit, certum esse videtur à Sæculo VI. jam universalem fuisse legem per votum solemne dirimi Matrimonia postmodùm contracta, *ibid. n.* 239.

Cognatio est propinquitas seu vinculum personarum aliquarum. Triplex distinquitur, *Carnalis* seu *Naturalis*, quæ *Consanguinitas* dicitur, quasi sanguinis unitas; *Spiritualis*, quæ vocatur *Compaternitas*; & *Legalis*, quæ *Adoptio* nuncupatur, *ibid.* §. 4. *n.* 240. Cognatio carnalis seu Consanguinitas definitur, quòd sit vinculum personarum, quarum una vel ab alia, vel ambæ ab eadem tanquam à communi & proprio stipite per carnalem generationem descendunt, *ibid. n.* 241 Distinguitur à Theologis per lineas & gradus: per lineam intelligunt seriem seu ordinem personarum ab eodem stipite descendentium, & per gradum, intervallum seu mensuram distantiæ consanguineorum inter se & à communi stipite. Duplex est linea, directa scilicet, quæ personas continet, quarum una descendit ab altera; & indirecta seu collateralis & transversalis, quæ est series personarum, quarum una non descendit ab altera, sed quæ solùm descendunt ab eodem stipite, *ibid. n.* 242. In Jure Canonico tres statuuntur regulæ pro computandis gradibus consanguinitatis, una pro linea recta, duæ pro collaterali: 1ma. in linea recta ascendentium & descendentium tot sunt gradus, quot sunt generationes personarum, quarum una descendit ab alia, vel tot sunt gradus, quot sunt personæ dempto stipite, *ibid. n.* 243. 2da. & 1ma. pro linea collaterali hæc est, si personæ distant æqualiter à communi stipite, quo gradu ab eo distant, eodem inter se distant, *ibid. n.* 244. 3tia. & 2da pro linea collaterali, personæ inæqualiter distantes à communi stipite, eo gradu distant inter se, quo illarum remotior distat à communi & proximo stipite, *ibid. n.* 245. Jus Civile, quamvis quoad supputationem graduum in linea recta cum Jure Canonico conveniat, tamen in linea collaterali discrepat, quòd gradus numeret per personas, totque statuat, quot sunt personæ dempto stipite; Jus Canonicum verò attendat ad distantiam personarum à stipite, quæ computatio optima est, *ibid. n.* 246. Omnis consanguinitas in quolibet gradu lineæ rectæ est & semper fuit impedimentum dirimens Matrimonium, *ibid. n.* 247. Consanguinitas in linea collaterali Matrimonium jure naturali dirimit in primo gradu, *ibid. n.* 248. In cæteris remotioribus gradibus jure Ecclesiastico dumtaxat, non naturali, dirimit Matrimonium, idque ad quartum gradum usque inclusivè nec ulteriùs, in quibus tamen Ecclesia dispensare potest, *ibid. n.* 249.

Cogna-

ex

ex quo filii aut filiæ adoptantis liberi sunt ab ejus potestate per ipsius mortem, vel per emancipationem, *ibid. n.* 258.

Affinitas est personarum conjunctio seu propinquitas orta ex copula carnali, sive licitâ in Matrimonio, sive illicitâ extra Matrimonium, vi cujus alter alterius consanguineis fit affinis, *ibid. §.* 7. *n.* 259. Triplex olim fuit Affinitatis genus, sed post Concilium Lateranense IV. Can. 50. solummodò contrahitur affinitas 1mo. inter virum & consanguineos mulieris à se carnaliter cognitæ; 2do. inter mulierem & consanguineos viri, à quo cognita est, *ibid. n.* 260. & 261. Eodem modo numerantur gradus affinitatis, quo gradus consanguinitatis seu cognationis carnalis, *ibid. n.* 262.

Affinitas dirimit Matrimonium. In quocumque gradu Affinitatis lineæ rectæ prohibitum & irritum est Matrimonium. In linea collaterali, jure per Concilium Lateranense IV. inducto, ad quartum gradum inclusivè prohibitum & irritum est Matrimonium. Affinitas verò ex illicita, sed tamen ad generationem idonea copula carnali orta jure Concilii Tridentini Sess. 24. *c.* 4. non ultra primum & secundum gradum protenditur. Quòd si contingat uxoratum peccare cum sorore vel nepte suæ uxoris, non quidem dissolvitur Matrimonium, sed ejus usus impeditur ex parte peccantis, qui debitum petere non potest, non verò ex parte innocentis, *ibid. n.* 263. Porro jure naturali & divino positivo Affinitas in linea recta dirimit Matrimonium, *ibid. n.* 264. In linea verò collaterali seu transversa & obliqua solo jure Ecclesiastico dirimit Matrimonium, quidquid Novatores contrà regerant, *ibid. n.* 265. Affinitas, de qua hîc sermo non oritur nisi ex copula perfecta, idque etiam sine alterius partis consensu vel cognitione facta, *ibid. n.* 266.

Duo crimina Matrimonium dirimunt, Adulterium scilicet & Homicidium. In quinque potissimùm casibus duo hæc crimina Matrimonium dirimunt 1mo. si alter conjugum occidat alterum per tertiam personam, sive adulterium intercesserit, sive non; 2do. si cum homicidio unius conjugum ex intentione Matrimonii contrahendi præcesserit adulterium cum superstite, etiamsi superstes in homicidium non consenserit; 3tio. cùm quis adulteratur & uxorem suam interficit vel curat interfici; 4to. cùm quis sciens propriam uxorem esse superstitem contrahit per verba de præsenti cum ea, cum qua mœchatus est sive ante sive post illum contractum; 5to. si adulterium commissum sit antecedente aut subsequente sive ficta sive vera, sive absoluta sive conditionata promissione futuri Matrimonii post obitum conjugis, eaque acceptata fuerit, *ibid. §.* 8. *n.* 267. Jura, quæ loquuntur de uxoricidio sunt etiam intelligenda de matricidio. Cæterùm impedimentum istud non naturali aut divino jure institutum est, sed jure Ecclesiastico dumtaxat ad deterrendos scilicet Fideles ab his adulteriis & homicidiis, *ibid. n.* 268.

Cultûs seu Religionis disparitas hîc dumtaxat ea intelligitur, quæ intercedit baptizatum inter & non baptizatum. Jure naturali & divino est impedimentum impediens seu illicitum reddens Matrimonium dumtaxat; at jure Ecclesiastico est impedimentum dirimens & irritum faciens Matrimonium, *ibid. §.* 9. *n.* 270. & 271.

Matrimonium verò Catholicorum cum Hæreticis legitimè baptizatis validum est, dummodò nullum aliud interve-

sivè respectiva, sivè ex causa naturali purè interna, sivè ex maleficio, *ibid. n.* 283. Impotentia perpetua & antecedens jure non solùm positivo sed etiam naturali dirimit Matrimonium: quòd si dubium sit, an impotentia præcedens Matrimonium perpetua sit an temporalis, triennium cohabitationis & experientiæ conjugibus conceditur, quo tempore si duraverit impotentia, Matrimonium anteà contractum nullum & irritum declaratur, ac proindè saltem thori separatio illis præcipienda est; liberum tamen illis erit invicem cohabitare, dummodò absit incontinentiæ periculum. Quòd si quis post dissolutum Matrimonium impotentiæ absolutæ causâ, nubat cum altera, ex qua prolem suscipiat, hoc posterius Matrimonium dissolvitur, & prius redintegratur, adeoque hac secunda relicta tenetur ad priorem redire, *ibid. n.* 284. Quamvis inter steriles & senes valeat Matrimonium, non tamen valet inter Eunuchos, *ibid. n.* 285. Ad hoc impedimentum reducitur defectus ætatis puerorum: undè irritum est eorum Matrimonium, si puer ante decimum quartum, puella verò ante duodecimum annum ætatis completum nupserint, nisi constet malitiam, ut ajunt, supplevisse ætatem, seu quòd sufficientes habuerint vires ad consummandum Matrimonium, *ibid. n.* 286.

Raptus est abductio personæ seu volentis seu invitæ ad explendam libidinem, aut contrahendum Matrimonium, *ibid. §.* 15. *n.* 287. Uterque Raptus est impedimentum dirimens Matrimonium, redditurque Raptor inhabilis ad contrahendum Matrimonium cum Rapta, etiamsi ipsa consentiat, nisi priùs in loco tuto ac libero fuerit constituta, sive volentem sive invitam rapuerit, *ibid. n.* 288.

Tria, ut alibi diximus, sunt Matrimonii bona, scilicet Fides, proles, & Sacramentum. Alia conjugum peccata directè pugnant contra fidem thori; alia contra bonum prolis; alia denique contra Sacramenti dignitatem, *ibid. c.* 5. *n.* 289.

Contra Matrimonii fidem pugnant 1mo. Adulterium, ad quod refertur concupiscentia personæ extraneæ, & quivis actus libidinosus in illud tendens, ut tactus, oscula, & cogitatio morosa, *ibid. §.* 1. *n.* 290. 2do. Voluntaria pollutio, & à fortiori peccata contra naturam, ut Sodomia & aliæ monstruosæ ac execrandæ libidines, *ibid. n.* 291. 3tio. Denegatio debiti conjugalis, quæ ex natura sua est peccatum mortale, *ibid. n.* 292. Potest tamen aliquando denegari tale debitum absque culpa saltem gravi, 1mo. Adultero; 2do. omninò ebrio; 3tio. morbô contagiosô laboranti; 4to. si adsit proximum & evidens vitæ periculum. Ubi tamen ex congressu cum viro e. g. leprâ, morbô comitiali, laborante non imminet notabile vitæ aut sanitatis seu infectionis periculum, tenetur uxor reddere debitum petenti, *ibid. n.* 293.

Non peccat, qui vel quæ justis de causis aliquando dumtaxat denegat debitum remissè petenti, aut dilationem facilè concedenti citra periculum incontinentiæ, cùm tùnc non graviter exigatur; ut si ad sacram Synaxim accedere velit, non sat benè se habeat, menstrua patiatur, uterum gerat, vel objiciat petenti, quòd frequentiùs & intemperantiùs petat, *ibid. n.* 294.

Licitè & absque culpa vir ab uxore gravida petit debitum ob periculum grave incontinentiæ, dummodò absit periculum perdendi fœtum etiam non-

niale sed grave tamen. Sed qui extra periculum pollutionis hunc naturalem situm ex necessitate immutat, nullatenùs peccat, *ibid.* 3tio. si impediant ne proles concipiatur, vel conceptam extinguant susceptum semen ejicientes, vel ejicere conantes. Multi tamen à peccato, mortali saltem, excusant mulieres, quæ proprium semen privatim effundunt ex necessitate, ut ipsæ putant, cùm scilicet postquam vir jam seminavit & retrocessit, uxor nondum seminavit, manente interim valdè irritata libidine, *ibid. n.* 307.

Peccant lethaliter conjuges, qui de industria actum conjugalem interrumpunt absque seminatione integra ob periculum pollutionis, qui tunc nunquam abest saltem ab alterutro; item si in coitu vir de industria non seminet etiam consentiente uxore, *ibid. n.* 308. Si actum illum exerceant cum periculo abortûs vel cum gravi nocumento prolis & valetudinis conjugum, peccant mortaliter; adeoque etiam ii, qui procurant abortum fœtûs animati, aut si dubitetur de ejus animatione: at si fœtus nondum sit animatus, in extremo, quod matri imminet, mortis periculo licet illum ejicere & abortum procurare, *ibid. n.* 309. Peccat etiam mortaliter conjux, si debitum deneget poscenti, ea dumtaxat ratione, ne numerosiore familia gravetur; excipe, nisi ambo liberè in id consentiant, *ibid. n.* 310.

In perceptione Sacramenti Matrimonii peccant 1mo. qui cum conscientia peccati mortalis ad illud accedunt; 2do. Sacramentum istud indignè percipiunt, qui ad illud præcipuè desiderio alicujus boni temporalis accedunt: hinc multis videtur peccare mortaliter juvenis, qui ducit vetulam solo intuitu bonorum temporalium, quæ illa pollicetur; 3tio. in Sacramentum graviter delinquunt, qui ad illud tanquam ad profanum spectaculum accedunt, quique solemnitatem nuptiarum adornant pompis Sathanæ, *ibid.* §. 3. *n.* 312. Conjugum rixæ, dissidia, & cætera, quæ turbant societatem conjugalem, repugnant sanctitati hujus Sacramenti, *ibid. n.* 313. Conjuges etiam mortaliter peccant 1mo. si cum affectu adulterino ad aliam personam, quæ in ipso actu præsens repræsentetur vel optetur, vel etiam cum affectu fornicario seu accedendi ad suam, etiamsi sua non esset, actum conjugalem exercent; 2do. si actum conjugalem exerceant coram aliis; vel in Ecclesia: excipe tamen, si in civitatis alicujus obsidione vel hostium irruptione cives unà cum uxoribus & liberis suis asylum quærant in Ecclesia, atque per aliquot septimanas in ea morentur, tunc enim quis in gravi & proximo incontinentiæ periculo absque culpa debitum conjugale petere & reddere potest; 3tio. si ita frequens sit vel intempestivus actus conjugalis, ut impediat tempora, quæ orationi debentur, ut sunt dies festi, his enim diebus actus conjugalis damnabiliter exercetur, cùm ex nimia frequentia hominem ita reddit carneum, ut è cœno voluptatum, in quo volutari solet, emergere nequeat hisce diebus orationi consecratis: aliàs debitum conjugale exigere iisdem diebus, seclusô proximô incontinentiæ periculô, est veniale dumtaxat, reddere autem nullum, *ibid. n.* 314.

Matthaus (Sanctus) Quis fuerit? *Tom.* 1. *Tract.* 1. *part.* 2. *Sect.* 2. *c.* 1. *n.* 555. Quando Evangelium suum scripserit & quo idiomate, *ibid. n.* 556. & 557. Putant aliqui eum illud græcè scripsisse, *ibid. n.* 559. & 560. sed sine sufficienti fundamento, *ibid. n.* 561. Quid

Meri-

Meriti igitur, quod à merendo dicitur, nomine opus præmio & retributione dignum intelligitur; sicut è contrario demeritum vocatur opus pœnis & suppliciis plectendum. Lutherani & Calvinistæ quodlibet verum ac propriè dictum meritum excludunt, *ibid. Tract.* 4. *c.* 4. *§.* 3. *n.* 105

Datur meritum propriè dictum, seu bona justorum opera verè ac propriè sunt meritoria, *ibid. n.* 106, Solv. ob. *ibid. n.* 112. *& seq.* Multæ conditiones requiruntur ad meritum strictè sumptum, sive sit de *condigno* sive de *congruo* tùm ex parte merentis, tùm ex parte Operis meritorii, tùm ex parte Dei remunerantis, *ibid. n.* 107. *&* 108. Justi per bona opera sua de *condigno* mereri possunt beatitudinem æternam, *ibid. n.* 109. Solv. ob. *ibid. n.* 112. *& seq.* Nemo potest ne quidem de *congruo* mereri primam gratiam actualem, sed benè primam gratiam sanctificantem, non quidem de *condigno*, sed de *congruo*, *ibid. n.* 110. Homo justus non potest de *condigno* mereri perseverantiam, potest tamen de *congruo* eam mereri, *ibid. n.* 111. Solv. ob. *ibid. n.* 129. *& seq.*

Metreta genus vasis seu mensuræ Græcis idem ac Batus, & Hebræis idem ac Ephi, *Tom.* 1. *Tract.* 1. *part.* 1. *c.* 8. *n.* 139.

Metropolita seu *Metropolitanus* est Episcopus qui præest provinciæ suæ Episcopis, & ab istis in foro contentioso ad Metropolitanos fieri potest provocatio, &c. *Tom.* 4. *Tract.* 7. *part.* 1. *c.* 8. *§.* 9. *n.* 142. Eo nomine veniunt Archiepiscopi, quia in iis præcipuè locis, qui insigniores sunt, sedes habent, velut qui eam urbem incolere solcant, quæ provinciæ cujusdam Metropolis, id est, Mater ac caput est, *ibid. part.* 2. *c.* 1. *§.* 1. *n.* 191. Insigne Metropolitani seu Archiepiscopi est pallium, quo eum Clemens I. Papa ornavit, voluitque, ut ei crux præferretur: prima pallii hujus institutio etiam tribuitur Lino I. est vestis candida ex ovium lana, cui à fronte & à tergo duæ fasciæ pendent, & quæ ad humeros circulum claudit, ac quatuor purpureis crucibus insignita est: hoc pallium olim etiam Episcopis missum fuit: conceditur etiamnum Episcopo Ostiensi ex privilegio Marci Papæ, qui an. Christi 336. Ecclesiæ præfuit, quòd ab eo Romanus Pontifex consecretur, *ibid. n.* 192.

Metus est futuri & instantis periculi causâ mentis trepidatio, seu inquietudo ac perturbatio. Duplex est, *gravis* scilicet, & *levis*: *gravis* iterùm duplex est; alius *absolutè gravis*, qui ideò dicitur cadens in virum constantem, estque mali alicujus in se gravis & instantis vehemens opinio; alius *respectivè gravis*, estque timor mali alicujus, quod etsi virum constantem non commoveat, meritò tamen formidandum videtur certis quibusdam personis: *Levis* est ille, quo timetur malum leve, vel grave quidem, sed non verisimiliter impendens. Ad metum gravem refertur metus seu timor reverentialis, id est, timor habendi parentem aut Superiorem diu ac graviter infensos. Metus oriri potest vel ab intrinseco, vel ab extrinseco: extrinsecum autem illud vel est necessarium & naturale, ut naufragium, incendium; vel est liberum, ut homo; homo autem vel justè metum incutit, ut Judex, qui stupratori exilium minatur, nisi ei, quam corrupit, certam pecuniæ summam eroget; vel injustè, ut dùm sicarius gladium intentat, nisi bursam porrigas.

nuit,quod apud veteres Patres frequens eſt, adeoque perantiquum, *Tom.* 4. *Tract.* 4. *part.* 2. *n.* 355.

Quotquot ex Acatholicis realem Chriſti præſentiam in Euchariſtia negârunt & etiamnum negant, ii & noſtrum Miſſæ Sacrificium velut noxium & Sacrificio crucis injurioſum ab Eccleſia omninò removendum eſſe contendunt. Lutherani verò, qui realem illam præſentiam admittunt non ita facilè ſecum ipſis conciliari poſſunt: Philipus Melanchton Lutheri aſſecla ſibi viſus eſt inveniſſe medium efficax ad expungendum Miſſæ Sacrificium, ſi nempè dicatur, Chriſtum non eſſe permanenter in Euchariſtia præſentem, ſed tantùm tranſeunter & in ipſo uſu, quando ſcilicet ſumitur, *ibid. c.* 1. *§.* 1. *n.* 359. Sacrificium Miſſæ ſeu Euchariſtia eſt verum ac propriè dictum Novæ Legis Sacrificium, *ibid. n.* 360. *& ſeq.* Solv. ob. *ibid. n.* 365. *& ſeq.* Sacrificium iſtud non in ſola mortis Chriſti commemoratione ac repræſentatione reponi debet, ſed in oblatione incruenta & myſtica Chriſti realiter præſentis ſub ſpeciebus panis & vini, *ibid. §.* 2. *n.* 373. *& ſeq.* Solv. ob. *ibid. n.* 384. Chriſtus prout exiſtit ſub ſpeciebus panis & vini primò ac principaliter Deo in Sacrificium offertur, ſpecies verò Sacramentales non pertinent ad Sacrificium tanquàm partes, ſed tanquàm conditiones, *ibid. n.* 378. Solv. ob. *ibid. n.* 385. *&* 386. Eſſentia Miſſæ Sacrificii non conſiſtit in oblatione, quæ fit vel ante vel poſt conſecrationem, neque in fractione & commixtione hujus Sacramenti, neque in ſumptione, ſive quateuùs fit à Sacerdote, ſive à populo; ſed adæquatè conſiſtit in conſecratione, *ibid. n.* 379. *& ſeq.* Solv. ob. *ibid. n.* 387. *& ſeq.*

Conſecratio ſub utraque ſpecie eſt juris divini, atque ad eſſentiam Sacrificii Miſſæ eſt neceſſaria, *ibid. §.* 3. *n.* 391. Solv. ob. *ibid. n.* 392. *& ſeq.*

Incruentum Miſſæ Sacrificium eſt verè propitiatorium & impetratorium, *ibid. §.* 4. *n.* 400. *& ſeq.* Solv. ob. *ibid. n.* 404. *&* 405.

Per Miniſtrum Sacrificii Miſſæ hîc univerſim intelligitur ille, qui illud offerre poteſt: per Subjectum verò perſonæ deſignantur, pro quibus offerri poteſt, *ibid. c.* 2. *n.* 406. Chriſtus eſt verè & propriè principalis offerens in Miſſæ Sacrificio, *ibid. §.* 1. *n.* 408. *& ſeq.* Solus Sacerdos, qui legitimè ordinatus eſt, poteſt legitimè & validè offerre Sacrificium Miſſæ in perſona Chriſti, *ibid. n.* 411. Sacerdotes ſunt Miniſtri Chriſti, Eccleſiæ, & populi: Chriſti, cujus perſonam gerunt; Eccleſiæ ac populi, cujus vota offerunt Deo per Chriſtum pro publica omnium ſalute intercedentes & offerentes Sacrificium. Sacerdotes excommunicati, ſuſpenſi, depoſiti, degradati, hæretici, aut Schiſmatici, validè Sacrificium perficiunt, *ibid. n.* 411. *&* 412.

Euchariſtia à pluribus ſimul Sacerdotibus validè conſecrari poteſt, *ibid. n.* 413. Nonniſi ſemel per diem licet Miſſæ Sacrificium offerre, excepto die Nativitatis Domini, niſi cauſa neceſſitatis aliud ſuadeat, *ibid. n.* 414. Interdùm, ſcilicet perſecutionis tempore, vel in Cœnobiis Miſſas, quas ſolitarias vocant, id eſt, ſine Miniſtro aliquo, qui Sacerdoti ſacrificanti aſſiſtat & inſerviat, olim celebratas fuiſſe conſtat; at mos iſte abrogatus fuit & prohibitus: porrò nunquam, nec etiam in caſu neceſſitatis mulierem ad hujuſmodi miniſterium adhibere licet, *ibid. n.* 415. Eccleſia, ſeu Fideles, qui ſunt in Eccleſia & Sacrificio Miſſæ aſſiſtunt, etiam ſuô modô illud offerunt, *ibid. n.* 416. Licet offerre Miſſæ Sacrificium, etſi, præter Sacerdotem offerentem, nullus adſit, qui communicet, *ibid. §.* 2. *n.* 418.

In-

incumbit tùm jure divino, tùm Ecclesiastico nonnunquam Missam celebrare, *ibid. n.* 452. & *seq.* Quoties autem in anno celebrare teneantur, nulla lege divina determinatum est; disciplinæ, non fidei, istud caput est; quo frequentiùs eò meliùs: saltem diebus Dominicis & festis ad hoc teneri videntur. In Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis, & Religiosorum, quotidie sub mortali peccato, saltem ab uno, celebrari debet Missa, idque vel ex usu & consuetudine vim legis habente, vel ex fundatione. Jejunii dies excipiunt Græci, quibus non consecrant, sed ex asservata Eucharistia communicant; & hoc vocatur ab ipsis *Missa præsanctificatorum*: usum hunc Latini solâ feriâ VI. Majoris Hebdomadæ, quæ Parasceves dicitur, tenent, *ibid. n.* 454. In domibus privatis mysteria primis Ecclesiæ temporibus peracta fuère, deinde, crescente Fidelium numero, extructa fuère, etiam sub Imperatoribus Ethnicis, Oratoria; furente autem persecutione, agri, solitudines, naves, stabula, carceres, cœmeteria, ad sacros conventus peragendos Templi locô fuerunt. Pace verò per Constantinum Ecclesiæ data, tùm Dedicationum per singulas urbes festivitas, & Oratoriorum recèns extructorum consecrationes Christianis omnibus factæ sunt; & ex eo tempore nonnisi in Ecclesiis, & Capellis saltem benedictis Sacrum actum est, ac etiamnum sub mortali, ob materiæ gravitatem, alio in loco celebrare nulli Sacerdoti licet, nisi Episcopus ob justas causas dispenset, *ibid.* §. 2. *n.* 455.

In Templis seu Ecclesiis pollutis aut violatis Officium divinum ac Missæ Sacrificium celebrari ampliùs non potest, quo usque reconciliatæ seu purificatæ fuerint: & si Ecclesia aliqua violata fuerit Sacerdote celebrante, tenetur intermittere Missam, si nondùm Canonem inchoavit. Polluitur autem Ecclesia 1mo ubi intra eam sepultus est excommunicatus denuntiatus, aut aliquis absque Baptismo defunctus; 2do. Quando quis criminosè in ea occisus est, vel lethaliter vulneratus, aut ubi ex plaga subsequitur multa sanguinis effusio; 3tio. Per qualemcumque humani seminis voluntariam effusionem sive licitam sive illicitam: pollutâ autem Ecclesiâ polluuntur simul & Altaria, imò & cœmeterium, si sit Ecclesiæ contiguum. Cæterùm Ecclesia non censetur polluta, si quid ex modò dictis contigerit supra Ecclesiæ fornicem vel tectum, vel in cancris adhærentibus, in turri, vel in subterraneo specu, qui non sit ad sepulturam, vel etiam, juxta multos, in Sacristia, *ibid. n.* 456. Hæc etiam intelligenda sunt de Ecclesia execrata, seu quæ consecrationem suam amittit, cùm ejus parietes secundùm majorem sui partem destruuntur aut corruunt, vel omnis earum crusta aut saltem major pars simul aufertur, *ibid. n.* 457. Ecclesiæ violatio seu pollutio tollitur per ejusdem Ecclesiæ reconciliationem, *ibid. n.* 458. Missa seu Sacrum olim peractum fuit modò unâ modò alterâ horâ: nunc autem solis horis matutinis, si noctem Nativitatis Domini excipias, illud celebratur. Jure communi, præter Missam primam Nativitatis Domini, Missa non debet inchoari ante auroram, nec post meridiem, nisi ob necessitatem conficiendi Eucharistiam pro viatico. In pluribus locis ex consuetudine, vel tacitâ licentiâ, hyemis tempore in gratiam opificum vel similium unâ cum dimidia hora ante auroram Missa celebratur: per auroram intelligitur prima lucis irradiatio, quæ, excepto tempore utriusque æquinoctii, durat per horam cum dimidia, & aliquando per duas horas pro diversis mensibus; undè universim Missam inchoare licet duabus

horis ante Solis ortum; ſic enim adhuc ad initium auroræ finitur: & cùm Religioſi gaudeant privilegiô celebrandi unâ horâ ante auroram, his licitum erit tribus horis ante Solis ortum Miſſam inchoare. Peccat venialiter, qui absque juſta causa longiùs ante auroram celebrat, *ibid. n.* 459. Nulla ſuppoſita obligatione unicuique liberum eſt fructum Sacrificii applicare pro ſuo libitu: ex triplici autem titulo oriri poteſt obligatio applicandi fructum Sacrificii, ſcilicet ex juſtitia, fidelitate, & obedientia, *ibid. n.* 460. quas obligationes per ſe loquendo ſub mortali obligare affirmant non pauci Theologi, & certum videtur de obligatione ex juſtitia & obedientia; at obligatio ex fidelitate non infert niſi culpam venialem, niſi quis expreſsè intenderit ſe graviter obligare, aut oblatum ſtipendium accipere renueret ſuſcepta tamen obligatione Miſſam legendi, *ibid. n.* 461.

Licet ſtipendium juſtum pro celebratione Miſſæ percipere, non quidem tanquam operis pretium, quod eſſet grande Sacrilegium, ſed in ſuſtentationem operantis, *ibid. ſ.* 3. *n.* 462. Porrò ſtipendium juſtum eſt illud, quod lege vel conſuetudine approbata conſtitutum eſt, *ibid. n.* 463. Cùm datur ſtipendium, ut celebretur Miſſa tali locô vel tali tempore, pro tali causâ, neceſſitate, &c. hæc omnia ex juſtitia ſervari debent, *ibid. n.* 464. Non licet anticipatè dicere Miſſam pro iis, qui primùm offerent ſtipendium, *ibid. n.* 465. Qui pinguius ſtipendium pro celebratione Miſſæ accepit, non poteſt, una parte ſibi reſervata, alteram dare alicui Sacerdoti, qui in ejus locum Sacrificium offerat, ſed integrum reddere tenetur, *ibid. n.* 466. Non etiam licet pro una Miſſa accipere plura ſtipendia, nec pluribus acceptis unâ Miſſâ ſatisfacere, *ibid. n.* 467. 469. & 470. Qui ab aliquo ſtipendium accepit, ut Miſſam pro ipſo celebret, non ei licet ab alio quidquam accipere, ut ei in eadem Miſſa applicet eam fructûs partem, quæ ipſi Sacerdoti contingit, *ibid. n.* 468.

Sacerdotes, qui vel ex bonis patrimonialibus, vel ex pingui Beneficio, &c. commodam habent ſuſtentationem, vel divites ſunt, poſſunt nihilominùs pro Miſſa celebranda, ad quam celebrandam aliàs non tenentur, ſtipendium accipere, *ibid. n.* 471. Sacerdos qui tot accipit Miſſarum ſtipendia, ut easdem nonniſi longo poſt tempore celebrare & perſolvere poſſit, graviter peccat, *Tom.* 3. *Tract.* 4. *c.* 2. §. 7. *n.* 89. proindè ſecundùm communem penè omnium ſententiam, cui omninò adhærendum eſt, graviter peccat, qui tot Miſſis ſe onerat, ut eas intra duos circiter menſes celebrare non poſſit, *ibid. n.* 90.

Omnes Fideles rationes uſum habentes jure naturali, divino, & Eccleſiaſtico tenentur, ſi nullo excommunicationis aut interdicti vinculo ligati ſint, ſub mortali aſſiſtere Miſſæ Sacrificio diebus Dominicis & feſtis, *Tom.* 4. *Tract.* 4. *part.* 2. *c.* 4. *ſ.* 4. *n.* 472. & *ſeq.* Miſſa tota & integra eſt audienda: hinc mortale eſt ſine juſta cauſa excuſante omittere partem notabilem Miſſæ, qualis eſt, v. g. tertia illius pars; veniale verò ſi pars exigua ſine cauſa omittatur. Juxta multos peccat ſolùm venialiter, qui ab initio Epiſtolæ vel Evangeli Miſſæ usque ad illius finem intereſt; peccat verò mortaliter, qui tempore conſecrationis, aut communionis Sacerdotis celebrantis abeſt, *ibid. n.* 475. Tota Miſſa ejusdem Sacerdotis eſt audienda; undè non ſatisfacit, qui plures partes ſimul à diverſis celebran-

lebrantibus audit, nec qui duas partes à duobus Sacerdotibus successivè celebrantibus, *ibid. n.* 476. Singuli Fideles tenentur Missæ parochiali seu Parochiæ ipsorum interesse, &c. *ibid. n.* 477.

Quoad modum huic Sacrificio assistendi requiritur intentio audiendi Missam tanquam actionem sacram, qua Deo supremus cultus defertur, &c. *ibid. n.* 478. Requiritur præsentia corporis, *ibid. n.* 479. ut & moralis ac pia, ita, ut quis non solùm corpore præsens sit, sed etiam animô piè intentus ad res divinas, seu in ipsum Deum per preces, oblationem Sacrificii, laudem, amorem, &c. Hinc qui per notabilem Missæ partem confabulatur, vel voluntariè distrahitur, peccat mortaliter, nisi aliam Missam posteà audire statuerit: Satisfaciunt tamen, qui quomodocumque ministrant Sacro, etsi occupentur quærendis è Sacristia necessariis; item qui occupantur pulsandis organis, vel follibus attollendis, &c. qui verò per notabile Missæ tempus confitetur, non satisfacit præcepto, *ibid. n.* 480. à peccato excusantur, qui Sacrificio Missæ non intersunt 1mo. ex impotentia non solùm physica sed etiam morali, qualem habent ii, qui custodiunt castra, urbem, domum, gregem, &c. infirmi, si non habeant in domo Oratorium, in quo eam possint audire; 2do. ex charitatis officio, ut si infirmus egeat præsentiâ alterius, *ibid. n.* 481.

Sacerdoti sine ulla laudabili seu rationabili causa non licet Sacrum celebrare ante persolutum Officium matutinum; hanc verò obligationem gravem non esse jam communiter tenent Doctores, *ibid. c.* 5. *n.* 482. Cæremoniæ, quæ Missam præcedunt, aliæ sumuntur à persona, aliæ à loco, aliæ verò à tempore: ex parte personæ requiruntur vestes sacræ; ex parte loci Templa, Altaria, vasa sacra, lumina; ex parte temporis requiritur ut Sacrificium celebretur ante meridiem & ante omnem degustatum cibum, qua de re primùm dictum est, *ibid.* §. 1. *n.* 484. Sex numerantur vestes Sacerdotis, cum ad Sacrificium peragendum accedit, scilicet Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola seu Orarium, Casula seu Planeta, *ibid. n.* 485. *& seq.*

Vestes Diaconi & Subdiaconi Sacerdoti celebranti assistentium & ministrantium sunt pro Diacono, præter Albam & Cingulum, Manipulus, Stola, & Dalmatica; pro Subdiacono autem Alba, Cingulum, Manipulus & Dalmatica, *ibid. n.* 492. *& seq.*

Ex parte loci cæremoniæ sunt Templum, Altare, vasa sacra Calix & Patena; Liteamina Sacra, Corporale scilicet, Palla, & Purificatorium: præterea in Altari requiruntur tres mappæ ab Episcopo vel ab alio potestatem habente benedictæ; Crux etiam in medio Altaris est collocanda, quæ gerat imaginem Crucifixi; necessarium quoque est lumen ex cereis candelis constans, Thus, Incensum, Missale, *ibid. n.* 495. *& seq.*

Cæremoniæ, quæ in celebratione Missæ observantur, ad quinque capita revocari solent; aliæ enim referuntur ad Deum, aliæ ad Sacrificiũ; aliæ ad Sacerdotem celebrantem; aliæ ad populum; aliæ denique ad ea, quæ in Missa recitantur, *ibid.* §. 2. *n.* 502. Cæremoniæ, quæ ad Deum referuntur tres sunt: Elevatio manuum, elevatio oculorum, & inclinatio corporis, aut genuum incurvatio, *ibid. n.* 503. Cæremoniæ erga Sacrificium sunt elevatio hostiæ consecrandæ coram Domino, quæ fit in Offertorio

Moneta variæ fuerunt apud Antiquos, de quibus S. Scriptura facit mentionem, *Tom.* 1. *Tract.* 3. *part.* 1. *c.* 8. *n.* 123.

Monitio duplex est Canonica una, altera non Canonica: hæc nihil est aliud quàm lex aut sententia Superioris aliquid præcipientis aut prohibêtis sub pœna Censuræ: Canonica est ea, per quam auctoritate Superioris admonetur per Sententiam reus personaliter saltem indeterminatè, ut à culpa resipiscat, vel satisfaciat, nisi velit censuram incurrere. In omnibus Censuris à Jure, imò & ab homine pro culpis futuris non requiritur Monitio distincta ab ipsa lege vel prohibitione. Canonica Monitio, ut Censura sit justa, trina debet esse, interpositò aliquorum, saltem duorum vel trium dierum intervallò, nisi mali impendentis periculum, aut facti urgens necessitas aliud exigat, & non patiatur dilationem; tunc enim à Judice, unica facta Monitione, Censura infligi potest. Canonica Monitio ad reum personaliter ferri debet, si nihil obstet: quando verò vel ipse malitiosè latitat, satis est, si Monitio cum comminatione ad ipsius domum fiat, vel si ad ejus domum non pateat accessus, ad Ecclesiæ valvas, vel ad alium publicum locum affigatur, unde ad ipsum illius notitia pervenire possit, sin' autem per contumaciam non compareat, etiam absens censurâ inuri potest, *Tom.* 4. *Tract.* 7. *part.* 2. *c.* 3. §. 4. *n.* 266.

Monitorium definitur Monitio simul & Mandatum Judicis Ecclesiastici, quo jubet eos, qui factum aliquod criminosum norûnt in ipso Monitorio expressum & denuntiatum, ejusque auctorem aut complices, ea, quæ circa illud ad suam cognitionem devenerint, teneri sub pœna excommunicationis revelare. Non ab alio, quam ab Episcopo seu ejus Officiali decerni debent Monitoria, nec concedi nisi pro re gravi, & habito priùs diligenti examine. Licèt plerumque trina, singulisque hebdomadis una, primùm fiat Litterarum Monitorialium publicatio sub sola comminatione excommunicationis, expectare tamen non debent, qui sciunt factum aliquod revelandum, ut post elapsas tres hebdomadas sententia excommunicationis feratur, ac subindè in reos consciosque processus, ut ajunt, aggravetur & reaggravetur; sed quamprimùm ad revelationem venire tenentur, idque sub pœna inobedientiæ erga Ecclesiam, nisi gravis causa, aut legitimum impedimentum à revelatione dispenset: excusantur enim ab ea, qui rationabiliter timerent, ne gravissimum sibi detrimentum aliquod ex revelatione subsequeretur. Si tamen ageretur de bono publico sive Ecclesiæ sive Reipublicæ, ad revelationem tenerentur etiam cum sui damno. Excusantur etiam consanguinei & affines Rei ad quartum usque gradum, multò magis ipse accusatus. Tamen sub suprà dicta pœna excommunicationis tenentur & accusatus & complices ad satisfaciendum secretò, aut ad restituendum, si possunt. Neque etiam Litteræ Monitoriales eos ad revelationê obligant, qui factum noverunt per confessionem, aut (nisi res cognita vergat in Ecclesiæ vel Reipublicæ perniciem) per naturale secretum. Tenentur etiam ad revelationem extranei transeuntes, ipsique etiam à jurisdictione ordinaria exempti, *Tom.* 4. *Tract.* 7. *part.* 2. *c.* 3. §. 3. *n.* 253.

Monopolium vox græca *unius venditionem* latinè sonat, estque conventio unius vel plurium Mercatorum, ut soli, vel certô, quo voluerint, pretiô mercem aliquam vendant, *Tom.* 3. *Tract.* 5. *c.* 3. *Sect* 2. §. 1. *n.* 298. publica auctoritate constitutum licitum est, si fiat ob justam causam & justô pretiô, *ibid. n.* 299. privata verò auctoritate constitutum prohibitum est non solùm jure & lege humana sed etiam

divi-

Scriptores Ecclesiastici. Ejus ætates septem numerantur, *Tom.* 2. *Tract.* 2. *c.* 2. *ʃ.* 1. *n.* 78. Quonam ordine cuncta in mundo visibilia à Deo condita fuerint, *ibid.* *ʃ.* 2. *n.* 79. cur Eva educta fuerit è latere Adami, cùm fœminæ in aliis animalium speciebus non fuerint hoc modô productæ, *ibid.* *n.* 80.

Mutatio Legis, alia est propriè dicta mutatio, alia inpropriè: prior fit, quando Lex in se ipsa mutatur; posterior verò fit per Legis dispensationem aut etiam interpretationem, &c. duntaxat, lege tamen in se ipsa haud immutata, *Tom.* 3. *Tract.* 2. *part.* 1. *c.* 2. *Sect.* 1. *ʃ.* 4. *n.* 36. & *Sect.* 2. §. 6. *n.* 164. (Vid. *Lex*)

Mutilatio dicitur vel totalis abscissio membri alicujus distinctam functionem habentis in corpore animato, ut oculus ad videndum, manus ad palpandum; vel etiam in probabili sententia notabilis diminutio membri, ut abscissio unius digiti, præsertim ex majoribus. In Jure æquiparatur occisioni, sive sit directè volita, sive solùm indirectè, sive physicè, sive moraliter patrata, *Tom.* 4. *Tract.* 7. *part.* 3. *c.* 4. *ʃ.* 4. *n.* 371. (Vid. *Homicidium*, *Irregularitas ex delicto Homicidii*)

Mutuatarius (Vid. *Mutuum*)

Mutuator non potest fructus pignoris sibi pro mutui assecuratione traditi ultra sortem exigere & accipere, *Tom.* 3. *Tract.* 5. *c.* 3. *Sect.* 2. *ʃ.* 3. *n.* 348. & 349. (Vid. *Mutuum*)

Mutus (Vid. *Cooperatores ad damnum*)

Mutuum secundùm nominis etymologiam significat id, quod ex meo tuum fit; secundùm nominis usum aliquando sumitur pro re ipsa, quæ mutuo datur; frequentiùs accipitur pro contractu, quo ea res alteri datur, sicque sumptum definitur Contractus, quo res numerô, pondere, vel mensurâ constans traditur eo animo, ut statim fiat accipientis cum obligatione reddendi similem in specie & bonitate post lapsum temporis, *Tom.* 3. *Tract.* 5. *c.* 3. *Sect.* 2. §. 2. *n.* 304.

Obligationes Mutuatoris sunt 1mo. ut moneat Mutuatatium de vitio rei, si quod ei insit; 2do. ut non repetat mutuum ante tempus præfinitum; 3tio. ut non plus exigat, quàm valeat res mutuata, *ibid.* *n.* 305.

Mutuatarius verò ex natura Mutui tenetur 1mo. reddere mutuum tempore statuto, vel quando Mutuator rationabiliter petet: quòd si ex culpa sua non reddat tempore debito, tenetur compensare Mutuanti damnum indè secutum & lucrum cessans: tenetur etiam de omni casu fortuito, atque reddere rem ejusdem speciei & bonitatis, nisi contentus sit Mutuator, si ei pretium rei solvat, *ibid.* *n.* 306. Seclusa justa speciali conventione mutuata pecunia non potest exigi eadem in specie physica, sed solùm eadem in valore, quem habuit tempore mutui, saltem si tempore mutui hæc mutatio non fuit prævisa, nec spectata: in aliis verò rebus, in quibus per se spectatur & intenditur rei entitas, restitui debet in eadem specie physica, *ibid.* *n.* 307. Si sit dubium an res tempore restitutionis valitura sit pluris vel minoris, licet pascisci, ut reddatur par mensura rei æquè in se bonæ; secùs si probabiliùs sit rem tempore solutionis plus valituram, quàm modò valeat, &c. *ibid.* *n.* 308. (Vid. *Usura*)

N.

ſe creaturæ ſanæ & innocenti debita ac naturalia, *ibid. n.* 24. Solv. ob. *ibid. n.* 38. & 39.

Lutherus & Calvinus agnoſcunt gratiam ſtatûs innocentiæ permiſſam fuiſſe libero arbitrio, eamque gratiam ſanitatis, quia primo homini ſano collata fuit, cui porro aſſentiri vel reſiſtere poſſet, nuncupant: at ſecùs de gratia eidem nobisque omnibus ejus poſteris poſt lapſum data ſentiunt, ut quæ juxta ipſos hominis lapſi voluntatem neceſſariò determinet, illamque gratiam medicinalem vocant, eò quòd hominem à peccati ſui infirmitate ſanet. Eos ſecutus eſt Janſenius Yprenſis, *ibid. n.* 26. Catholici ultrò fatentur Adamum in ſtatu innocentiæ indiguiſſe ſupernaturali gratiæ auxiliô, *ibid. n.* 27. necnon gratiam actualem hominibus lapſis neceſſariam, quæ medicinalis dicitur, differre à gratia ſtatûs innocentiæ, non tamen ideò, velut quòd hæc fuerit repudiabilis, illa verò neceſſitans, *ibid. n.* 28. ſed in alio diſcrimen iſtud reponunt, in quo tamen aſſignando non una omnium eſt ſententia, *ibid. n.* 29. & *ſeq.* Statum naturæ puræ nedum poſſibilem, ſed & exiſtentem admiſerunt Pelagiani; Lutherus omninò impoſſibilem ſtatuit; Calvinus hujus ſtatus impoſſilitatem repetit ex juſtitia, bonitate, & æquitate Dei, cui adſtipulati ſunt Bajus & Janſenius, à quorum opinione non diſcrepat quorumdam Catholicorum ſententia, qui volunt ſtatum naturæ puræ, habita ſolius omnipotentiæ Dei ratione, eſſe poſſibilem, at impoſſibilem habita ratione divinæ juſtitiæ, bonitatis, &c. Cæteri Theologi Catholici ſtatûs naturæ puræ poſſibilitatem propugnant ſub omni reſpectu, ſeu habita ratione tàm omnipotentiæ, quàm juſtitiæ, bonitatis, ſapientiæ, & omnium aliorum attributorum Dei, *ibid. ſ.* 2. *n.* 40. & 41. Solv. ob. *ibid. n.* 42. & *ſeq.*

In ſtatu naturæ lapſæ & per Chriſtum reparatæ datur gratia verè ſufficiens, *ibid. c.* 5. *Sect.* 2. *ſ.* 1. *n.* 187. (Vid. *Gratia*)

Naturale. Duobus modis aliquid dici poteſt homini naturale, 1mo. quia ex principiis & neceſſitate naturæ fluit; ſic cogitare eſt naturale homini: 2do. quia ad id natura propendet, quod ipſi conſentaneum eſt; hoc ſenſu virtus homini naturalis dici poteſt, *Tom.* 4. *Tract.* 8. *part.* 1. *c.* 2. *n.* 52.

Neceſſitas. Libertati opponitur Neceſſitas: alia eſt *coactionis*, quæ eſt vis alicui contra propriam inclinationem illata; alia *inclinationis*, quæ impulſio & motus interior ita determinans ad unum, ut voluntas ab eo abſtinere non poſſit; hæc duplex eſt, una *naturalis inclinationis* ſeu *naturæ*, quæ ſcilicet menti congenita eſt, & provenit à principio intrinſeco ad unum naturaliter determinante; alia *inclinationis adventitiæ*, quæ oritur à motu accidentali, quo mens determinatur ad aliquid, ſive immutabiliter, quod contingit in Beatis, qui ex viſione Dei ad amorem ejus jugiter accenduntur; ſive mutabiliter & tranſitoriè, ut contingit in Syſtemate eorum, qui duas admittunt delectationes, terrenam ſcilicet & cœleſtem, quæ ſucceſſivè ſimul & invincibiliter ad malum & ad bonum trahere finguntur: Alia eſt neceſſitas *ſpecificationis*, cùm voluntas ita ad unam ſpeciem actûs determinatur, ut in ſpeciem oppoſitam ferri non poſſit; ſic Chriſtus ita ad bonum determinatus erat, ut peccare non poſſet; alia *exercitii*, cùm quis non ſolùm ad hanc ſpeciem actûs, ſed etiam ad hunc numerô actum ita determi-

alteram humanam, *Tom.* 2. *Tract.* 3. *c.* 5. *n.* 189. (Vid. *Christus*)

Nilus (Sanctus) Quis? ejus Opera, *Tom.* 1. *Tract.* 4. *c.* 1. *§.* 2. *n.* 64.

Notæ, seu characteres Ecclesiæ, quæ sint, *Tom.* 1. *Tract.* 3. *c.* 2. *n.* 51. & *seq.* (Vid. *Ecclesia*)

Notio. Notionis nomine intelligunt Theologi characterem & formam quamdam peculiarem, qua personæ Divinæ dignoscuntur, & ab invicem distinguuntur, sic Paternitas, Filiatio, & Spiratio passiva dicuntur Notiones, quia exprimunt characteres & formas, quæ non sunt communes tribus Personis, sed cuique earum propriæ. Porro rectè à Theologis post S.Thomam quinque assignantur in Divinis Notiones; scilicet Innascibilitas, seu Improducibilitas; Paternitas; Filiatio; Spiratio activa; & Spiratio passiva, seu Processio, *Tom.* 2. *Tract.* 1. *part.* 2. *c.* 4. *§.* 4. *n.* 433.

Numeri. Quartus Pentateuchi liber Numerorum liber appellatur, quia illius priora tria Capita Hebræos & Levitas enumerant, &c. *Tom.* 1. *Tract.* 1. *part.* 2. *Sect.* 1. *c.* 1. *n.* 199. Solv.ob. *ibid.* *n.* 200.

O.

Obduratio cordis contra misericordiam, fit non compatiendo miseris & egenis, eis non opitulando, eos objurgando, debita durè à debitore exigendo, qui solvendo par non est, &c. Mortalis est, quoties ex ea præceptum eleemosynæ vel charitatis graviter violatur. Est avaritiæ filia, *Tom.* 3. *Tract.* 6. *part.* 3. *c.* 1. *§.* 2. *n.* 267.

Obedientia generatim definitur Virtus, qua quis voluntati Superioris se accommodat. Duplex est strictè ac propriè sumpta, & minùs strictè seu latè accepta: strictè sumpta dici potest Virtus inclinans ad observanda Superiorum præcepta: ea iterùm duplex est, Generalis scilicet & Specialis: Generalis est virtus inclinans ad observandum quodvis præceptum ex quovis motivo bono, & sic obedire pertinet ad quamlibet virtutem, ex cujus motivo mandatum servatur: ei opponitur inobedientia generalis, quæ est vitium generale consistens in cujusvis præcepti violatione ex quovis motivo; est peccatum mortale in re gravi, veniali in levi, & includitur in omni peccato tanquam ratio generica: Specialis verò obedientia est Virtus inclinans subditum ad exequenda præcepta Superiorum, quia præcepta sunt: ei opponitur inobedientia formalis, quæ est violatio præcepti, quia præceptum est: undè semper est mortalis, etiam in re levi; quia est contemptus præcepti ac potestatis præcipiendi. Obedientia autem latè seu minùs strictè sumpta est virtus, quia quis voluntati Superioris se accommodat, sive præcipiat sive non, *Tom.* 3. *Tract.* 5. *c.* 4. *n.* 453. (Vid. Tract. de Statu Religioso, &c.)

Obex. Nomine obicis & fictionis in materia Sacramentorum non intelligitur simulatio aliqua, sed idem est ac prava dispositio in susceptione Sacramentorum, quæ characterem imprimunt. Obex autem seu fictio impedire potest vel valorem Sacramenti, si nempè suscipiatur sine dispositione ad ejus valorem requisita; vel solùm effectum gratiæ. Certum est, sublato etiamnum obice impediente valorem Sacramenti non reviviscere Sacramentum, quia Sacramentum nul-

Obreptio (Vid. *Dispensatio*)

Obscuritas Fidei Christianæ. Fides nec ex parte motivorum credibilitatis, nec ex parte revelationis est obscura, sed ex parte objecti materialis, quod creditur, ita ut credi non possit, quod vel evidenter scitur, vel videtur, *Tom.* 3. *Tract.* 3. *part.* 1. *c.* 5. §. 2. *n.* 98. & 99. Solv. ob. *ibid. n.* 100. & *seq.*

Observantia vana. Vana observantia est superstitio, qua ad effectum aliquem obtinendum adhibentur media vana, inutilia, & improportionata, vel, qua quis ex observatione eventûs fortuiti actiones suas vanè dirigit; ut cùm quis certa verba profert, aut adhibet herbas in vigilia S. Joannis Baptistæ collectas, &c. Non differt à Divinatione nisi quòd hæc ad cognitionem occultorum ordinetur, illa verò ad effectum externum vel opus observantis; quare quæ dicuntur de Divinatione, debent cum proportione accommodari vanæ Observantiæ, *Tom.* 3. *Tract.* 6. *part.* 3. *c.* 3. *Sect.* 1. §. 3. *n.* 420. (Vid. *Divinatio*)

Tres assignantur vanæ Observantiæ species; 1ma. est *Ars notoria*, qua quis scientiam vult acquirere sine studio & per media inutilia, vana, & improportionata, v. g. per verba ignota, certas preces, aliquam potionem, &c. 2da. dicitur *Observantia sanitatum*, cùm quis homines aut animalia sanare, aut in iis aliquid operari conatur vanis & inefficacibus mediis, putà si quis vulneribus mederi, sanguinem sistere, dolores mitigare, hominem telis aut ensibus impervium reddere velit per certa signa, cæremonias inanes, ignota nomina, characterum impressionem; item si eos effectus producere intendat per media naturalia, aut etiam supernaturalia, sed quibus veluti necessariæ adjunguntur circumstantiæ quædam frivolæ, aut incertæ, vel aprocryphæ; ut quòd remedia componi debeant ex herbis tali die collectis, quòd jumentis aperiatur vena certâ die alicui Sancto dicatâ, quòd preces tali numerô & ordine recitentur, quòd, qui easdem tali tempore recitat, aut Scapulare gestat, non sit sine confessione moriturus, &c. 3tia. est *Observatio futurorum eventuum*, qua quis ex eventu fortuito bonum aliquod aut malum sibi vel aliis eventurum ominatur, & indè actiones suas dirigit, ut si quis pede ad limen offenso malum aliquod sibi portendi credat, & ideò domum regrediatur; vel si quis credat aliquos dies esse infaustos, ideoque negotia omittat, alios verò faustos, quibus ea conficiat, *ibid. n.* 421.

Non Obstans. (Vid. *Cooperatores ad damnum*)

Occasio peccandi alia est *remota*, alia *proxima*. Remota dicitur illa, ad quam interdum ex mera peccantis fragilitate aut libera malitia peccatum sequitur: proxima est, in qua quis constitutus, perpensis omnibus circumstantiis, ordinariè in peccatum ruit; alia est, quæ ex natura sua quemlibet in peccatum inducit; alia quæ per accidens tantùm, & ex infirmitate pœnitentis, qui in ea scilicet positus ita peccare consuevit, ut fermè certum sit illum in eadem peccata lapsurum, si in illa perseveret; alia demùm occasio proxima est evitabilis, alia verò moraliter vitari non potest, *Tom.* 4. *Tract.* 5. *c.* 5. §. 2. *n.* 312.

Occupatio dicitur de iis, quæ nullius fuerunt. Bona ergo, quæ nullius fuerunt, occupari dicuntur, *Tom.* 3. *Tract.* 5. *c.* 2. §. 3. *n.* 97.

Occu-

priè pro qualibet productione, quo sensu Sapientia de se ipsa dicit Eccli. 24. v. 14. *Ab initio & ante Sæcula creata sum*; 2do. Strictiùs & propriè, pro productione scilicet ex nullo præjacente subjecto; sic sumpta creatio definitur, *productio totius entis ex nihilo.* Conservatio est *continuata rei productio*, seu *continuus influxus in effectum*: creatura hujùsmodi Dei influxu continuò indiget, ut conservetur. Concursus est ipsa creaturæ actio, prout est à Deo tanquam primo motore & causa universali rerum omnium, sive præmoveat & applicet causas secundas ad opus, sive cum illis simultaneè concurrat, *Tom.* 2. *Tract.* 2. *proœm. n.* 1.

Opinio à S. Augustino passim cum errore confunditur; at alio sensu opinio apud Theologos cum S.Thoma est actus intellectûs, qui fertur in unam partem contradictionis cum formidine oppositi. Definitur etiam à S.Bonaventura Assensus unius partis cum formidine alterius, *Tom.* 3. *Tract.* 1. *c.* 4. §. 1. *n.* 204. *in not.*

Opinio alia est probabilis, alia improbabilis, hæc est, quæ nullis, aut levibus & falsis dumtaxat nititur motivis; probabilis verò, quæ gravibus; undè definitur Actus, quo mens, ob motivum grave, sed tamen fallibile, prudenter judicat aliquid esse licitum vel illicitum, *ibid.* §. 4. *n.* 233. Opinio ad opinionem comparata alia est æquè probabilis, quæ scilicet æqualibus motivis ac rationibus nititur ac ea, quæ ipsi opponitur; hæc conscientiam efficit dubiam: alia probabilior, quæ scilicet spectatis rationum pondere & auctoritatis gravitate verisimilior apparet, quàm opposita: alia tutior, quæ nempe magis removet à periculo peccandi; undè opinio tutior stat pro præcepto, seu favetLegi, eamque hîc & nunc obligare declarat; cùm è contrà opinio minùs tuta faveat libertati, quatenùs negat hominem ulla, quæ hîc & nunc obliget, lege constringi, sed potiùs asserit, eum pro arbitrio, quod libuerit, eligere posse: hinc opinio tutior & probabilior multùm à se invicem differunt; quia cùm securitas opinionis desumatur ex distantia ejus à peccato, probabilitas verò ex majori veritatis apparentia, fieri potest, ut opinio minùs probabilis sit tutior, & probabilior minùs tuta. Alia est opinio communis, quæ scilicet pro se habet decem aut octo Auctores, non quoscumque, sed graves, non laxiores, & qui rem non cursim & perfunctoriè, non alios, ovium instar, sequendo, sed ex professo & intimè tractaverunt: Alia communior, quam major numerus post idem ac serium examen amplectitur. Alia denique minùs communis, quæ scilicet à paucioribus tenetur, licèt gravibus nec laxioribus Auctoribus, *ibid. n.* 234. Non potest quis licitè & sine peccato sequi opinionem libertati faventem in concursu alterius opinionis stantis pro lege & simul probabilioris, *ibid. n.* 236. *& seq.* Solv. ob. *ibid. n.* 246. *& seq.*

Neque ex duabus opinionibus æquè probabilibus, quarum una favet legi, altera libertati, licet amplecti eam, quæ favet libertati, sed teneri debet ea, quæ favet legi, & quæ proindè est tutior, *ibid. n.* 240. *&* 241. Solv. ob. *ibid. n.* 261. *& seq.*

E duabus opinionibus licitum est eam sequi, quæ libertati favet, modò sit alterâ notabiliter probabilior, *ibid. n.* 242. enimverò non licet sequi opinionem minùs tutam, quæ apparet solùm paulò probabilior tutiore, *ibid. n.* 243. Porrò quantus & in quo gra-

Ora-

Oratio tripliciter ſpectari poteſt, ſcilicet ut actus ſupernaturaliter bonus, ut actus laborioſus & pœnalis, & ut præcisè eſt petitio, *ibid.* §. 3. *n.* 39. Oratio ſi undequaque talis ſit, qualis eſſe debet, triplicem habet efficaciam, merendi nempè, ſatisfaciendi & impetrandi, *ibid. n.* 40. *& ſeq.* ut oratio ſit efficax & infallibilem habeat effectum, debet fieri 1mo. piè; 2do. perſeveranter: ut piè fiat, requiritur Fides; Spes ſeu firma fiducia, non præſumptio; attentio & devotio; atque ſit de re bona & quæ ad ſalutem ordinetur, *ibid. n.* 44. *& ſeq.* Rationes, cur Deus in noſtris orationibus perſeverantiam exigat, *ibid. n.* 50. *& ſeq.* Solus Deus orari debet tanquam auctor & principalis cauſa bonorum omnium, gratiæ præſertim & gloriæ, quæ inprimis per orationem petuntur, *ibid.* §. 4. *n.* 54. Soli Deo & Chriſto Deo homini ea impendi debet oratio, quæ cultum Latriæ continet, ſic enim alium præter Deum orare, manifeſta eſſet idololatria, *ibid. n.* 55.

Licitum eſt ab hominibus, quamdiu vivunt, auxilium interceſſionis orare ac petere, ſeque eorum precibus commendare, *ibid. n.* 56. Rectè omninò & utiliter invocantur Sancti, qui cum Chriſto in cœlis regnant, *ibid. n.* 57. adeoque non ſolùm Chriſtus de facto orat & interpellat pro nobis apud Deum, ſed & Beati orare poſſunt pro nobis, *ibid.* Quamvis damnati verè & propriè dictæ orationis ſint incapaces, multis tamen videtur, animas in purgatorio igne lanquentes orare poſſe tùm pro ſe ipſis, tùm pro nobis. Juſti etiam orare poſſunt & debent, *ibid.* §. 5. *n.* 58. Impii & peccatores ſæpiſſimè orant utiliter; nec proinde eorum oratio eſt novum peccatum, *ibid. n.* 59. *& ſeq.* Solv. ob. *ibid. n.* 63. *& ſeq.* Bona temporalia, & quibus abuti poſſumus, non ſunt abſolutè per orationem petenda ſed conditionatè dumtaxat, *ibid. n.* 67. At bona ſpiritualia, & quibus abuti non poſſumus, ſunt abſolutè & determinatè petenda, *ibid. n.* 68. Inter omnes orationes, quibus utitur Eccleſia, atque Fideles adhibent, præcipua eſt Oratio Dominica, *ibid. n.* 69. Cavendum proinde, ne Orationem illam recitando aliud verbis, aliud opere & corde loquamur, *ibid. n.* 70. Solv. ob. *ibid. n.* 71. *& ſeq.*

Orandum eſt pro viatoribus hîc in terris degentibus, ſive juſti ſint, ſive injuſti; ſive amici, ſive inimici; ſive Fideles, ſive non; *ibid. n.* 84. item pro animabus in purgatorio, *Tom.* 2. *Tract.* 1. *part.* 1. *c.* 4. §. 4. *n.* 109. & hîc *n.* 85. Orationes . . . hiſce animabus applicantur non per modum judicii & abſolutionis, ſed per modum ſuffragii, *ibid. n.* 86. pro pluribus defunctis facta oratio æquè omnibus prodeſt, ac ſi pro uno tantùm fieret, ſi de ea agatur, prout eſt impetratoria; ſecùs ſi de ea agatur ſecundùm quod eſt ſatisfactoria, *ibid. n.* 88. Exploditur Soti opinio, qui credidit animas in purgatorio ultra decennium non torqueri, *ibid. n.* 88.

Presbyter, qui tot accipit Miſſarum ſtipendia, ut eaſdem nonniſi longo poſt tempore celebrare poſſit & perſolvere, graviter peccat, *ibid.* §. 7. *n.* 89. proindè juxta communem penè omnium ſententiam graviter peccat, qui tot Miſſis ſe onerat, ut eas intra duos circiter menſes celebrare & legere non poſſit, *ibid. n.* 90. Nec pro Beatis, qui ſunt in cœlo, nec pro iis, qui in inferno ſepulti ſunt, licitum eſt orare, *ibid. n.* 91. *&* 92. Solv. ob. *ibid. n.* 93. *& ſeq.* Quid de illa hiſtoria ſentiendum, quæ refert animam Imperatoris Trajani orationibus S. Gregorii Magni ab inferno liberatam fuiſſe; item de illa, quæ narrat Falconillam mulierem Ethnicam

& Ordinans ab Ordinum collatione per annum, *ibid. n.* 48. Cum licentia tamen proprii Episcopi quisque ab alieno Episcopo ordinari potest, quæ scriptô, quod *littera dimissoria* nuncupatur, Impertiri solet vel à proprio Episcopo vel ab ejus Vicario Generali, modò expressam ab Episcopo facultatem concessionis ejusmodi acceperit. Capitulum Sede vacante nonnisi annô elapsô à die obitûs Episcopi numerandô dimissorias dare potest, nisi fortè quis occasione Beneficii Ecclesiastici recepti aut recipiendi sit coarctatus. Dimissoriæ litteræ hæ ab Episcopo datæ, non extinguuntur per ejus mortem, *ibid. n.* 49. Proprius Episcopus in foro externo cogi non potest, ut & Laico Clericalem Tonsuram, & Clerico sacram Ordinationem conferat; sive iste Beneficium habeat, cui annexus sit Ordo, sive non habeat, sive sit occulti criminis reus, sive non, *ibid. n.* 51. Proprius Regularium Episcopus est ille, in cujus Diœcesi ipsi commorantur & degunt, sive fixam Sedem habeant in Monasterio, in quo professi sunt, sive Sedem & locum ad nutum Superiorum mutare soleant, *ibid. n.* 52. Simplex Sacerdos, accedente Summi Pontificis vel Ecclesiæ dispensatione, potest conferre Tonsuram, Minores, & Subdiaconatum, *ibid. n.* 53. Solv. ob. *ibid. n.* 54. & *seq.*

Solus homo viator isque baptizatus capax est Ordinationis recipiendæ, *ibid.* §. 3. *n.* 64. Verisimilius videtur prorsùs nullam & invalidam fore Ordinationem, quæ infantibus ante rationis usum daretur, *ibid. n.* 65. Nemo licitè potest ordinari per saltum, id est, suscipere superiorem Ordinem, prætermissô inferiore, licèt validè id possit, excepto Episcopatu: qui taliter per saltum ordinatus est, est ipso jure suspensus ab exercitio superioris Ordinis illius per saltum suscepti; non potest suscipere Ordinem prætermissum, nisi cum eo dispensetur; fit Irregularis, si in Ordine per saltum suscepto ministret, *ibid. n.* 67. & *seq.* Ut Ordines ritè ac licitè suscipiantur, interstitia ab Ecclesia præscripta servare oportet, id est, plures Ordines simul suscipi non debent sine dispensatione, *ibid. n.* 70. Jure antiquo longiora servabantur interstitia, at Jure novo à susceptione Subdiaconatûs ad susceptionem Diaconatûs sufficit annus, & similiter annus à Diaconatu ad Presbyteratum: Minores verò Ordines passim simul conferuntur, quamvis etiam aliqua interstitia inter eos requirat Concilium Tridentinum, *ibid. n.* 71. & *seq.* (Vid. *Interstitia.*)

Licèt Minores Ordines unà cum Subdiaconatu proprius Episcopus ex legitima causa simul & una die conferre possit, tamen solus Papa concedere potest, ut duo Majores Ordines Diaconatus scilicet & Presbyteratus una die conferantur, *ibid. n.* 73.

Ut quis ad Subdiaconatum promoveri possit, necessarius est titulus Clericalis, *ibid. n.* 74. (Vid. *Titulus Clericalis.*)
Nulla est & irrita Ordinatio, quæ invito, reluctanti, & nullo modò consentienti confertur, *ibid. n.* 78. Valida est Ordinatio quoad substantiam & characterem hæreticis & improbis data, *ibid. n.* 79. Mulieres sacræ Ordinationis sunt incapaces, *ibid. n.* 80. & 81.

Sacramentum Ordinis & gratiam sanctificantem confert accipientibus debitè præparatis, & characterem imprimit indelebilem cùm legitimo ritu confertur; undè iterari nunquam potest, *ibid. c.* 6. *n.* 83. Solv. ob. *ibid. n.* 84. & 85.

Ordines Ecclesiastici dividuntur in Majores & Sacros, & in Minores ac non Sacros, non quòd hi etiam Sancti non sint & sacri, suò nempe modô, sed quòd non

corporis etiam honestarum alterius sexus sunt culpa mortalis si extra conjugium fiant, ob delectationem veneream, quæ potest ex illis sequi etiam ibi sistendo: idem dicendum de tactu partium proprii corporis, *Tom.* 3. *Tract.* 6. *part.* 3. *c.* 1. §. 4. *n.*305. Oscula, amplexus & tactus etiam in partibus honestis ob solam delectationem merè sensibilem, & nondùm actu veneream, sunt culpa mortalis inter personas diversi sexûs libidinis capaces, saltem si fiant cum mora vel repetitione, quamvis expressè delectatio venerea non intendatur, *ibid. n.* 308. Amplexus, contactus manuum, oscula in facie, si juxta morem patriæ fiant urbanitatis, aut benevolentiæ honestæ causâ, non sunt peccata per se: si verò fiant ex aliqua vanitate, joco, levitate, petulantia veniali, sunt solùm venialia peccata, modò absit omnis affectus libidinosus, & periculum peccati gravis tam in se quàm in alio, nec, habita ratione constitutionis personarum, delectationem veneream multùm excitent: Si autem ista sine causa exercita & patrata sint longiora, aut crebrò fiant inter personas libidinis capaces, sunt mortalia: unde admittens oscula morosa & crebra, aut indecentia, item tactus mamillarum, peccat mortaliter, *ibid. n.* 309. Oscula, amplexus ob delectationem veneream, tactus & aspectus impudici mortales suprà dicti sunt ejusdem speciei mortalis ac actus consummatus, seu concubitus, ad quem suâpte naturâ referuntur, quamvis actus iste non intendatur, *ibid. n.* 310.

Osee Propheta, quis, & quando oracula sua fuderit, *Tom.* 1. *Tract.* 1. *part.* 2. *Sect.* 1. *c.* 4. *n.* 512. *& seq.* Ejus liber quid contineat, *ibid. n* 518. Quid de illius conjugio censeant Interpretes, *ibid. n.* 521.

Ostiariatus est Ordo, quo præficitur Clericus ad Ecclesiæ & sacræ ejus suppellectilis custodiam, & ad vindicandam reverentiam Domui Dei debitam. Ipsius materia sunt clavium traditio & contactus funis campanarum; forma sunt verba, quæ profert Ordinans, cum claves tradit Ordinando, *Tom.* 4. *Tract.* 7. *part.* 1. *c.* 7. §. 2. *n.* 94. Quatuor sunt Ostiarii munera, 1mo. Ecclesiæ januas dignis aperire, & indignis claudere; 2do. curare ne Laicorum aliquis propiùs ad Altare accedat; 3tio. pulsare campanam, & populum fidelem statis horis convocare ad divinum Officium; 4to. servare vasa sacra & omnem Ecclesiæ suppellectilem. 5tum. Ostiarii munus addit Concilium Mediolanense, nempe invigilare, ut omnes in Ecclesia reverenter se gerant, *ibid n.* 95.

Dignitas Ostiarii colligi potest 1mo. ex præstantia Janitorum Veteris Legis super populum; 2do. ex dignitate, qua in Republica aliis præeminent, qui præficiuntur ad custodiam Regii Palatii & thesauri; 3tio ex Christi Domini præsertim exemplo Ostiariorum ministeria mirum in modum illustrantur & commendantur, qui zelum suum pro domo Dei in obeundis Ostiarii muniis quàm sæpissimè declaravit, ut Matth. 21. Marc. 11. & Joan. 2. *ibid. n.* 96.

Ostiariatum esse verum Sacramentum affirmat S. Thomas, & plures alii; nunc tamen communior est sententia negans, *ibid. c.* 8. §. 10. *n.* 165. *& seq.*

Oudinus (Casimirus) Quis? ejus Opera, *Tom.* 1. *Tract.* 4. *c.* 1. §. 2. *n.* 103.

Ozias Rex Juda, *Tom.* 1. *Tract.* 1. *part.* 2. *Sect.* 1. *c.* 2. *n.* 241.

P.

Pa-

Parochi munia sunt, oves suas agnoscere, pro iis Sacrificium offerre, Verbi divini prædicatione, Sacramentorum administratione ac bonorum operum exemplo pascere, pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cætera munia pastoralia incumbere, &c. *ibid. n.* 201. (Vid. *Confessarius*, *Presbyter*)

Participans (Vid. *Cooperatores ad damnum*)

Parvuli seu *Infantes*. Variæ de pœnis peccati Originalis parvulorum sine Baptismo ex hac vita decedentium in altera vita seu post mortem opiniones, *Tom.* 3. *Tract.* 6. *part.* 1. *c.* 5. *§.* 2. *n.* 136.

Parvuli, qui moriuntur sine Baptismo post hanc vitam in altera neque supernaturali neque naturali beatitudine fruuntur, *ibid. n.* 141. Solv. ob. *ibid. n.* 151. probabilius videtur parvulos, qui sine Baptismo decedunt, passuros esse internum animi dolorem propter privationem cœlestis beatitudinis, *ibid. n.* 144. Solv. ob. *ibid. n.* 152. *& seq.* Infantes sine Baptismo decedentes immunes sunt à pœna sensûs seu à cruciatu ignis sensibilis, *ibid. n.* 147. Solv. ob. *ibid. n.* 158. *& seq.*

Pascua. Circa pascua seu pastionem attendendum est quid ferat consuetudo cujusque regionis; nam alicubi, nisi ager sit circumseptus, Dominus illius non potest prohibere pastionem post primam herbam sublatam, aut segetes collectas: nihilominùs Respublica seu Princeps potest prohibere pastionem in pascuis ad urbem, Communitatem, aut Rempublicam pertinentibus, quia id aliquando expedit bono publico, *Tom.* 3. *Tract.* 5. *c.* 2. *Sect.* 1. *§.* 3. *n.* 125.

Passio (Vid. *Concupiscentia*)

Passus duplex est, compositus nimirùm, & simplex: prior est spatium quinque pedum & vocatur *Geometricus*, quia eo utuntur Geometræ; alter & minor, qui dicitur *gressus* est dimidium passûs Geometrici, seu spatium duorum pedum cum dimidio, *Tom.* 1. *Tract.* 1. *part.* 1. *c.* 8. *n.* 153.

Pater in divinis (Vid. *Trinitas*)

Patres (Sancti) SS. Patrum nomine intelligimus antiquos ac Sanctos illos primorum Sæculorum Doctores, seu antiquos Fideles illos, qui primis post Apostolos & antiquioribus Ecclesiæ Sæculis doctrinâ & vitæ sanctitate claruêre, &c. *Tom.* 1. *Tract.* 4. *c.* 1. *n.* 1. Considerati prout sunt homines præcisè, & prout sunt Ecclesiæ Patres & Doctores à Deo eidem dati, *ibid. §.* 1. *n.* 2. *&* 3.

Nullius seorsim S. Ecclesiæ Patris, imò nec plurium aliquorum idem sentientium, cæteris contradicentibus vel tacentibus; benè autem omnium simul sumptorum, & unanimiter idem asserentium sententia est infallibilis in fidei materia discernenda, *ibid. n.* 4. *& seq.* Solv. ob. *ibid. n.* 10. *& seq.*

Regulæ in legendis Patribus servandæ, *ibid. §.* 2. *n.* 15. *& seq.* SS. Patres, quorum Scripta laudantur in Ecclesia in tres classes distribuuntur, *ibid. n.* 23.

Patriarcha est Episcopus, sic dictus, quòd sit Dux Patrum, qui sub illius ditione continentur, nempè Primatuum & Metropolitanorum, atque toti cuipiam regno ampliori, quàm cæteri Præsules, potestate præsint. Inter illos primum locum obtinet Romanus Pontifex, qui est Episcopus Episcoporum,

cuidam obnoxii explicantur, *ibid. n.* 630. 11mo. 2da. ad eundem, quid contineat, & undè scripta sit, *ibid. n.* 631. textus in ea occurrens difficultatem aliquam habens explicatur, *ibid. n.* 632. 12mo. Epistola ad Titum; undè data sit & quid contineat, *ibid. n.* 633. 13tio. una ad Philemonem, undè data sit, & quid contineat, *ibid. n.* 634. 14to. Epistola ad Hebræos; undè & quo tempore scripta fuerit, & quid contineat, *ibid. n.* 635. *&* 638. Sunt qui eam alii quàm S. Paulo tribuerint, sed perperam, *ibid. n.* 636. quo idiomate scripta fuerit, *ibid. n.* 637. De illius auctoritate olim non solùm ab Hæreticis, sed etiam apud Ecclesiam Catholicam dubitatum fuit. Lutherus item & alii ex ipsius sequacibus nec Pauli esse, nec alius Apostoli contendunt, *ibid. n.* 639. Verùm & ipsius Pauli est & Canonica seu divinæ auctoritatis, *ibid. n.* 640. *& seq.* Solv. ob. *ibid. n.* 645. *& seq.*

Peccatum generatim definiri potest libera violatio Legis divinæ, seu Actus liberè factus vel omissus contra Legem Dei, *Tom.* 3. *Tract.* 6. *proœm. n.* 1. *&* 4. Non datur peccatum merè philosophicum, quod scilicet soli rationi & non simul Legi divinæ adversetur, *ibid. n.* 2. Peccatum veniale non est præter Legem Dei dumtaxat sed verè contra Legem Dei, *ibid. n.* 3.

Peccatum generatim dividitur in peccatum Angeli, & hominis: de primo actum est *Tom.* 2. *Tract.* 2. Peccatum hominis dividitur in *originale*, quod in ipsa nostra origine ab Adamo protoparente nostro in nos transmissum contrahimus; & *personale*, quod peccantis voluntate physicè propria committitur. Peccatum personale subdividitur in *actuale* & *habituale*; prius est peccatum spectatum ut actu existens, seu ut actu committitur; *habituale* est peccatum spectatum ut jam actu commissum est & physicè præteritum, sed permanens moraliter, seu est macula ex actuali peccato consequens, & in anima remanens, *ibid. n.* 5. Peccatum actuale subdividitur 1mo. in peccatum *commissionis* & *omissionis*; prius est, quo præceptum negativum violatur, & consistit in actu aliquo prohibito; alterum est, quo præceptum affirmativum violatur, & consistit in omissione alicujus præcepti: 2do. in *veniale* & *mortale*; istud est, quod reddit hominem Deo odibilem, & dignum pœnâ æternâ; *veniale* est illud, propter quod Deus homini leviter tantùm indignatur, & quod solùm inducit reatum pœnæ temporalis in hac vel altera vita exolvendæ: 3tio. Peccatum actuale aliud est *carnale*, aliud *spirituale*; istud ultra delectationem spiritualem non progreditur, sed in sola anima perficitur; talis est invidia, superbia, &c. *Carnale* est, quod ex anima profectum sensus afficit, atque materialis organi actione consummatur, ut peccatum luxuriæ, gulæ, &c. 4to. Peccatum actuale aliud est *cordis*, quod in corde, ut odium Dei; aliud *oris*, quod voce, ut perjurium; aliud *operis*, quod opere, ut furtum consummatur. 5to. aliud est ex *ignorantia*, quod scilicet ab ignorantia culpabili tanquàm à causa per accidens procedit; aliud ex *infirmitate*, quod scilicet procedit ex motivo appetitûs materialis trahentis voluntatem ad consensum, non tamen libertatem tollentis; & aliud ex *malitia*, quod fit ex purâ & plena libertate, sive quod neque ex ignorantia aliqua, neque ex infirmitate seu passione antecedente, sed ex mera voluntatis electione committitur, *ibid. n.* 6. 6to. aliud est con-

tra *Deum*, seu quod Deum ut primam veritatem, ut summum bonum, & ut supremum Dominum directè impetit, cujusmodi est hæresis, qua Fides; odium Dei, quo Charitas; & superstitio, qua Religio evertitur, & læditur divina Majestas: aliud contra *proximum*, quo alteri fit, quod nemo sibi factum velit: aliud contra *seipsum*, quod soli peccanti est nocumento, *ibid. n.* 7. 7mo. alia dantur peccata, quæ sunt in Spiritum sanctum; alia in cœlum clamantia; alia denique, quæ dicuntur capitalia. Peccatum in Spiritum sanctum est peccatum ex malitia procedens, quo repelluntur impugnanturve spiritualia gratiæ dona, quæ, cùm sint effectus amoris Dei erga homines, appropriantur Spiritui sancto, utpotè, qui ratione processionis suæ sit amor Patris & Filii. Sex hujusmodi peccata numerantur, nempe Desperatio, Præsumptio, Impœnitentia, Obstinatio, Impugnatio veritatis agnitæ, & Invidentia fraternæ gratiæ. Peccata in cœlum clamantia dicuntur ea, quæ præ cæteris manifestam improbitatem continent, divinamque provocant ultionem; suntque Homicidium voluntarium, peccatum Sodomiticum, Oppressio pauperum, & Defraudatio mercedis operariorum. Peccata capitalia sic dicta, quòd ad ea tanquàm radices cætera referantur, septem numerantur: scilicet Superbia, quæ est animi elata inflatio, se omnibus præcellere, & omnia sibi deberi censentis; Avaritia, quæ est immoderata res terrenas retinendi vel sibi comparandi cupiditas; Luxuria, quæ est inordinatus libidinis, præsertim venereæ, præter Dei & naturæ leges affectus & usus; Invidia, quæ est vehemens de bono alieno mœror; Gula, quæ est effrenata cibi potûsque luxuries & cupiditas; Ira, quæ est ulciscendi libido, seu ardor animi perturbatione incitati ad vindictam; Acedia, quæ est de bono spirituali divinitùs sibi commisso animi acerbitas propter consequentis inde laboris metum, aut vitæ inertis & voluptuariæ dimittendæ necessitatem, *ibid. num.* 8.

Alia item sunt peccata, quæ aliena nuncupantur, quia nimirùm aliorum operâ perficiuntur, & tamen nobis velut propria imputantur, quòd scilicet jubendo, suadendo, &c. illorum causa esse censeamur, & re ipsa simus, de quibus Vid. *Cooperatores ad damnum*, *ibid. n.* 9.

Ad hæc omnia peccatorum genera reducuntur etiam ea vitia, quæ tùm Virtutibus Theologicis, tùm Moralibus opponuntur, ut sunt Infidelitas specificè sumpta; Hæresis & Apostasia, quæ Fidei; Præsumptio, Desperatio, & Incuria salutis, quæ Spei; Odium, Invidia, Discordia, Contentio, Schisma, Rixa, Seditio, Bellum, & Scandalum, quæ sub Odio Dei & proximi continentur, atque Charitati opponuntur; Irreligiositas, sub qua velut species sub suo genere continentur Blasphemia, Tentatio Dei, Sacrilegium, Perjurium, & Simonia; & denique Superstitio, cujus hæ sunt species præcipuæ, scilicet Idololatria, Divinatio, Vana Observantia, Magia, & Maleficium, quæ virtuti Religionis adversantur, *ibid n.* 10.

Sola voluntas est propriè & directè causa efficiens peccati, *ibid. n.* 11. Nihil tamen obest, quin dicamus mundum seu homines, & Diabolum, necnon concupiscentiam, imò etiam ignorantiam esse improprias, indirectas, & morales peccati causas, *ibid. n.* 12.

Obje-

Objectum materiale peccati est quilibet actus humanus; formale verò privatio debitæ rectitudinis; Voluntas autem est subjectum peccati formaliter sumpti, *ibid. n.* 13.

Quid Pelagius, Albigenses, Anabaptistæ, Zwinglius, & Sociniani de peccato Originali senserint, *ibid. part.* 1. *c.* 1. *n.* 15.

Datur peccatum Originale ab Adamo commissum & per generationem translusum in ejus posteros, qui viâ naturali ab eo descendunt, quo peccato constituuntur in se verè & propriè peccatores, Deo odibiles, & æternæ damnationi obnoxii, *ibid. n.* 16. *& seq.* Solv. ob. *ibid. n.* 19. *& seq.* Peccatum Originale non est substantia quædam à Diabolo producta, *ibid. c.* 2. §. 1. *n.* 72. Solv. ob. *ibid. n.* 77. *& seq.* Concupiscentia non est per se & ex natura sua peccatum Originale, *ibid. n.* 73. *& seq.* Solv. ob. *ibid. n.* 84. *& seq.*

Circa essentiam peccati Originalis quatuor præcipuè numerantur apud Catholicos sententiæ, 1ma. reponit illud in morbida quadam qualitate, quæ ex carne per peccatum infecta derivatur in animam, *ibid.* §. 2. *n.* 95. 2da. definit illud esse denominationem extrinsecam petitam ab actuali prævaricatione Adami, in quo omnes eramus, *ibid. n.* 96. 3tia. docet peccatum Originale esse materlaliter coucupiscentiam habitualem, seu inordinatam ad sensibiles & carnis voluptates propensionem & pronitatem; formaliter verò defectum justitiæ Originalis, *ibid. n.* 97. 4ta. & in Scholis admodùm communis statuit peccatum Originale materialiter esse privationem justitiæ Originalis seu gratiæ sanctificantis, formaliter verò esse ipsummet peccatum actuale, quod in Adamo & voluntate ipsius commisimus, quodque moraliter in unoquoque permanet, tanquam vera macula, donec Baptismô fuerit absterfa: pressiùs dici potest in hac sententia peccatum Originale esse privationem justitiæ Originalis, quatenùs est aversio habitualis à Deo propter prævaricationem, quæ præcessit in Adamo, *ibid. n.* 98. Verùm quia S. Augustinus videtur constituisse partialiter peccatum Originale in concupiscentia ut parte illius materiali, quidam Theologi propter auctoritatem hujus S. Doctoris, eam hîc addi posse arbitrantur ut imputabilem ad odium Dei & pœnam æternam per reatum à se ipsa distinctum, nempe per culpam à nobis in Adamo commissam; undè tunc peccatum Originale tria complectetur, seu tria habebit constitutiva, scilicet peccatum à nobis voluntate Adami commissum ut constitutivum formale, privationem justitiæ Originalis seu gratiæ sanctificantis, & concupiscentiam ut constitutiva materialia; quæ concupiscentia post Baptismum non ampliùs habet veram ac propriam peccati rationem, per quod nempè tota illius culpabilitas & imputabilitas tollitur, *ibid. n.* 99.

Peccatum Originale non traducitur seu transfunditur per libidinem, sed per generationem naturalem, *ibid. c.* 3. *n.* 100. *& seq.* Solv. ob. *ibid. n.* 104.

Tribus modis dici potest aliquis in Adamo peccasse 1mo. quatenùs erat in lumbis Adæ secundùm rationem seminalem, quando transgressus est legem; 2do. quatenùs in prima conceptione, priusquàm anima rationalis infunderetur vi generationis suæ fuit peccato obnoxius, utpotè viâ ordinariâ seminatus; 3tio. quatenùs conceptione jam perfecta accepit animam ratio-

Tres

Tres concipi possunt effectus peccati, scilicet macula, reatus pœnæ, & aliud peccatum: nam 1mo. peccatum, licèt illius actus transierit, maculam permanentem in anima creat; macula illa non est posita in sola obligatione ad pœnam, nec simpliciter in *peccasse*, nec in sola inordinatione voluntatis, sed est ipsa Dei offensa, quæ licèt actu transierit, nondum tamen per Sacramentorum virtutem est remissa; hanc maculam *peccatum habituale* vocamus: 2do. Reatus pœnæ, hoc est, debitum seu obligatio ad pœnam (Vid. *infrà*) 3tio. Quædam sunt, quæ simul sunt peccata & peccatorum pœna, *ibid.* §. 4. *n.* 173. Peccatum omissionis definitur officii erga Legem aut Statutum prætermissio ex inordinato creaturarum amore orta, & actum aliquem semper supponere videtur, qui sit causa vel occasio illius omissionis, *ibid. c.* 2. *n.* 174.

Est de fide extare peccatum mortale, *ibid.* ʃ. 1. *n.* 175. Peccatum mortale tale est ex eo potissimùm, quòd sit gravis offensa Dei & ejus contemptus saltem virtualis & interpretativus, *ibid. n.* 176. in ratione offensæ Dei habet malitiam seu gravitatem infinitam, *ibid.* ʃ. 2. *n.* 177. non condonatum punitur suppliciis æternis, id est, damnatorum pœnæ sunt æternæ *ibid. n.* 179. Solv. ob. *ibid. n.* 184. & *seq.* Peccatum veniale est illud propter quod Deus homini leviter tantùm indignatur, & quod solummodò inducit reatum pœnæ temporalis in hac vel altera vita exolvendæ, *ibid.* ʃ. 3. *n.* 201. Jovinianus, Pelagius, Wiclefus, Lutherus, Calvinus, Joannes Gerson, Michael Bajus, docere visi sunt non dari peccata venialia, sed omnia ex natura sua esse mortalia, *ibid. n.* 200. sed apud nos Catholicos de fide est dari peccata, quæ ex natura sua sunt venialia, *ibid. n.* 202. Solv. ob. *ibid. n.* 206. & *seq.* Peccatum veniale discrepat à mortali 1mo. quòd mortale sit amor creaturæ usque ad contemptum Dei; veniale autem sit quidem amor rei creatæ paulò tenacior, quàm par est, non ita tamen, ut destruatur cum Deo conjunctio; 2do. quòd peccatô mortali reatus æternæ pœnæ contrahatur, ob veniale autem temporalis pœna dumtaxat hîc & in purgatorio solummodò irrogetur; 3tio. quòd veniale possit abstergi charitatis internæ officiis, precibus aut desideriis, secùs mortale; 4to. quòd mortale finem simpliciter ultimum in creatura constituat, veniale è contrà non constituat finem simpliciter ultimum in creatura, sed tantùm secundùm quid, *ibid.* ʃ. 4. *n.* 217. Utrum hoc vel illud peccatum mortale sit an veniale, difficillima est hæc indagatio, *ibid. n.* 218. nihilominùs ad dignoscendum quinam actus sint peccata mortalia, qui verò venialia hæ quatuor statui possunt regulæ, 1mo. id, quantùm fieri potest, ex S. Scriptura & Traditione peti debet; 2do. quæ in S. Scriptura dicuntur excludere à regno Cœlorum, quæve morte æterna castigantur, sunt semper peccata mortalia; 3tio. quæ justis legibus civilibus aut Canonicis gravi pœnâ mulctantur, non sunt venialia; 4to. ea, quibus grave damnum aut operanti aut alteri tertio ex se inferunt, non sunt delicta seu peccata venialia, sed sunt crimina, hoc est, peccata mortalia, *ibid. n.* 219.

Peccatum mortale ex se nunquam fieri potest veniale, & vicissim, *ibid.* §. 5. *n.* 220. nihilominùs per accidens potest fieri veniale, & vicissim veniale potest per accidens fieri mortale, *ibid. n.* 221. & 222.

Fide

ſub mortali recitare quotidie officium parvum B. V. Mariæ; tenetur etiam habitum & tonſuram Clericalem gerere, *ibid. n.* 296.

Penſionarius (Vid. *Penſio*)

Pentateuchus (Vid. *Libri Legales Vet. Teſt.*)

Percuſſio. Non licet alapam pro alapa reddere, *Tom.* 3. *Append. ad Tract.* 5. *part.* 2. *c.* 2. *ſ.* 7. *n.* 574.

Perfidia avaritiæ filia eſt, qua fides in promiſſis, pactis, & rebus creditis violatur. Mortalis eſt in re gravi contra juſtitiam, *Tom.* 3. *Tract.* 6. *part.* 3. *c.* 1. *§.* 2. *n.* 267.

Perjurium generatim & latè ſumptum definiri poteſt Invocatio Dei in teſtem eorum, quæ vel ſine veritate, vel ſine juſtitia, vel ſine judicio, vel ſine his tribus conditionibus ſimul ſumptis aſſeruntur & promittuntur. Strictè ſumptum autem definitur *Invocatio Dei in teſtem falſitatis.* Juramenta, quibus judicium & juſtitia ſolummodò deſunt, nonniſi latiori ſenſu ut plurimùm perjuria dici poſſunt, *ibid. Tom.* 3. *Tract.* 6. *part.* 3. *c.* 3. *Sect.* 2. *§.* 4. *n.* 454. (Vid. *Juramentum*) Perjurium ſeu Juramentum ſolo judicii defectu vitioſum non eſt niſi veniale peccatum, modò abſit contemtus ſcandalumve, & periculum jurandi falſum quid, *ibid. n.* 455. Solv. ob. *ibid. n.* 476. Quiſque tenetur ſub mortali conſuetudinem jurandi ſine neceſſitate vitare & contractam evellere, *ibid. n.* 456.

Perjurium ſeu Juramentum, cui deeſt juſtitia, ſive ſit promiſſorium ſive aſſertorium ſæpiſſimè eſt peccatum mortale; undè 1mo. qui ſine animo & intentione faciendi jurat ſe facturū rem illicitam etiam venialem peccat mortaliter, *ibid. n.* 457. 2do. qui jurat ſe rem mortaliter malam eſſe facturum ſive cum animo ſive ſine animo ejuſdem implendæ, mortaliter peccat, *ibid. n.* 458. 3tio. perjurium, ſeu juramentum aſſertorium rei mortaliter malæ, cui deeſt juſtitia eſt peccatum mortale, *ib. n.* 459. perjurium verò tùm promiſſorium tùm aſſertorium cum animo faciendi, quod jurat, de re tantùm venialiter mala juxta multos eſt peccatum mortale; juxta alios verò tantùm veniale, *ibid. n.* 459. etſi tamen, inquiunt hi Theologi, hæc juramenti ſpecies non pertingat ad malitiam peccati mortalis, eſt tamen peccatum intra latitudinem peccati venialis valdè gravis; imò juramentum hoc in multis caſibus à mortali excuſari non poteſt: item hæc juramenta ſæpè proferri ſolent cum verbis, quæ blaſphemiam ſonant, adeoque gravem irreverentiam Deo irrogant, quæ proinde nunquam ſunt ſine gravi peccato, *ibid. n.* 460. Juramentum aſſertorium, cui deeſt veritas, hoc eſt perjurium propriè & ſtrictè ſumptum ſemper & in omni materia eſt peccatum mortale, niſi excuſet inadvertentia, *ibid. n.* 461. *& ſeq.* Perjurium promiſſorium eſt peccatū mortale 1mo. ſi abſit intentio jurandi; 2do. ſi abſit intentio implendi id, quod juratur; 3tio. ſi intentio illa adimplendi id, quod juratur, mutetur, nec adimpleatur ſaltem in re gravi, *ibid. n.* 466. *& ſeq.*

Qui non implet id, quod interpoſitô juramentô promiſit, etſi levis & minimi momenti ſit, tamen juxta multos peccat mortaliter, juxta alios verò venialiter tantùm, *ibid. n.* 470. *&* 471. Non licet perſonæ privatæ etiam in Judicio exigere juramentum ab eo, qui prævidetur pejeraturus; licet tamen Judici ad inſtantiam partis, *ibid. n.* 472. *& ſeq.* Solv. ob. *ibid. n.* 477. *& ſeq.* Non eſt licitum Judici in ulla cauſa juramentum ab utraque parte exigere. Si quis dubitet an alter ſit pejeraturus, tunc in re gravi poteſt ab eo juramentum exi-

Sacramentum Pœnitentiæ in re vel in voto necessarium est necessitate medii omnibus, qui post Baptismum mortaliter peccaverunt, *ibid.* §. 2. *n.* 39. & *seq.* Solv. ob. *ibid. n.* 42. & *seq.*

Duplex in Sacramento Pœnitentiæ materia distinguitur, remota scilicet seu *circa quam*, id est objectum, circa quod occupatur Pœnitentiæ Sacramentum; & proxima, seu *ex qua*, id est partes, ex quibus istud Sacramentum constat, *ibid.* §. 3. *n.* 46. Peccatum originale non est materia remota Sacramenti Pœnitentiæ, *ibid. n.* 47. sed peccata actualia post Baptismum commissa, *ibid. n.* 48. inter ea peccata mortalia post Baptismum commissa sunt materia necessaria Sacramenti Pœnitentiæ, *ibid. n.* 49. venialia verò sufficiens, *ibid. n.* 50. Denique peccata sive mortalia sive venialia jam ritè in confessione declarata & per absolutionem remissa sunt adhuc sufficiens remota materia Sacramenti Pœnitentiæ, *ibid. n.* 51. Circa materiâ proximâ seu *ex qua* Sacramenti Pœnitentiæ variè errant Novatores; Scholastici verò nostri in varias, salva tamen semper fide, abeunt opiniones. Lutherus duas tantùm Pœnitentiæ partes tanquam materiam *ex qua* assignat, nempè terrores incussos conscíetiis agnitô peccatô, & fidē conceptam ex Evangelio vel absolutione, qua quis credit sibi remissa esse peccata, *ibid. n.* 52. Calvinus duas quoque, sed alias à Luthero, assignat Pœnitentiæ partes, mortificationem scilicet vitiorum, seu abnegationem totius veteris hominis, & vivificationem, hoc est, pium benè vivendi studium, *ibid. n.* 53. Inter nostros Scholasticos aliqui pro materia proxima seu *ex qua* Pœnitentiæ assignant manûs impositionem, quæ antiquitùs erat in usu. Durandus vult solam confessionem esse locô materiæ. Scotus totam Sacramenti Pœnitentiæ essentiam in una reponit Sacerdotis absolutione, quæ, quatenùs est ritus exterior ac sensibilis, materiæ; quatenùs verò peccatorum veniam significat, formæ rationem induit; contritionem verò, confessionem ac satisfactionem non tanquam partes, sed tanquam conditiones ad Sacramentum Pœnitentiæ cum fructu percipiendum requiri contendit. Theologi modò communiter pro materia *ex qua* Sacramenti Pœnitentiæ assignant tres actus pœnitentis scilicet contritionem, confessionem, & satisfactionem; duas priores quidem pro materia essentiali, satisfactionem verò pro materia integrante, *ibid. n.* 54. Manus impositio Sacerdotis non est materia proxima seu *ex qua* Sacramenti Pœnitentiæ, *ibid. n.* 55. Solv. ob. *ibid. n.* 58. Tres actus pœnitentis, scilicet contritio, confessio, & satisfactio sunt materia proxima seu *ex qua* Sacramenti Pœnitentiæ, *ibid. n.* 56. Solv. ob. *ibid. n.* 59. & *seq.* Contritio & Confessio sunt partes essentiales Sacramenti, satisfactio verò pars integralis, *ibid. n.* 57. Solv. ob. *ibid. n.* 64. & *seq.* (Vid. *Contritio, Confessio, Satisfactio*)

Solis Episcopis & Sacerdotibus, non verò Diaconis, nec Laicis data est à Christo potestas absolvendi à peccatis, *ibid. c.* 6. §. 1. *n.* 325. Solv. ob. *ibid. n.* 326. & *seq.* Potestas Sacerdotum quoad Tribunal Pœnitentiæ alia est *Ordinis*, quæ scilicet confertur per Ordinationem Presbyteris his verbis: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata*, &c. & potestas *jurisdictionis* alia, quæ est potestas regendi & gubernandi plebem subjectam; seu, prout hîc sumitur, est potestas ligandi, solvendi, &c. in Tribunali Pœnitentiæ, *ibid.* §. 2. *n.* 331. Ad Sacramentum Pœnitentiæ validè administrandum præter potestatem Ordinis Sacerdotalis requiritur jurisdictio vel ordinaria vel delega-

rectè procurata fuerit in excessu cibi vel potûs: sæpè pollutio, præter propriam malitiam habet adhuc aliam petitam vel ex qualitate personæ se polluentis, si est sacra vel conjugata; vel ex affectu ad aliam, cum qua desideratur concubitus, quæ si sit soluta, habet malitiam fornicationis; si sacra, Sacrilegii; si ejusdem sexus, Sodomiæ; si conjugata, adulterii; &c. Vel ex modo, quo se polluit, si nempè fiat per tactus mutuos cum alia persona; nam hæc circumstantia pertinet ad speciem Sodomiæ, si ambo sint ejusdem sexus; ad incestum, si sint consanguinei aut affines diversi sexûs, *ibid. n.* 295. Desiderare pollutionem in somno contingentem, ut natura levetur seu sanetur, dummodò non intendatur ipsa pollutio nec delectatio venerea, nec aliquid adhibeatur, ut pollutio in somno sequatur, non est peccatum, *ibid. n.* 296. Ponere sine urgente necessitate actionem, ex qua tanquam causa propinqua prævidetur secutura pollutio, vel delectatio venerea, quamvis aliundè neutra intendatur, imò adsit propositum motus illos comprimendi cùm insurgent, est peccatum mortale, *ibid. n.* 297. Si tamen urgente necessitate ponatur talis actio, secluso affectu pravo & periculô consensûs in delectationem veneream, neutiquam peccatum est, *ibid. n.* 298. neque mortale peccatum est contra castitatem ponere actionem, ex qua tanquam causâ, seu dispositione remota & per accidens prævidetur secutura pollutio vel delectatio venerea, modò neutra intendatur, & absit periculum consensûs in delectationem veneream; videtur tamen esse peccatum veniale etiam contra castitatem sine justa causa ponere tales causas: quòd si esset periculum probabile consentiendi in delectationem veneream, ut si quis pluries in tali occasione consenserit, tunc is ex comuni tenetur ab illa actione, quantumvis honestâ & utili, abstinere, *ibid. n.* 299.

Polycarpus (Sanctus) Quis? ejus Opera, *Tom.* 1. *Tract.* 4. *c.* 1. §. 2. *n.* 32.

Polygamia vox græca idem significat ac uxorum pluralitatem; hæc autem vel est *successiva*, cùm nempè uno conjuge mortuo alter ad secundas vel ulteriores nuptias convolat; vel *simultanea*, cùm nempè eodem tempore aut vir plures uxores, aut mulier plures habet viros. Certum est polygamiam, qua una mulier multis simul viris nuberet, esse contra jus naturale, *Tom.* 4. *Tract.* 8. *part.* 2. *c.* 5. §. 1. *n.* 65. Primus inter mortales polygamiam simultaneã exercuit Lamech septimus ab Adam ex posteritate Cain, Genes. 4. illius exemplum imitati sunt Gentiles; & exemplum Abrahami, qui primus inter sanctos vivos cum pluribus uxoribus simul nupsit, polygamiæ viam aperuit veri Dei cultoribus, *ibid. n.* 66. Primus qui inter Christianos polygamiam simultaneam exercuit recensetur Philippus Hassiæ Landgravius annô 1539. concedente & probante Luthero cum aliis suis commilitonibus Novatorum Germaniæ Antesignanis: quæ enim de Valentiniano seniore Socrates refert falsa & conficta esse perhibentur, *ibid. n.* 67.

Pluralitas simultanea uxorum adversatur Legi naturali; in ea tamen Deus dispensavit cum veteribus Patriarchis & aliis in Lege Mosaica: sed Christus Dominus in Lege nova ejusmodi dispensationẽ planè revocavit, conjunctionemque cum pluribus simul uxoribus illicitã fecit ac prorsùs irritam, *ibid. n.* 68. & *seq.* Solv. ob. *ibid. n.* 75. & *seq.*

Polygamiam successivam esse contra Jus naturale ac divinum, ac proindè per se malam & illicitam asseruère inter veteres Hæreticos Montanistæ, quibus se adjunxit Tertullianus; & post eos Novatiani. Multi ex Catholicis Patri-

civiles, nempè usucapionem, & dominium fructuum; alia *naturalis*, qua res corpore & animo simul occupatur. Addunt hìc aliqui *possessionem civilissimam*, quæ ex sola Legis dispositione acquiritur, etiam ab inscio, adeoque sine corporis & animi adminiculo: sic hæres parvulus defuncti hæreditatem possidet, *ibid. n.* 146.

Ad præscriptionem necessaria est possessio, quæ sit proprio nomine; nec sufficit possessio precaria, neque naturalis: debet etiam esse continuata, *ibid. n.* 147.

Possessio denique alia est *memorialis*, eujus initii scilicet habetur memoria; Alia *immemorialis*, cujus initii nempè apud seniores non extat memoria, *ibid. n.* 149. (Vid. *Fides bona*, *Restitutio*)

Possevinus (Antonius) Quis? ejus Opera, *Tom.* 1. *Tract.* 1. *part.* 2. *c.* 1. §. 2. *n.* 99.

Postulatio est facta ab Electoribus Superiori ad vacans Beneficium vel dignitatem præsentatio personæ, quæ eligi non poterat ob impedimentum Canonicum seu defectum, *Tom.* 3. *Tract.* 4. *c.* 5. §. 1. *n.* 244.

Potestas. Potestas civilis non potest ferre leges de rebus Spiritualibus, *Tom.* 3. *Tract.* 2. *part.* 2. *c.* 1. *Sect.* 2. *n.* 191.

Potestas Presbyteri seu Sacerdotis alia est *Ordinis*, quæ scilicet confertur per illius ordinationem his verbis: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*; alia *jurisdictionis*, quæ est potestas regendi & gubernandi plebem subjectam, seu, prout hìc sumitur, est potestas ligandi, solvendi, &c. in Tribunali pœnitentiæ. Duplex distinguitur, una *Ordinaria*, quæ iis omnibus competit, quibus ex Officio aut titulo Beneficii incumbit cura animarum; altera *Delegata*, quæ scilicet ex commissione habetur: priorem habent, servatis Canonum regulis, Summus Pontifex in tota Ecclesia, Episcopi in propriis Diœcesibus, Prælati seu Abbates exempti in suis territoriis, Religionum Abbates, Ministri Generales, & Provinciales erga Religiosos sibi subditos, ac tandem Parochi in suos parochianos, *Tom.* 4. *Tract.* 5. *c.* 6. §. 2. *n.* 331.

Præceptum Fidei, *Spei*, *Charitatis* (Vid. *Fides*, *Spes*, *Charitas*)

Prædestinati. Nec omnes nec soli sunt in Ecclesia Christi, *Tom.* 1. *Tract.* 3. *c.* 4. §. 1. *n.* 294. & *seq.* Solv. ob. *ibid. n.* 297. & *seq.*

Prædestinatio generatim & latiori quodam sensu usurpatur pro qualibet prædefinitione seu præordinatione divina, & extenditur ad ea omnia, quæ Deus statuit vel per se facere vel permittere. Strictiori sensu, & prout Nos eam sumimus, est antecedens ac æterna creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ destinatio & præordinatio. Variis nominibus in Scripturis designatur, dicitur nempè vocatio secundùm propositum seu consilium Dei, Dilectio, Discretio, Electio, Præparatio, Præordinatio, &c. Item alia est ad *gratiam*, quam gratuitam esse fides docet; alia ad *gloriam*, de qua disputant Theologi, an fiat ex prævisis meritis gratiæ, an ante illa prævisa: hinc nata in Scholis distinctio prædestinationis in *adæquatā*, quæ scilicet utramque complectitur, & *inadæquatam*, quæ unam dumtaxat continet: *Adæquata* est absoluta & efficax voluntas in Deo ab æterno existens dandi gratiam & gloriam, *Tom.* 2. *Tract.* 1. *part.* 1. *c.* 8. §. 1.

Per

Per eam acquiritur dominium rei alienæ tàm in foro interiori & conſcientiæ, quàm in foro exteriori, *ibid. n.* 133. Solv. ob. *ibid. n.* 134. & *ſeq.* (Vid. *Res mobiles*, *Res immobiles*)

Ad legitimam præſcriptionem quinque requiruntur conditiones; 1ma. ut res, quæ præſcriptione acquiritur, ſit præſcriptibilis, id eſt, à jure non prohibeatur præſcribi; nonnulla enim præſcribi nequeunt, ut 1mo. non præſcribitur adversùs hominem liberum, ut fiat ſervus; 2do. nec adversùs Superiorem; 3tio. res publicis uſibus deputata; 4to. Jus decimarum &c. aliaque jura ſpititualia à Laicis non præſcribuntur, benè verò contra quantitatem & formam ſolutionis earum præſcribi ab ipſis poteſt; 5to. non præſcribuntur tributa, functiones publicæ, cenſus, jus appellationis, quæ Principi ſolvuntur aut competunt; 6to. Res Sacræ; 7mo. res illius, qui adeò impotens eſt aut impeditius, ut rem ſuam in Judicio petere non poſſit; 8vo. fines provinciarum, Epiſcopatuum & parochiarum, quando conſtat de earum limitibus. Multa, quæ dicuntur non præſcribi, intelligenda ſunt de præſcriptione, quæ fit ordinario tempore, nempè ſpatiô decennii aut viginti annorum; nam præſcribuntur præſcriptione longiſſimi temporis, putà 30. aut plurium annorum, tales ſunt res fiſci, fundus in dotem datus, & res furtivæ, *ibid. n.* 143.

Secunda ad legitimam præſcriptionem conditio eſt *poſſeſſio*, *ibid. n.* 146. & 147. (Vid. *Poſſeſſio.*)

Tertia eſt *Titulus legitimus* ſive verus ſive probabiliter præſumptus, *ibid. n.* 148. (Vid. *Titulus*)

Quarta eſt *Bona fides*, *ibid. n.* 152. (Vid. *Bona fides* ſeu *Fides bona*)

Quinta eſt *Tempus*, *ibid. n.* 160. (Vid. *Tempus*)

Præſcriptio dicitur dormire, quando jam inchoata ceſſat, quod fit 1mo. tempore belli vel peſtis, quando homines fugiunt in aliud territorium, vel quando jus non redditur; 2do. quando Eccleſia caret Rectore; 3tio. ſi is, contra quem agitur, non poſſit agere, qualis eſt pupillus durante pupillari ætate. Dicitur autem interrumpi præſcriptio, quando, poſtquam inchoata eſt, ita ceſſat, ut non debeat continuari cum præcedenti tempore, ſive interrumpatur naturaliter, putà deſinente poſſeſſione aut bona Fide; ſive civiliter, ſcilicet per actum juridicum, putà litis conteſtationem, vel citationem, *ibid. n.* 163.

Præſentatio eſt perſonæ idoneæ per Patronum Epiſcopo vel alteri, ad quem inſtitutio pertinet, exhibitio ſeu nominatio legitimè facta. Poteſt fieri per Laicos, ſi jus patronatûs habeant, *Tom.* 3. *Tract.* 4. *c.* 5. *ſ.* 1. *n.* 254.

Præſtigium Divinationis ſpecies fit, cùm Dæmon variis apparitionibus oculos perſtringit, *Tom.* 3. *Tract.* 6. *part.* 3. *c.* 3. *Sect.* 1. *ſ.* 2. *n.* 412. (Vid. *Divinatio*)

Præſul. Præſulis nomen genericum eſt ordinemque admittit; nam Præſulum alii ſunt inferiores, ſuperiores alii, atque proindè illorum ſunt varii gradus. Inter Præſules ſeu Epiſcopos primum locum obtinet Romanus Pontifex, ſequuntur Cardinales, Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi, Epiſcopi, *Tom.* 4. *Tract.* 7. *part.* 2. *c.* 1. §. 1. *n.* 183. & *ſeq.*

Præſumptio eſt temeraria expectatio beatitudinis & mediorum illius aſſequendæ,

rit, ut res minoris æstimentur; viliori enim pretiô væneunt, quæ sub hasta & voce præconis venduntur, quàm apud Mercatorem; quæ aversione (überhaupt, per pausch) emuntur, quàm quæ minutatim, seclusis tamen fraudibus ac monopoliis, *ibid. n.* 250. Si nullum sit rei alicujus pretium legale, ea vendi debet juxta pretium naturale, seclusa omni fraude; qui aliter fecerit, tenetur ad restitutionem, *ibid. n.* 251. *& seq.* Ex affectu venditoris, si ipse Mercator non sit, pretium rei ab eo augeri potest, dummodò affectum suum intra rationis & moderationis limites contineat, nec ipse rem suam ultrò vendendam offerat, necnon emptorem moneat, cur rem illi pluris vendat, quàm secundùm se ipsam valeat, *ibid. n.* 253. Res, quæ non habent pretium vulgari æstimatione determinatum, nec Lege Principis constitutum, ut sunt gemmæ, equi pretiosi, &c. videntur vendi debere secundùm communem hominum in hisce materiis peritorum æstimationem, quamvis major sit pretii harum rerum latitudo, quàm earum, de quarum valore nemo disputat, *ibid. n.* 255. Si quod sit mercis legale pretium, ipsa juxta illud, non aliter, vendi debet, *ibid. n.* 256. Mercatorem, qui novit magnam mercium copiam brevi tempore esse superventuram, ob quam earum pretium & valor insigniter minuetur, posse merces suas pretio currente vendere; item emptorem, qui scit mercium pretium brevi tempore augendum fore, posse easdem emere currenti pretiô, posteà majori, quod superveniet, pretiô revendendas, tuentur multi cum S. Thoma, negant verò alii, *ibid. n.* 257. Omnes tamen conveniunt haud licitum esse Senatoribus vel Legis promulgationem ex industria differre, vel familiaribus suis præ aliis revelare, quam scirent circa minutionem monetæ v. g. brevì promulgandam; item eos injustitiæ reos esse, qui solitô longè vehementiùs urgerent emptorem, ut multò plures, quàm aliàs, merces emeret; ut & illos, qui scientes brevì augendum pecuniæ valorem, magnas Summas mutuô acciperent, quas alioqui non accepissent, *ibid. n.* 258.

Primas est Episcopus Patriarchâ quidem inferior, sed Metropolitanis superior, *Tom.* 4. *Tract.* 7. *part.* 1. *c.* 8. *§.* 9. *n.* 142. & *part.* 2. *c.* 1. *§.* 1. *n.* 191.

Primatus. S. Petrus primatum accepit à Christo supra cæteros Apostolos, *Tom.* 1. *Tract.* 3. *c.* 5. §. 1. *n.* 358. *&* 359. Solv. ob. *ibid. n.* 360. *& seq.*

Princeps sæcularis non pollet auctoritate definiendi Fidei controversias, *Tom.* 1. *Tract.* 3. *c.* 3. §. 2. *n.* 237. *& seq.* (Vid. *Potestas*)

Principia actuum humanorum (Vid. *Actus humanus*)

Priscillianistæ. Exercit. Theol. Exercit. 9. *n.* 158.

Privilegium definitur Exemptio à Lege servanda in favorem aliquorum per modum legis perpetuæ facta, *Tom.* 3. *Tract.* 2. *part.* 2. *c.* 1. *Sect.* 5. §. 3. *n.* 251. Privilegium aliud est *locale*, quod scilicet Ecclesiæ, dignitati, civitati, vel alicui loco, aut aliquibus personis ratione loci conceditur; hujusmodi privilegium est perpetuum, seu vim habet, donec locus, dignitas, Ecclesia, quibus datum est, consistunt, nisi totum aut ex parte revocetur: aliud *personale*, quod alicui vel aliquibus, & quidem propriis eorum nominibus expressis conceditur;

ʃ. 4. *n.* 228. & *ſeq.* (Vid. *Conſcientia*, *Opinio*)

Proceſſio divina. Proceſſionis nomine non aliud intelligitur, quàm emanatio ſeu origo unius ab alio; ſic fluvius à fonte dicitur procedere, quòd ab eo emanet & oriatur: duplex eſt *tranſiens* una, per quam potentia extra ſe ipſam operatur; & *immanens* altera, in qua potentia ſeu principium operatur in ſubjectum intra ſe poſitum. Theologi de proceſſione in divinis loquentes *immanentem* intelligunt, *Tom.* 2. *Tract.* 1. *part.* 2, *c.* 2. *n.* 376.

Proceſſio divina definitur æterna unius perſonæ divinæ ab altera ſeu duabus ſimul origo & productio, *ibid.* §. 1. *n.* 377. Datur in Deo verè & propriè dicta proceſſio, *ibid. n.* 378. Solv, ob. *ibid. n.* 380. Duæ dumtaxat, & non plures, ſunt in divinis proceſſiones, *ibid. n.* 379. Solv. ob. *ibid. n.* 381. & *ſeq.* Hæ divinæ proceſſiones ſunt immanentes; æternæ; ſubſtantiales, id eſt, terminos habent ſubſiſtentes & perſonales; neceſſariæ; metaphyſicæ, hoc eſt, citra omnem mutabilitatem, dependentiam, aut naturæ diverſitatem, *ibid.* §. 3. *n.* 385. Non improbabilis eſt opinio illorum, qui ſtatuunt principium *quo* remotum proceſſionum divinarum eſſe naturam divinam, & principium *quo* proximum proceſſionis Filii eſſe intellectum notionalem ſeu paternitate affectum; principium verò *quo* proximum proceſſionis Spiritûs ſancti voluntatem notionalem, ſeu cui adjuncta eſt ſpiratio, *ibid.* §. 3. *n.* 387. principium *quod* proceſſionum divinarum eſt ipſamet perſona producens, *ibid. n.* 386.

In divinis ſola Verbi proceſſio dicenda eſt generatio, non autem proceſſio Spiritûs ſancti, *ibid. ʃ.* 4. *n.* 389.

Proclamatio (Vid. *Sponſalia*)

Proditio avaritiæ filia eſt manifeſtatio rei alicujus vel perſonæ in damnum proximi contra fidem ei debitam. Mortalis eſt ex genere ſuo contra charitatem & juſtitiam, necnon tripliciter contingit; 1mo. circa perſonam; 2do. circa res; 3tio. prodendo alterius ſecretum ſuæ fidei commiſſum, *Tom.* 3. *Tract.* 6. *part.* 3, *c.* 1. §. 2. *n.* 267.

Promiſſio eſt contractus, quo quis per actum exteriorem ſe alteri homini ad aliquid licitum & poſſibile ſpontè & liberè obligat; ſive eſt deliberata & ſpontanea fidei obligatio de re bona & poſſibili; quæ ſi fiat ſub certa verborum formula, qua unus rogat & alter promittit, dicitur *ſtipulatio*, *Tom.* 3. *Tract.* 5. *c.* 3. *Sect.* 2. §. 11. *n.* 429. Igitur promiſſio debet eſſe deliberata, quia rationem habet contractûs; ſpontanea, non fraude, nec vi, nec metu etiam reverentiali, nec precibus importunis, &c. extorta. Eſt fidei obligatio, quo differt à propoſito, quod nullam connotat obligationem; undè qui dicit *promitto*, ſi merum deſiderium aut propoſitum ſignificare dumtaxat velit, non cenſetur ſtrictè promittere, adeoque nec obligari. Promiſſio ergo addit ſupra propoſitum intentionem ſe obligandi: ut autem actu & de facto obliget, debet priùs acceptari ab eo, cui fit, ad quod ſola illius taciturnitas ſufficere videtur: excipiuntur à multis pollicitationes factæ civitati, Eccleſiæ, vel ad pias cauſas, quæ independenter ab acceptatione obligant. Debet etiam promittens promiſſionem ſuam exteriùs ſignificare, aliàs non poſſet accepta-

Sedi-

Seditiosa dicitur ea, quæ per se apta est parere Seditionem, prout ipsa nominis etymologia declarat, *ibid. n.* 134.

Propositio suspecta de hæresi est ea, quæ multâ cum probabilitate judicatur hæretica, *ibid. n.* 135.

Propositio hæresim sapiens est ea, quæ multò majori cum probabilitate, quàm suspecta de hæresi, judicatur hæretica, *ibid. n.* 136.

Propositio hæresi proxima est ea, quam major & sanior Doctorum pars ex Scriptura & Traditione judicat esse hæreticam, licèt nullus eorum audeat eam simpliciter hæreticam dicere, quòd aliqui non infimi nominis Theologi contendant ipsi censuram hujusmodi inuri non debere, *ibid. n.* 137.

Proprietates sunt attributa essentialia secundaria, quæ subjecto suo soli & semper conveniunt. *Tom.* 2. *part.* 2. *c.* 2. §. 2. *n.* 3"5.

Tres recensentur Fidei Christianæ proprietates, scilicet Certitudo, Obscuritas, & Necessitas, *Tom.* 3. *Tract.* 3. *part.* 1. *c.* 5. *n.* 90. (Vid. *Fides*)

Duæ præcipuè numerantur Spei Christianæ proprietates, Certitudo nimirùm, & Necessitas, *ibid. part.* 2. *c.* 4. *n.* 149. *& seq.* (Vid. *Spes*)

Variæ sunt Charitatis Christianæ proprietates; præcipuæ sunt illius Necessitas, Ordo, & ea omnia, quæ ex parte nostri exigit, *ibid. part.* 3. *c.* 4. *n.* 190. (Vid. *Charitas*)

Variæ proprietates seu attributa essentialia secundaria divinis processionibus inesse dignoscuntur; 1mo. enim sunt immanentes, 2do. æternæ; 3tio. substantiales; 4to. necessariæ; 5to. metaphysicæ, *Tom.* 2. *Tract.* 1. *part.* 2. *c.* 2. §. 2. *n.* 385. (Vid. *Processiones divinæ*)

Proprietates in Deo personales, quibus personæ divinæ constituuntur, sunt dumtaxat relativæ, *ibid. c.* 3. §. 3. *n.* 416.

Proprium idem ac *Proprietas* (Vid. *Proprietas*)

Prosper (Sanctus) Quis? ejus Opera, *Tom.* 1. *Tract.* 4. *c.* 1. §. 2. *n.* 70.

Proverbia seu *Proverbiorum Liber.* Quid nomine proverbiorum apud Hebræos veniat. Quid contineat Liber in veteri Scriptura hoc nomine inscriptus, *Tom.* 1. *Tract.* 1. *part.* 2. *Sect.* 1. *c.* 3. *n.* 406. Quis illius Auctor, *ibid. n.* 407. Canonicus est, *ibid. n.* 408. Dubium, quod in illo occurrit, solvitur, *ibid. n.* 409.

Providentia est rerum omnium ad fines suos ordinatio, necnon constans in tempore ordinis illius per certa media executio, *Tom.* 2. *Tract.* 1. *part.* 1. (Vid. *Deus*)

Proxeneta seu *Factor* is intelligitur, cui aliquid committitur vendendum aut emendum nomine committentis: debet totum pretium rei venditæ domino dare: similiter si alterius rem emit infra pretium sibi præfixum, non potest residuum pretium sibi retinere, *Tom.* 3. *Tract.* 5. *c.* 3. *Sect.* 2. §. 1. *n.* 296.

Proximus. Nomine proximi hîc intelligitur omnis creatura rationalis, quæ est capax beatitudinis, *Tom.* 3. *Tract.* 3. *part.* 3. *c.* 2. *n.* 177. Charitas erga illum quæ esse debeat, *ibid. c.* 4. §. 4. *n.* 239.

Prudentia. Prudentiæ nomen accipitur 1mo. latè pro omni ea veri cognitione, quæ aliqua ratione voluntatem ad bonum honestum dirigit; 2do. strictè pro notitia veri, quæ voluntatem dirigit, ut in his aut illis circumstantiis operetur. Definitur Virtus, qua

R. *Ran-*

R.

Rancor Acediæ filia est indignatio & fastidiũ adversùs eos, qui ad virtutum opera & fervorem inducunt, ideoque eos refugit, *Tom.* 3. *Tract.* 6. *part.* 3. *c.* 1. §. 7. *n.* 324. (Vid. *Acedia*)

Rapina est alienæ rei usurpatio violenta, seu facta præsente & invito domino. Specie differt à furto in genere moris; quia ipsi furto specialem addit injuriam contra personam, cujus honor læditur, dum ei quasi è manibus res sua violenter & injuriosè aufertur; undè fieri potest, ut quis non peccet mortaliter in ratione furti, & tamen peccet mortaliter in ratione rapinæ, ut si rem levioris momenti per vim à persona illustri auferat, *Tom.* 3. *Append. ad Tract.* 5. *part.* 2. *c.* 4. §. 1. *n.* 715.

Rapina totuplex est, quotuplex vis personæ infertur, sive vis inferatur armis, sive intentato mortis metu. Ad Rapinam etiam pertinent injustæ tributorum exactiones, quæ dicuntur *Concussiones*; item exactio facta à viris potentibus, qui obsequia quædam postulant, quæ rogati ob metum non audent recusare; Rapinæ pariter rei sunt tùm ii, qui, stipendiô sibi publicè assignatô non contenti, plus aliquid exigunt; tùm ii, qui alios cogunt, ut secum inæquales cõtractus ineant, *ibid. n.* 716. (Vid. *Furtum*)

Raptus fit, cùm persona aliqua per vim abducitur ab uno loco ad alium concubitûs illiciti, vel alterius libidinis, aut etiam Matrimonii causâ, sive sit mas sive fœmina, nupta aut innupta, virgo aut corrupta, sive vis inferatur soli personæ abductæ, sive solis ejus parentibus, sive utrisque. Continet duplicem malitiam mortalem, unam contra castitatem, alteram contra justitiam ob injuriam illatam personæ abductæ invitæ vel saltem invitis parentibus ejus & tutoribus, dum constituta sub illorum custodia extrahitur ipsis rationabiliter invitis. Gravissimæ pœnæ in utroque Jure contra Raptores statuuntur, *Tom.* 3. *Tract.* 6. *part.* 3. *c.* 1. §. 4. *n.* 285. & *Tract.* 5. *in Append. part.* 2. *c.* 4. §. 1. *n.* 714. Raptus est impedimentum dirimens Matrimonium, (Vid. *Matrimonium*)

Ratio naturalis utiliter à Theologis consulitur, non tamen se habet per modum principii respectu Theologiæ, *Tom.* 1. *Tract.* 4. *c.* 4. *n.* 122. Communia rationis naturalis principia certum Theologo argumentum suppeditant: Conclusiones verò, quæ aliâ viâ, quàm per demonstrationem, ex illis inferuntur, argumentum dumtaxat probabile ei suppeditant, *ibid. n.* 123.

Reatus pœnæ est debitum seu obligatio ad pœnam, *Tom.* 3. *Tract.* 6. *part.* 2. *c.* 1. §. 4. *n.* 173.

Receptans. (Vid. *Cooperatores ad damnum*)

Regimen Ecclesiæ. Triplex distinguitur Regiminis species; *Monarchia* scilicet, quæ est imperium Unius; *Aristocratia*, quæ est regimen Optimatum; & *Democratia*, hoc est totius populi imperium, *Tom.* 1. *Tract.* 3. *c.* 3. §. 3. *n.* 269.

Regimen Ecclesiæ est Monarchicum Aristocratiâ tamen temperatum, *ibid. n.* 274. & 275. Solv. ob. *ibid. n.* 277. & *seq.* Gallicani Theologi hîc, quamvis verbotenus Regimen Ecclesiæ Monarchicum esse tueri videantur, re ipsa tamen illud Aristocraticum dumtaxat esse videntur asserere, *ibid. n.* 276.

Regressus est reversio ad Beneficium permutatum vel resignatum, *Tom.* 3. *Tract.* 4. *c.* 5. §. 4. *n.* 287. & 291. 1mo. Ei con-

ginis, quia nempè fundantur in origine seu processione unius personæ ab alia, *ibid.* §. 1. *n.* 393. Solv. ob. *ibid.n.* 396. Quatuor dumtaxat sunt in Deo relationes reales seu Originis, scilicet Paternitas, Filiatio, Spiratio activa, & Spiratio passivà, *ibid. n.* 394. Solv. ob. *ibid.n.* 401. & 402. Probabiliùs relationes divinæ formaliter ut relationes sunt, ac secundùm *Esse ad* sunt veræ ac reales perfectiones, *ibid.n.* 395. Solv. ob. *ibid. n.* 403. & *seq*

Relationes divinæ comparari possunt vel cum essentia, vel inter se; si inter se, vel comparantur cum relationibus oppositis, v. g. Paternitas cum Filiatione, Spiratio activa cum passiva; vel cum relationibus disparatis & minimè oppositis, qualis est Spiratio activa cum Paternitate & Filiatione comparata, *ibid.* §. 2. *n.* 407. Relationes divinæ ab essentia divina, uti & Spiratio activa à Paternitate & Filiatione realiter non distinguuntur, sed ratione ratiocinata seu virtualiter dumtaxat, *ibid. n.* 408. Solv. ob. *ibid. n.* 410. & *seq.* Relationes originis, quæ sibi mutuò opponuntur, Paternitas scilicet & Filiatio, ac Spiratio activa comparata cum passiva realiter inter se invicem distinguuntur, *ibid. n.* 409.

Proprietates in Deo personales, quibus personæ divinæ constituuntur, sunt relativæ dumtaxat, *ibid.* §. 3. *n.* 416. Persona divina in ratione communi & quasi generica personæ considerata constituitur per relationem, ut est forma quædam hypostatica, seu per relationem secundùm *Esse in* spectatam; at considerata in ratione quasi specifica talis personæ constituitur per relationem formalem, quatenùs respicit terminum, seu per relationem secundùm *Esse ad* spectatam, *ibid.* §. 3. *n.* 417.

Religio pars potentialis Justitiæ, *Tom.* 3. *Tract.* 4. *Proœm. n.* 1. Sumitur dupliciter; pro societate hominum Deum legitimè colentium, quo sensu dicitur Religio Christiana; & pro ipsa virtute, qua Deus colitur. Unde ipsius sic sumptæ nomen derivetur, *ibid. n.* 2. Definitur virtus moralis, per quam Deo tanquam primo rerum omnium principio debitus cultus exhibetur, *ibid. n.* 3. Ab ipsa non distinguitur cultus, quo Sanctos prosequimur, *ibid. n.* 4. Illius actus alii sunt *interni*, qui scilicet in animo consummantur, nec exterius transeunt, ut Oratio & Devotio, &c. alii *externi*, qui aliquo corporis organo perficiuntur, ut Sacrificium, Juramentum, &c. Alii *eliciti*, qui immediate à virtute Religionis procedunt, atque potissimum in seria divini cultûs volitione consistunt; tales sunt simplex complacentia circa cultum divinum, efficax ejus intentio, spes ejus futuri, gaudium de eo præsente, adoratio, Sacrificium, &c. Alii *imperati*, qui immediatè ab aliis virtutibus eliciuntur, sed imperante Religione, quæ illos ad divinum cultum ordinat; tales sunt e. g. actus Fidei, misericordiæ, aliarumque virtutum, quibus uti potest Religio, *ibid. n.* 5.

Actuum elicitorum Religionis alii sunt *primarii*, ut Devotio, Oratio, Adoratio, Sacrificium, Votum, Juramentum, Usus Sacramentorum; Alii *secundarii*, utpotè media ordinata ad priorum exercitium, ut Primitiæ, Oblationes, Decimæ, Beneficiorum, quæ sunt ad sustentandos Ecclesiæ Ministros, Dotatio, *ibid. n.* 6.

Religio quibus virtutibus annumeranda sit an solùm moralibus, vel etiam Theologicis, *Tom.* 3. *Tract.* 3. *Proœm. n.* 4.

jectio à gloria, & inflictio pœnæ æternæ. Ut aliquid sit effectus reprobationis debet esse à Deo, & ad damnationem æternam conducere; undè peccatum formaliter sumptum, quatenùs est malum culpæ non videtur esse effectus reprobationis; permissio tamen peccati actualis, quod nusquam remitti debet, potest dici effectus reprobationis; perseverantia item in peccato, quatenùs includit gratiæ uberioris privationem & permissionem peccati in pœnam culpæ præcedentis est etiam effectus reprobationis; excæcatio item & obduratio in impiis, qui sunt ex reproborum numero, sunt etiam effectus reprobationis; denique æterna tùm damni, quæ in privatione visionis Dei consistit; tùm sensûs, quæ in cruciatibus æternis continetur, pœna est effectus reprobationis à gloria, *ibid.* §. 3. *n.* 300.

Reprobus (Vid. *Reprobatio*)

Repudium. Libellus Repudii (Vid. *Matrimonium*)

Res mobiles alicujus privati, vel etiam cujusvis Ecclesiæ cum titulo per possessionem triennalem bona fide continuatam præscribuntur; sine titulo autem 30. annorum spatiô, *Tom.* 3. *Tract.* 5. *c.* 2. *Sect.* 1. §. 3. *n.* 161.

Res immobiles privatorum inter præsentes decenniô, inter absentes viginti annis cum titulo præscribuntur. Si desit titulus inter præsentes requiritur possessio 30. annorum, inter absentes 40. annorum: ad præscribendum verò contra Ecclesiam à Romana distinctam requiruntur 40. anni: adversùs Ecclesiam Romanam non præscribitur nisi per professionem 100. annorum. Ad Ecclesias revocantur hospitalia, Monasteria, & quæcunque loca, quæ habent bona ad pias causas relicta; imò ex privilegio Eugenii IV. adversùs Monasteria Benedictina res eorum immobiles nonnisi 60. annorum spatiô præscribi possunt, *Tom.* 3. *Tract.* 5. *c.* 2. *Sect.* 1. §. 3. *n.* 162.

Res inventa non transit in dominium inventoris, sed illius rei inventæ Domini si inveniri possit, secùs impendenda est in usus pauperum aut piorum locorum; nisi extet aliqua Lex municipalis, quæ illam tribuat Domino territorii, in quo inventa est, *Tom.* 3. *Tract.* 5. *c.* 2. *Sect.* 1. §. 3. *n.* 128. & 129. Sedulò igitur inquirendus est rei inventæ Dominus. Neque inventor sibi aliquid pro præmio inventionis retinere potest, nisi laborem in rei inventione impenderit, *ibid.* *n.* 130.

Res vendita (Vid. *Venditum*)

Rescriptum. Dispositiones, quæ scriptotenus ab Apostolica Sede proficiscuntur, dividi solent in Privilegia, Mandata, & Rescripta. Rescripta subdividuntur in Rescripta gratiæ, & Rescripta justitiæ, *Tom.* 3. *Tract.* 2. *part.* 2. *c.* 2. §. 2. *n.* 272. Rescripta justitiæ sunt ea, quæ debitum auxilium petentibus impertiunt, & ut plurimùm ad lites ac administrationem justitiæ in foro externo pertinent: ejusmodi verò sunt evocationes, delegationes, Judicium in partibus. E contrà litteræ, quæ Rescripta gratiæ dicuntur, ex mera liberalitate ac clementia Pontificis impetrantur, ut in dispensationibus, indulgentiis, remissionibus, absolutionibus, rehabilitationibus, provisionibus de dignitatibus, ac Beneficiis tàm in forma gratiæ vel pauperum, quàm in forma dignitatum. Rescripta justitiæ nullum novum jus ei conferunt, cui conceduntur, sed jus anteà quæsitum vel confirmant, vel jubent, ut de eo cognoscatur: Rescripta gratiæ verò impetranti jus novum attribuunt, nec exigunt causæ

cogni-

Dif-

Differt 1mo. à Satisfactione, quæ est injuriæ alicui illatæ reparatio, quæque tantò major esse debet, quò dignior est persona, cui injuria illata fuit; at Restitutio necessariò non supponit injuriam, nec respicit personam sed rem; 2do. à Solutione; nam solutio supponit rem, quæ solvitur diversam esse ab ea, pro qua solvitur; Restitutio autem esse potest rei ejusdem; item solvi dicitur, quod debetur ex voto & juramento, non dicitur verò restitui; è contrà depositùm dicitur restitui non solvi, *ibid. n.* 481.

Restitutio vel in re vel in voto necessaria est ad salutem, *ibid. c.* 1. *n.* 482. Solv. ob. *ibid. n.* 483. *& seq.*

Quatuor sunt radices restitutionis 1ma. injusta acceptio; 2da. injusta detentio; 3tia. injusta damnificatio; 4ta. ea, quæ oritur ex contractu explicito vel implicito, seu quasi contractu in assumptione officii seu muneris aut etiam mandati, *ibid. c.* 2. *n.* 486.

Titulô injustæ acceptionis simul & detentionis restituere tenetur ille, qui rem injustè accepit & retinet, possessor scilicet malæ fidei: 1mo. tenetur rem ipsam restituere, si extet, secùs æquivalens ejus pretium; 2do. fructus omnes tùm civiles, tùm naturales & mixtos secundùm eam partem, qua naturales sunt; 3tio. lucra cessantia, & damna emergentia; 4to. non potest detrahere nisi expensas necessarias, item utiles, si eas Dominus facturus erat, aut si sine detrimento rei separari possint; ut & eas, quæ solius voluptatis causâ factæ sunt, si nempè Dominus eas facturus erat aut sine detrimento rei separari ab ipsa possint. Qui rem possidet dubitans an sua sit, debet eam dividere pro ratione dubii, vel aliquam cum altero compositioné inire, vel controversiam ex arbitrorum mutuo consensu electorum judiciô definiendam tradere, *ibid. n.* 487. (Vid. etiam *Tract.* 5. *c.* 2. *Sect.* 1. *§.* 3. *n.* 157. & 158.

Ex titulo injustæ detentionis possessor etiam bonæ fidei, quamprimùm bona fides in ipso cessat, tenetur restituere 1mo. fructus naturales, si extent, secùs in quo factus est ditior, ditior autem factus censetur ille, qui adhuc habet valorem rei alienæ, quam vendidit, aut qui consumendo rem alienam suæ pepercit, *ibid. n.* 487. 2do. fructus mixtos, si extent, secundùm id quod naturales sunt; necnon civiles, *ibid. n.* 488.

Titulô injustæ damnificationis restituere tenetur, qui ex culpa aliqua Theologica extra contractum aut quasi-contractum damnum intulit, *ibid. num.* 489. & 492. Qui ex culpa veniali grave damnum intulit alteri, illud ex toto reparare tenetur juxta multos, quibus contradicunt alii, qui volunt eum ex parte tantùm illud reparare teneri, *ibid. n.* 493. & 494. hi tamen concedunt, ad id illum teneri posse sub periculo peccati mortalis; quia tanta esse potest illati damni quantitas, ut pars culpæ veniali respondens gravis sit momenti, *ibid. n.* 495.

Titulô contractûs aut quasi-contractûs, qui ex varia, pro conditione contractûs aut quasi-contractûs, culpâ damnum intulit, tenetur restituere, *ibid. n.* 489. & 496. Ad obligationem restituendi, supposito contractu, requiritur culpa lata, quando contractus cedit in commodum solius dantis, ut in deposito; sufficit verò culpa levissima, si cedat in utilitatem solius recipientis, ut in commodato; requiritur autem & sufficit culpa levis, si cedat in utilitatem utriusque. Ad obli-

si ablata non fuisset; *ibid. §.* 4. *n.* 535. attamen debitor non obligatur ad faciendas eas impensas, quas ipse Dominus facere debuisset; non enim tenetur illi cum lucro restituere, sed satis est, si creditor ex ablatione nihil damni sentiat: item si res non possit sine magnis expensis restitui, potest ex eadem naturali æquitate differri restitutio, modò Dominus indè nihil aut parùm damni capiat: Si tamen is est rerum status, ut nisi modò restituas, posteà nec ipsi Domino nec ejus hæredibus restituere possis, omninò restituenda est res nunc, vel justum ejus pretium, quamvis magnæ expensæ essent faciendæ, *ibid. n.* 536. Quæ autem debentur ratione justæ rei acceptionis restituenda sunt in loco ubi habentur, nec tenetur debitor ea suis expensis ad Dominum mittere, *ibid. n.* 537. Quòd si res restituenda supponat contractum, restituenda est expensis dantis, si contractus in solum ejus commodum esset; expensis verò accipientis, si vertat in ejus utilitatem, idque eo loco ubi est tradita, nisi justa pactione aliqua conventum sit, *ibid. n.* 538. Res, quam quis sine sua culpa habet atque remittit, si in via pereat, Domino perit non remittenti, si is sufficientem adhibuerit diligentiam, *ibid. n.* 540. at restitutio rei per injuriam acceptæ seu ereptæ fit periculô debitoris, *ibid. n.* 541. Res ex contractu debita perit creditori, cùm creditor ejus dominium servat; perit verò debitori, si illius dominium in ipsum debitorem translatum fuerit, nisi debitor eam tradidisset personæ ab ipso creditore ad ei eandem deferendam designatæ, *ibid. n.* 542.

Remissio seu condonatio creditoris, si sit legitima, tollit restituendi obligationem: ut autem sit legitima tria requiruntur: 1mo. ut non sit à jure impedita; 2do. ut creditor possit debitum remittere & condonare; 3tio. ut remissio illa sit perfectè voluntaria, *ibid. c.* 5. *n.* 544. (Vid. *Cessio bonorum*)

Qui Religionem vult ingredi atque ære alieno est gravatus, si quæ bona habeat, tenetur ante illius ingressum restituere: Si debitor possit brevi tempore, v. g. paucis annis, consuetis laboribus solvere debita saltem magnâ ex parte, juxta multos tenetur differre ingressum, ut ea solvat: si debita sint incerta, ideoque in pia opera impendenda, debitor potest Religionem ingredi, licèt manens in sæculo possit solvere; quia poterit, saltem ex consilio Confessarii, ea sibi tanquam pauperi applicare ad opus gratum Deo & meritorium, ut nempe possit ingredi Religionem. Si debitor non possit debita solvere nisi longo tempore, vel insolitis laboribus, juxta multos potest licitè Religionem ingredi relictis in manibus creditorum omnibus suis bonis, quod tamen alii non pauci negant, *ibid. n.* 546.

Debitor non tenetur restituere cum dispendio bonorum Ordinis superioris, si hæc juxta communem prudentum æstimationem longè superent damnum, quod patitur creditor, cui non fiet restitutio; si verò bona inferioris Ordinis talia sint & in tanta quantitate, ut prudenter comparentur aut prævalere judicentur bonis ordinis superioris, tunc facienda est restitutio bonorum inferiorum etiam cum dispendio superiorum, *ibid. c.* 5. *n.* 548. Probabilius ac certius etiam videtur, quòd is, qui alium læsit in bonis supremi ordinis, teneatur restituere per bona infimi ordinis, cùm aliter

aut usu alterius potentiæ naturalis privavit, vel vi aut fraude pertraxit ad aliquid sumendum, ex quo tale damnum secutum est, peccavit graviter contra justitiam, & tenetur omne damnum, quod inde secutum est, restituere, *ibid. n.* 568. Qui alium scientiam aut artem aliquam vel malè vel negligenter docuit, si ratione officii aut pacti illum instruere tenebatur, obligatur ad restitutionem: qui verò ex mera charitate alium docet, quamvis id paulò negligentiùs faciat, non tenetur ad restitutionem, nisi id dolosè agat sciens & volens, noveritque alium Magistrum hunc docere volentem diligentiùs illum esse instituturum, *ibid. n.* 569. Qui alium impedit à consecutione boni, ut Beneficii vel Officii, quo dignus erat, vel alterius boni ex justitia non debiti, ut doni, legati, &c. si usus sit vi, dolô, tenetur ad restitutionem, non quidem æqualis rei alicujus bono illi, quod impedit, sed quanti dumtaxat prudenti judiciô ea, quam habebat, bonum illud consequendi seu obtinendi spes valebat; quòd si nulla erat spes, non tenetur restituere damnum, cùm re ipsâ nullum intulerit; si tamen exigua spes fuisset, compensanda est prudenti judiciô, secùs si precibus tantùm, suasione & consilio illum impedivit, *ibid. n.* 570. Accepta pro actione vel omissione debita ex justitia restitui debent danti, *ibid. n.* 571. Accepta pro opere debito ex charitate tantùm vel ex aliis virtutibus, quod sine labore, sumptu, aut periculo fieri potest, restitui debent; imò, juxta probabiliorem sententiam, etiamsi fieri nequeat sine labore, sumtu, periculo, &c. *ibid. n.* 572. Quod spontè & liberaliter ac per modum donationis omninò gratuitæ, præcisè ad inclinandum accipientem ad bonum opus ex justitia vel charitate debitum faciendum alicui concessum est, ab ipso non est restituendum, nisi leges donationem hanc improbent, *ibid. n.* 573. Qui aliquid accipit pro actione vel omissione, quæ solùm cedit in suum commodum, vel in honorem Dei, non tenetur illud restituere, *ibid. n.* 574. (Vid. *Homicidium*, *Stuprum*, *Fornicatio*, *Adulterium*, *Detractio*, &c.)

Restitutio in integrum est remedium adversùs præscriptionem; definitur *Remedium, quo tribuitur alicui potestas suam rem sibi vindicandi.* Conceditur Minoribus, id est iis, qui annum vigesimum quintum nondum expleverunt: Ecclesiis & piis locis, etiamsi præscriptio sit 40. annorum; quia Ecclesia & pia loca sunt instar pupillorum: Majoribus, non quidem in præscriptione 30. aut 40. annorum, sed 10. aut 20. modò probent præscriptionem aut omninò sine sua negligentia aut cum probabili sua ignorantia fuisse peractam; habent autem quatuor annos postquam resciverint expletam esse præscriptionem, intra quod tempus à beneficio restitutionis in integrum non excluduntur, *Tom.* 3. *Tract.* 5. *c.* 2. *Sect.* 1. §. 3. *n.* 164.

Restrictio mentalis seu *tacita* est mentis conceptus, quo verba exteriùs prolata ad alium, quàm quem præ se ferunt, sensum ab ipso loquente restringuntur. Duplex est, una *strictè*, altera *latè mentalis*: prima residet in sola mente, nec ullatenùs verbis, signis, aut aliis circumstantiis exteriùs manifestatur; altera verò vel ex modo loquendi, vel ex circumstantiis, vel ex consuetudine deprehendi potest & percipi ab audiente, *Tom.* 3. *Tract.* 5. *c.* 4. *n.* 468. Nunquam licet uti restrictione mentali strictè seu purè tali, *ibid. n.* 469. & *seq.* Solv-

S.

Oratio & largitio eleemosynæ non sunt ritus ab Ecclesia instituti, sed opera moralia, *ibid. n.* 342.

Usus Sacramentalium est antiquissimus. Duplex est aquæ benedictio tàm apud Latinos quàm apud Græcos, una solemnior, quæ in Ecclesia Latina celebratur pridiè Pascha & Pentecosten ad fontem Baptismalem, apud Græcos & Latinos saltem in Germania nostra in festo Epiphaniæ seu pridiè illud: alia minùs solemnis, quæ fit tùm a Græcis tùm à Latinis diebus Dominicis.

Panis benedicti seu Eulogiarum frequens est mentio apud Scriptores Sæculi IV. *Eulogia* autem latinè idem significat ac *munus amico missum*, à verbo græco *Eulogeo* derivatum nomen, quod verbum idem est ac *benedico*: undè stylô Ecclesiasticô tam apud Latinos quàm apud Græcos *Eulogia* idem est ac *panis benedictus*. Ritus Confessionis publicæ & generalis, quæ incipit per hæc verba: *Confiteor Deo omnipotenti &c.* licèt admodùm antiquus non sit, non tamen minùs est pius; in eo siquidem Fideles palàm se confitentur peccatores, à Deo veniam petunt, pro illis Ecclesia suis suffragiis intercedit, eosque per Ministrum suum benedicit; quæ omnia planè sunt Religiosa, & ad pœnitentiam sanctiorisque vitæ consilium provocant; estque umbra & repræsentatio ritus antiquioris, juxta quem publicè pœnitentes è Templo ejecti, posteà reconciliabantur, palamque absolutionis beneficium, perfectâ jam pœnitentiâ, consequebantur, *ibid. n.* 342.

Certum est per Sacramentalia non remitti peccata mortalia, nec gratiam sanctificantem immediatè & ex opere operato produci, sed mediatè tantùm & ex opere operantis, quatenùs nimirùm virtute orationum & suffragiorum Ecclesiæ vim habent impetrandi à Deo gratiæ actualis auxilia iis, quibus applicantur, *ibid. n.* 343. Eadem est ratio cæterarum Ecclesiasticarum cæremoniarum ac Sacramentalium; earum enim etiam non exiguus est spiritualis effectus, præsertim verò signi crucis, quod in omnibus Sacramentis perficiendis semper usurpari consuevit; valet plurimùm ad Dæmones terrendos ac fugandos; vim quoque habet ex pietate & devotione hominis se eo signantis eo modo, quo vim habet oratio vocalis; valet quoque ad morbos sanandos, &c. *ibid. n.* 344.

Sacramentum. Sacramenti nomen deducitur vel à *sacrando*; quia ad res sacras initiat seu consecrat; vel à *secreto*; quia rem arcanam continet; hinc quod apud Latinos est Sacramentum, apud Græcos mysterium dicitur.

Varia est ac multiplex hujus vocis acceptio tùm apud Auctores sacros & Ecclesiasticos, tùm apud profanos: apud hos nomen Sacramenti significabat 1mo. pecuniam seu pignus, quod olim à litigantibus in loco sacro depositum illi peribat, qui suâ causâ cadebat; 2do. Juramentum, quod per rem sacram, id est, divini Numinis invocationem fieri solet; & idcircò qui per jusjurandum rei militari nomen dabant, Sacramentarii dicebantur, *Tom.* 4. *Tract.* 1. *proœm.* 2. *n.* 2. Apud Scriptores sacros & Ecclesiasticos Sacramenti nomen accipitur 1mo. pro re arcana & latente, sive sacra sit sive non; 2do. pro signo rei sacræ; 3tio. pro signo rei non solùm sacræ simul & occultæ, sed etiam sacrantis seu initiantis hominem divino cul-

tùm rerum tùm verborum collocant, quòd perperàm existiment verba Sacramentorum promissionis esse ac concionis destinata unicè ad fidem audientium excitandam, *ibid. n.* 15. Ex nostris aliqui, quamquàm sensu à Novatorum errore longè alieno dixère totum id, quod in Sacramento sensibile est, sive res sit, sive verbum, esse locô materiæ; significationem verò esse locô formæ totius Sacramenti. Sed emendanda est hæc opinio, ut quæ à communi & recepto loquendi usu recedat, *ibid. n.* 16.

Quodlibet sive Veteris sive Novæ Legis Sacramentũ necessariò constat rebus tanquàm materiâ, & verbis tanquàm formâ. Duplex porrò in iis est materia, circa quam versatur actio Ministri, *remota* scilicet, ut aqua in Baptismo, & *proxima*, quæ est usus materiæ remotæ, ut ablutio in Baptismo, *ibid.* §. 2. *n.* 17.

De fide est Christum Dominum determinasse, saltem in genere, omnium Novæ Legis Sacramentorum materiam & formam, *ibid.* §. 3. *n.* 19. Idem Christus Dominus quorumdam Sacramentorum, nempe Baptismi & Eucharistiæ, materiam & formam determinavit in specie, *ibid n.* 20. Formæ autem aliorum Sacramentorum non ita determinatæ fuerunt, sed Christus Ecclesiæ reliquit determinandum, quæ oratio adhiberetur v. g. pro Confirmatione, Ordinatione, & Extrema Unctione, quæve verba proferrentur pro Sacramentis Pœnitentiæ & Matrimonii, modò per ea sufficienter exprimerentur illorum Sacramentorum effectus, *ibid. n.* 21. Utrum Christus omnium Sacramentorum materiam in specie determinaverit, non conveniunt Nostrates Theologi; asserunt alii, negant verò alii, quorum tamen sententia nonnisi certis conditionibus temperata propugnari debere videtur, scilicet 1mo. Ut materia & forma assignata in Scripturis constanter ab omnibus retineatur; 2do. Ut quæ ab Ecclesia dicuntur semel assignatæ partes essentiales Sacramenti nusquam mutentur; 3tio. Ut pendente dubio an hic vel ille ritus ad substantiam Sacramenti pertineat nec ne, ii omnes sedulò ac religiosè observentur, qui ab Ecclesia præscribuntur & observantur, *ibid. n.* 22. & 23.

Quævis mutatio substantialis seu essentialis in materia vel forma Sacramenti cujusvis illud nullũ & irritũ facit; accidentalis verò illud non irritat, *ibid.* §. 4. *n.* 24. Mutatio materiæ est substantialis, quando materia nomine & re secundùm communem æstimationem & usum differt ab ea, quam Christus instituit, & Ecclesia usurpat, ita, ut in ordine ad usus humanos & prout sub tali nomine usurpatur, sit notabilis diversitas; ut si v. g. in Baptismo adhibeatur vinum locô aquæ: Materiæ mutatio est accidentalis, si materia sit eadem re & nomine cum ea, quam Christus instituit, sed non adhibeatur codem modo, quo Ecclesia eam adhibet; ut si in Baptismo sine necessitate adhibeatur aqua non benedicta, *ibid. n.* 25. Mutatio substantialis formæ est quando vel non adhibentur verba vocalia seu propriè dicta, ubi essentialiter requiruntur, ut re ipsa requiruntur in omnibus, exceptô Matrimoniô; vel si verba vocalia ita mutentur, ut non maneat sensus à Christo institutus tanquam necessarius: Quævis verò formæ mutatio, qua non tollitur sensus à Christo institutus, est accidentalis. Quænam autem materia, vel quæ verba ad essentiam Sacramenti requirantur, certò cognoscimus ex usu & doctrina Ecclesiæ, *ibid. n.* 26. Sensus verborum æquivocorum ab intentione proferentis pendet; sed extra æquivocationem sensus verborum non pendet ab inten-

intentione proferentis ; hinc valebat Baptismus Arianorum, quamvis circa formam malè sentirent, quia illam rectè pronuntiabant, *ibid. n.* 27. Verborùm mutatio sex modis fieri potest, nimirùm per additionem vel detractionē alicujus vocis locô alterius, per corruptionē alicujus vocis detrahendo vel mutando aliquam syllabam, per transpositionem & interruptionem pronuntiando scilicet unam partem formæ, ac deindè quiescendo per aliquod tempus, vel loquendo aliquid impertinens, & demùm perficiendo formæ prolationem : quoties igitur aliquo ex illis modis verba ita mutantur, ut pereat sensus à Christo intentus, toties mutatur substantialiter vera forma; secus si hic sensus maneat : interruptio verum sensum, ideoque substantiam formæ, destruit, quoties tollit moralem formæ unitatem ; secùs si non eam tollat, quæ secundùm prudens judicium æstimari debet ex circumstantiis, modo, ac durationе interruptionis, *ibid. n.* 28. Quævis mutatio accidentalis, quamvis, si non fiat animô inducendi novum errorem, Sacramentum non irritet, quia materiam & formam à Christo institutas non mutat, sed eæ in illa adhuc reperiuntur, est tamen illicita, præsertim si fiat privata auctoritate ; si verò fiat animô & intentione inducendi novū errorem irritat Sacramentum ; ad quod tamen duo requiruntur, 1mo. ut sensus formæ sit re vera ambiguus, 2do. ut error Ministri ita exterius exprimatur, & verba ambigua in talibus circumstantiis proferantur, ut nonnisi pravo sensu intelligi debeant, *ibid. n.* 29. In Sacramentorū administratione, quando ministrandum est Sacramentum ad salutem necessarium, urgetque mortis periculum, si certa materia non suppetat, Minister licitè potest imò debet adhibere dubiam : at è contrà grave peccatum est uti materiâ dubiâ, cùm certa haberi potest, *ibid. n.* 30.

Ad essentiam Sacramenti non requiritur concio per quam exponatur Sacramentorum institutio, vel promissio, vel effectus, *ibid. §. 5. n.* 31. *& seq.* Verba Sacramentorum sunt verè ac propriè consecratoria, non promissionis, nec concionis, *ibid. n.* 41. Solv. ob. *ibid. n.* 42. *& seq.*

Forma Sacramentalis alia est *absoluta*, quæ scilicet actionem Sacramentalem absolutè enuntiat, ut hæc verba, *Confirmo te*; alia verò *conditionalis*, quæ scilicet eandem actionem exprimit præsupposita conditione, ut hæc sententia, *Si tu non es baptizatus, Ego te baptizo &c.* Hujus conditionalis formæ usus ad octavum usque Sæculum nullus in Ecclesia usus deprehenditur, atque primùm dictô Sæculô in Sacramentorum administratione & confectione apud Latinos cœpit adhiberi, & hoc primùm Sæculô XIII. in omnibus Ecclesiis, *ibid. §. 6. n.* 49. porrò ubi conditionalis hæc forma in Ecclesia Latina primùm invaluit, initiô ea dumtaxat Sacramenta sub conditione iterata fuêre, quæ propter characterem, quem imprimunt, iterari non possunt; ast à centum & ampliùs abhinc annis etiam in Sacramentis, quæ possunt iterari, formæ conditionalis usus invaluit, *ibid. n.* 50. In iis dumtaxat circumstantiis forma conditionalis adhiberi debet in administratione seu confectione Sacramenti, cùm scilicet legitima occurrit dubitandi ratio, an re ipsa collatum fuerit Sacramentum : an verò, si forma sit dubia & incerta, quod rarissimè contingere potest, eam usurpare licet, ea veniunt observanda, quæ circa materiam dubiam suprà annotavimus, *ibid. n.* 51.

In statu innocentiæ nulla omninò extiterunt Sacramenta, *ibid. c. 2. §. 1. n.* 56. Solv. ob. *ibid. n.* 57. *& seq.*

Licèt neque ex Scriptura, neque ex Traditione non resciamus num in Lege na-

naturæ aliquod extiterit Sacramentum, quod parvulis esset remedium adversus peccatum originale, tamen pia & vera sententia est in dicta lege extitisse aliquod tale Sacramentum; illud autem remedium in fide venturi Messiæ positum fuisse verisimilius est. Et meritò conjici potest pro adultis Fidelibus nonnulla extitisse Sacramenta, *ibid.* §. 2. *n.* 62. *& seq.*

Plura extitêre in Veteri scripta Lege Mosaica, *ibid.* §. 3. *n.* 66. *&* 67. nullum quoque dubium est, quin in Nova Lege seu Evangelica extent Sacramenta, *ibid. n.* 68.

Inutilis Scholæ trica esse videtur, utrum Sacramenta Novæ Legis physicè an verò moraliter dumtaxat gratiam operentur, *ibid. c.* 3. *n.* 69. Concipi potest Sacramenta producere gratiam duobus modis, nimirùm aut ex opere operato, aut ex opere operantis: priori modò eam producunt, si producant vi & efficacia ipsius operis externi Sacramentalis à Christo Domino instituti ac debitè subjecto applicati ultra omne meritum ministrantis vel recipientis Sacramentum, non tamen sine quibusdam præviis ex parte suscipientis dispositionibus, quæ neque sunt causæ effectrices gratiæ, neque ipsis Sacramentis vim & efficaciam tribuunt, quam habent à Christo immediatè derivatam; sed tantùm sunt conditiones, quæ removent obicem seu impedimentum, quo impediri seu retardari posset vis & efficacia Sacramenti: è contrà posteriori modô eam producunt, si agant ex vi probitatis Ministri ea conferentis, aut ex dispositione subjecti ea recipientis, adeoque si gratia ista à Deo intuitu fidei ac pietatis seu meriti vel ministrantis vel suscipientis Sacramentum concedatur, *ibid.* §. 1. *n.* 70. Olim Donatistæ contenderunt Sacramenta Novæ Legis producere gratiam ex opere operantis dumtaxat, id est totam eorum efficaciam refundebant in sanctitatem Ministri & dispositionem suscipientis: Lutherani verò & Calvinistæ ex falsò suo principio, nempe solam fidem justificare, omnibus tùm Novæ tum Antiquæ Legis Sacramentis vim sanctificandi adimunt, &c. *ibid. n.* 71. *& seq.* Sacramenta Novæ Legis gratiam ex opere operato iis conferunt, qui nullum ponunt obicem, *ibid. n.* 74. *& seq.* Solv. ob. *ibid. n.* 78. *& seq.* Nullum Antiquæ Legis Sacramentum, ne Circumcisio quidem, conferebat gratiam ex opere operato, *ibid. n.* 91. *& seq.* Solv. ob. *ibid. n.* 95. *& seq.*

Duplex distinguitur Sacramentorum effectus, *Gratia* nempè & *Character*: hic à tribus dumtaxat Sacramentis imprimitur, à Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine; illa ab omnibus confertur, *ibid. c.* 4. *n.* 107. & *Proœm.* 2. *n.* 6.

Omnes recentiores Acatholici negant Sacramenta Novæ Legis gratiam aliquam producere, prout jam suprà annotatum, nempè contendunt, ea non habere alium effectum, quàm ut confirment fidem seu persuasionem, qua Fideles certò credant sibi peccata non imputari, *ibid.* §. 1. *n.* 108. Gratia vel est habitualis, quæ scilicet per modum formæ permanenter inhæret animæ ipsamque sanctificat ac Deo gratam reddit; vel actualis, quæ est motus transiens, quo anima ad pietatis opus excitatur; vel communis omnibus Sacramentis; vel unicuique propria, quæ idcircò Sacramentalis appellatur; vel est prima, si nempè homini primùm detur nec aliam in eo præsupponat, hoc est si ei conferatur, qui jacet in peccato mortali; vel secunda, si nempè jam data augeatur, atque aliam in homine præsupponat, hoc est, si de-

tur Extremam Unctionem & Matrimonium reviviscere, *ibid. n.* 138. porro ad obicem tollendum, & ut Sacramenta reviviscant hæc requiruntur: 1mo. Si obex fuerit solummodò inculpabilis omissio dispositionis ad gratiam, tunc tollitur ponendo dispositionem illam, & sic Sacramentum reviviscit, modò tamen novus obex non additus sit mortaliter peccando post susceptum Sacramentum; nam iste removeri debebit per Sacramentum pœnitentiæ, vel per contritionem perfectam ejus votum includentem, *ibid. n.* 139. Solv. ob. *ibid. n.* 140. *& seq.*

Christus Dominus omnia & singula Legis Novæ Sacramenta immediatè & per se ipsum instituit, *ibid. c.* 5. §. 1. *n.* 147. *& seq.* Solv. ob. *ibid. n.* 151. *& seq.* Triplex à Theologis distinguitur in Sacramentis instituendis potestas seu auctoritas; una primaria & independens, quæ simpliciter dicitur potestas auctoritatis, atque soli Deo propria est; altera excellentiæ seu ministerii principalis, quæ Christo competit ratione humanitatis suæ, quæ est instrumentum divinitati hypostaticè conjunctum; tertia denique infima, quæ dicitur potestas puri ministerii, qualis Sacerdotibus data est. Auctoritas excellentiæ, quæ Christo propria est, fundatur in unione hypostatica atque hæc quatuor includit, meritum Christi in Sacramentis operari ac primam de condigno gratiam mereri; ad invocationem nominis Christi Sacramenta celebrari; Christum instituere potuisse, ut re vera instituit, Sacramenta; solo suo arbitrio ac voluntate absque ullis signis sensibilibus posse Christum gratiam Sacramentorum propriam conferre. Ad Sacramentum verò instituendum duo requiruntur, 1mo. ut assignetur signum aliquod [illegible] conveniens, 2do. ut huic signo adnexa sit virtus & efficacia conferendi gratiam sanctificantem, *ibid. n.* 154. Potestas auctoritatis primaria & independens instituendi Sacramenta nulli puræ creaturæ communicari potest; ea verò, quæ dicitur excellentiæ, atque humanitati Christi tanquam instrumento divinitati conjuncto concessa fuit, adæquatè, & quantùm ad omnes effectus communicari non potest, sed inadæquatè tantùm, *ibid. n.* 155.

Duplex est generatim Sacramentorum minister, primarius scilicet & secundarius: Minister principalis & primarius est ille, qui Sacramenta instituit, ut ejus nomine fierent, & per cujus solius merita operarentur; talis est solus Christus ut homo: Minister secundarius est ille, qui sub Christo & ejus nomine potest validè conficere Sacramentum, sive est idoneus effector Sacramenti. Hic denuò duplex est, ordinarius nempè & extraordinarius: prior est ille, qui secundùm Legem & ordinem à Christo præscriptum Sacramentum conficit ac dispensat: alter verò, qui præter legem illam ordinariam & extraordinariè ad illud conficiendum aut dispensandum deputari potest, *ibid. c.* 6. *n.* 156. Lutherus Lib. de Missa privata docet etiam Angelos tùm bonos tùm malos habere potestatem conficiendi & dispensandi Sacramenta; Calvinus verò contendit solos Christianos ad ministerium legitimè vocatos hanc potestatem habere, ita ut ne quidem in necessitate fœminæ baptizare possint, *ibid. n.* 157.

Solus homo viator potest esse ordinarius Sacramentorum Minister, *ibid.* §. 1. *n.* 158. Solv. ob. *ibid. n.* 161. *&* 162. Non omnes & singuli homines viatores ratione utentes sunt Ministri omnium Sacramentorum, sed tantùm Baptismi, & fortè Matrimonii, *ibid. n.* 159. Solv. ob. *ibid. n.* 163. *& seq.*

So-

Solus homo viator est subjectum capax Sacramentorum, *ibid. c. 7. §. 1. n.* 277. Solv. ob. *ibid. n.* 279. & 280. Omnis homo viator est capax trium Sacramentorum, nempe Baptismi, Confirmationis, & Eucharistiæ positis ponendis; at non omnis est capax omnium Sacramentorum, *ibid. n.* 278.

In parvulis, dum baptizantur, sufficit intentio publica & generalis Ecclesiæ, *ibid.* §. 2. *n.* 281. In adulto, ut Sacramenta verè percipiat, requiritur vera & interna intentio, seu consensus voluntatis in ritum Ecclesiæ, quem percipit, *ibid. n.* 282. Solv. ob. *ibid. n.* 285. & *seq.* Non sufficit in adulto intentio percipiendi merè externum ac materialem Ecclesiæ ritum; nec tamen requiritur, ut eum expresse tanquam verum Sacramentum intendat, sed sufficit, ut ex animo & generatim velit percipere id, quod facit Ecclesia, *ibid. n.* 283. Solv. ob. *ibid. n.* 296. In aliquibus Sacramentis percipiendis, v. g. Baptismo, Confirmatione, intentio actualis aut virtualis non requiritur, sed sufficit habitualis & interpretativa, *ibid. n.* 284.

Fides non est dispositio necessaria ad Sacramenta validè percipienda, uno excepto Pœnitentiæ Sacramento, *ibid. §.* 3. *n.* 297. Solv. ob. *ibid. n.* 300. & *seq.* Ut Sacramenta licitè ac cum fructu percipiantur, necessariæ sunt præviæ ex fide ac pietate dispositiones, *ibid. n.* 298. & 299.

In solemni Sacramentorum administratione semper & quovis Ecclesiæ Sæculo adhibitæ fuerunt cæremoniæ, *ibid. c.* 8. §. 1. *n.* 308. & *seq.* Quòd si ergo usus cæremoniarum sit contra verbum Dei, prout ineptè contendunt Novatores, palàm est, Religionem Christianam jam à primis incunabulis defecisse, Ecclesiamque Catholicam nunquam extitisse nisi adulteram, sanctos quoque Patres in ejus sinu periisse, si nemo, ut Novatores asserunt, saluti suæ consulere possit, nisi ab ea recesserit: quæ quàm vana & insulsa sint, nemo non videt, *ibid. n.* 317. Utilis est in Sacramentorum celebratione & administratione usus cæremoniarum, *ibid.* §. 2. *n.* 319. & *seq.* Solv. ob. *ibid. n.* 322. & *seq.*

Ecclesia habet potestatem ritus & cæremonias in administratione Sacramentorum observandas instituendi, *ibid.* §. 3. *n.* 331. & *seq.*

Peccant, qui extra casum necessitatis, etiam citra scandalum & contemtum, præscriptos ab Ecclesia ritus in solemni Sacramentorum administratione prætermittunt, *ibid.* §. 4. *n.* 337. & *seq.*

Septem in Ecclesia Catholica numerantur Sacramenta à Christo ad nostram sanctificationem instituta, & nec plura nec pauciora, *Proœm. in Tom.* 4. *n.* 2. & *ejusdem Tomi Tract.* 1. *c.* 9. *n.* 345. & *seq.* Cur autem nec plura nec pauciora numerentur, in causa est una Dei voluntas: enimverò in hujusmodi rebus tota ratio facti est voluntas Dei facientis. Quamquam numerus iste ex iis etiam rebus, quæ per similitudinem à naturali vita ad spiritualem transferuntur, probabili quadam ratione deduci possit: homini quippè ad vivendum vitamque ex sua ac Reipublicæ utilitate conservandam hæc septé necessaria videntur; ut scilicet in lucé edatur, augeatur, alatur, si in morbum incidat, sanetur, virium ipsius imbecillitas reficiatur, deinde, quod

ad

ſyna, &c. Strictè & propriè ſumtum definitur Oblatio externa rei ſenſibilis per aliquam ejus deſtructionem vel immutationem à legitimo Miniſtro ſoli Deo ad teſtificandum eum eſſe ſupremum rerum omnium & noſtrî auctorem vitæque & necis Dominum ritu myſtico conſecrata, *ibid. n.* 356. Euchariſtiæ Sacrificium, quod diverſis nominibus, ut ſuprà retulimus, inſigniunt antiqui, apud Latinos *Miſſæ* nomen communiùs eſt ſortitus, &c. *ibid. n.* 355. (Vid. *Miſſa*)

Sacrilegium eſt *violatio ſeu indigna tractatio rei ſacræ*, hoc eſt, rei Deo dicatæ, ſeu ad Dei cultum ſpecialiter deſtinatæ. Violatur autem res ſacra, cùm aliquid fit, quod peculiariter ſanctitati illius vel reverentiæ illi debitæ ſeu Deo in illa debitæ repugnat: ſive Violatio rei ſacræ eſt quælibet irreverentia in illam, *Tom.* 3. *Tract.* 6. *part.* 3. *c.* 3. *Sect.* 2. *§.* 3. *n.* 443. Tres Sacrilegii ſpecies numerantur, nimirùm perſonale, locale, & reale; perſonale eſt, quo indignè tractatur perſona ſacra, ut Clericus vel Religioſus, quod fit quatuor modis 1mo. eos injuſtè percutiendo, aut quamlibet aliam actionem violentam ac contumelioſam in eos injuſtè exercendo, atque manus violentas ſuadente diabolo in illos injiciendo, &c. 2do. Eos ſubjiciendo Tribunali ſæculari, vel eos ad illud provocando contra privilegium fori. 3tio. Imponendo eis tributa vel onera publica ſine legitima auctoritate contra immunitatem Eccleſiaſticam. 4to. Omne peccatum contra caſtitatem à Religioſis vel Clericis ſacro Ordine inſignitis commiſſum eſt Sacrilegium, *ibid. num.* 444. Vocatur Sacrilegium venereum, eſtque violatio rei ſacræ per actum luxuriæ: duplicem continet malitiam mortalem, unam contra caſtitatem, & alteram contra Religionem, qua gravis irreverentia Deo irrogatur. Res autem ſacræ, quæ ſic violari ſolent, ſunt perſona votô caſtitatis etiam ſimplici obſtricta & locus ſacer: quare Sacrilegium eſt 1mo. omnis actus tùm externus tùm etiam merè internus luxuriæ ſive conſummatæ ſive non conſummatæ à perſona votô caſtitatis obſtricta, vel ab alia cum illa aut circa illam commiſſus, ut ſunt pollutio, copula, oſcula, tactus, deſideria, delectatio moroſa, &c. 2do. omnis actus venereus illicitus exterior etſi occultus, ut fornicatio, pollutio, & tactus impudici in loco ſacro, nempè in Eccleſia vel cæmeterio. Peccatum luxuriæ Confeſſarii cum ſua pœnitente continet malitiam duplicis Sacrilegii tùm contra votum caſtitatis, tùm contra reverentiam Sacramenti, quod per hoc redditur odioſum & ſuſpectum, maximè ſi ſumatur ut medium ad peccandum, habetque malitiam velut inceſtûs ſpiritualis, *ibid. c.* 1. *§.* 4. *n.* 289.

Sacrilegium locale eſt *violatio loci ſacri*, ut Templi & Cæmeterii; qualis eſt omnis actio includens irreverentiam loci, aut ſpecialem habens cum ſanctitate loci vel cultu divino repugnantiam, ſive ex natura ſua, ſive ex prohibitione Eccleſiæ; ut 1mo. effractio, ſpoliatio, incenſio Eccleſiæ, everſio altaris; 2do. homicidium, effuſio illicita ſanguinis aut ſeminis humani, ſepultura excommunicati non tolerati aut non baptizati; 3tio. uſus profanus Eccleſiæ tanquam vulgaris loci, ut ſi in ea ſiant negotiationes, exercitium judiciorum ſæcularium, ſeditio, conclamatio, vana & profana colloquia, confabulationes quælibet tempore divini Officii, vel quævis alia, quæ cultum divinum turbare aut impedire, vel oculos divinæ Majeſtatis offen-

tercedant, *ibid. n.* 30. Solv. ob. *ibid. n.* 31. & *seq.*

Sanctitas Ecclesiæ Christi propria posita est præsertim in tribus, scilicet in sanctitate doctrinæ & professionis; in sanctitate eorum, qui primùm eam fundârunt; in gloria miraculorum, quibus Ecclesiæ suæ veritatem & sanctitatem confirmavit Dominus, *Tom.* 1. *Tract.* 3. *c.* 2. *§.* 2. *n.* 105. Sanctitas Christi (Vid. *Christus*)

Sanctitate vitæque innocentiâ & morum probitate ornati esse debent, qui sacros Ordines suscepturi sunt, ad quam pertinet cœlibatus, *Tom.* 4. *Tract.* 7. *c.* 8. *n.* 303. & 304. (Vid. *Ordo*)

Sapientia. Sapientiæ liber, quid contineat, *Tom.* 1. *Tract.* 1. *part.* 2. *Sect.* 1. *c.* 3. *n.* 426. qua lingua primùm conscriptus fuerit, *ibid. n.* 427. cujus sit latina ejus versio, *ibid. n.* 428. quis illius auctor, *ibid. n.* 429. & *seq.* Canonicus & divinus meritò ab Ecclesia censetur, *ibid. n.* 433. & 434. Solv. ob. *ibid. n.* 435. & 436.

Satio (Vid. *Cultura*)

Satisfactio. Satisfactionis nomen generatim sumitur ad significandam cujuscumque debiti solutionem, estque solutio rei debitæ. Nomen suum trahit à verbo *facio* & voce *satis*, *Tom.* 2. *Tract.* 3. *c.* 6. *§.* 4. *n.* 292. & *Tom.* 4. *Tract.* 5. *c.* 4. *n.* 246. propriè tamen & strictè sumitur pro sola debiti solutione, quod contrahitur ex læsione honoris & famæ, quo sensu à Theologis definitur Redditio voluntaria honoris & reverentiæ æquivalentis ex propriis & aliàs indebitis ad compensandam injuriam alicui per peccatum illatam, *Tom.* 2. *Tract.* 3. *c.* 6. *§.* 4. *n.* 292.

Satisfactio est materia proxima seu *ex qua* Sacramenti pœnitentiæ & ejus pars integralis dumtaxat, *Tom.* 4. *Tract.* 5. *c.* 1. *§.* 3. *n.* 56. & 57. ita ut satisfacere Deo hîc idem sit, ac tantum præstare, quantum ad ulciscendam injuriam ipsi per peccatum illatam satis esse possit. Sic acceptam satisfactionem SS. Patres non rarò vocant *Pœnitentiam*: Pœnitentia namque, ut alibi dictum est, dicitur à *pœna*, quæ maximè elucet in satisfactione; satisfit enim Deo piis afflictationibus & laboriosis operibus, *ibid. c.* 4. *n.* 246. Definitur autem satisfactio, prout hîc consideratur, Pœnæ acceptatio & voluntaria perpessio à Confessario injuncta ad compensandam injuriam Deo illatam, *ibid. n.* 247. Duplex pro duplici culpæ & pœnæ reatu in peccato est satisfactio, una pro culpa, altera pro pœna: Satisfactio pro culpa, quam Deus exigit est contritio & confessio; Satisfactio autem pro pœna est ea, quam primùm definivimus; nam Satisfactio pro pœna æterna eadem est cum Satisfactione pro culpa mortali, *ibid. §.* 1. *n.* 249. Novatores negant existentiam Satisfactionis, quæ sit pars Sacramenti, *ibid. n.* 250. Dimissô quoad culpam peccatô non semper remittitur tota pœna temporalis, sed plerumque manet debitum luendæ pœnæ temporalis, *ibid. n.* 251. & *seq.* Solv. ob. *ibid. n.* 260. & *seq.* Homo potest Deo satisfacere pro pœna temporali per opera pœnalia & quidem de condigno, *ibid. n.* 254. & *seq.* Solv. ob. *ibid. n.* 265. & *seq.* Necessariò exigenda est à pœnitentibus pœnalis satisfactio non tantùm ad novæ vitæ custodiam sed ad præteritorum peccatorum vindictam, seu ad veram satisfactionē Deo exhibendam, tùm ut injuria ipsi illata reparetur, tùm ut pœna temporalis, quæ dimissâ culpâ adhuc superstes est redimatur, *ibid. n.* 257. & *seq.* Solv. ob. *ibid. n.* 267. & *seq.*

rationabili causa, potest esse tantùm venialis, nisi ad finem injunctæ pœnitentiæ magni referat illam esse impletam tempore præfinito, v. g. ad superandas urgentes tentationes: quòd si Confessarius nullum tempus determinaverit, tenetur pœnitens sub gravi satisfactionem seu injunctam sibi pœnitentiam implere quamprimùm commodè potest: qui autem pœnitentiam quoquo modo distulit implere, eam posteà, quamprimùm poterit, persolvere tenetur. Pœnitens tenetur pœnitentiam per semetipsum implere, nisi Confessarius expressè aliud intenderit. Si Confessarius leviorem pœnitentiam imposuit pro peccatis mortalibus, pœnitens tenetur supplere, *ibid. n.* 273.

Præter condonationem seu remissionem pœnæ temporalis multiplex adhuc est Satisfactionis fructus, 1mo. enim pœnæ satisfactoriæ magnopere à peccato revocant & quasi fræno quodam homines coërcent, cautioresque & vigilantiores efficiunt; 2do. medentur peccatorum reliquiis,& vitiosos habitus malè vivendo comparatos tollunt; 3tio. Dei animadversionem pœnasque graviores antevertunt; 4to. nos Capiti nostro Christo, qui tot dura & acerba nostrî gratiâ perpessus est, conformes efficiunt, &c. *ibid. n.* 274.

Satisfactionis conditiones sex præcipuè numerantur, 1mo. debet esse actio moraliter bona; 2do. supernaturalis; 3tio. laboriosa & pœnalis; 4to. debet fieri ab homine justo seu in statu gratiæ posito, secùs, primùm sublato per justificationem obice, suum effectum assequitur; 5to. debet esse æqualis reatui seu debito pœnæ temporalis; 6to. pœnitentia pro peccatis occultis debet esse occulta, pro publicis publica, *ibid. n.*275.

Verisimilius est, quòd illo tempore, quo pœnitentia publica in usu fuit, communiter Sacramentalis à peccatis absolutio data fuerit post expletam satisfactionem; aliquoties tamen dabatur ante persolutam satisfactionem, *ibid.* §. 3. *n.* 276.

Neque ex necessitate Sacramenti neque ex institutione Christi necesse est, ut Satisfactio à pœnitente ante absolutionem impleatur, sed perindè est, sive eam antecedat sive sequatur, *ibid. n.* 277. *& seq.* Solv. ob. *ibid. n.* 280. *& seq.*

Disciplina Veteris Ecclesiæ circa Pœnitentiam, seu Pœnitentia publica exponitur, *ibid.* §. 4. *n.* 285. *& seq.*

Satisfactio Christi (Vid. *Christus*)

Scandalum vox græca secundùm nominis etymologiam idem significat ac *offendiculum* seu *pedis offensionem*; translatum autem ad mores significat quidquid nobis ad beatitudinem tendentibus est causa ruinæ spiritualis, *Tom.* 3. *Tract.* 6. *part.* 3. *c.* 2 §. 3. *n.* 377. Generatim duplex est, *activum* quod scilicet datur, estque dictum vel factum minùs rectum præbens alteri occasionem ruinæ seu peccandi; & *passivum* quod scilicet accipitur, estque effectus scandali activi, seu peccatum, cujus causa fuit scandalum activum seu datum, *ibid. n.* 378.

Scandalum datum seu activum duplex est, *directum* scilicet, cùm nempè quis dictis vel factis proximum in ruinam impellere intendit, putà in fornicationem; & *indirectum*, cùm quis non intendens ruinam proximi nonnulla dicit aut facit in proprium commodum aut animi oblectamentum, quæ tamen sunt alteri occasio peccati, *ibid. n.* 379. Scanda-

necessaria sunt necessitate medii ad salutem; item non licet omittere opus bonum in detrimentum fidei, vel boni communis spiritualis, *ibid. n.* 393. Ad vitandum grave scandalum pusillorum multi putant debere prætermitti præcepta merè positiva, præsertim humana, nisi ex ejusmodi omissione majus damnum immineret omittenti vel aliis, *ibid. n.* 394.

Bona opera, etsi solùm consilii sint, omitti non debent ad vitandum scandalum Pharisaicum seu ex mera malitia acceptum; si verò scandalum ex infirmitate aut ignorantia oriatur, occultari debent, vel interdùm differri, donec ratio sic agendi proposita fuerit, *ibid. n.* 395.

Suadere minus peccatum volenti committere gravius nunquam licet, quamvis aliter gravius illud impediri nequeat, loquendo scilicet de suasione aut alia inductione directa: tamen volenti committere duo peccata inæqualia suadere licet, ut, relictô graviori, contentus sit minùs gravi: idem dicendum, quando peccatum minus est pars inclusa in majori, modò id fiat respectu ejusdem personæ, *ibid. n.* 396.

Vendere vel dare alteri rem aut operam de se licitam, qua malè usurus prævidetur, vel probabiliter putatur, est peccatum scandali, quando res illa denegari potest sine gravi damno, *ibid. n.* 397. *& seq.* Non licet præbere operam vel rem aliquam, quæ in talibus circumstantiis proximè ad peccatum adjuvat, & ad illud determinatè ordinatur, *ibid. n.* 400. Licet rem & operam ex se licitam nec per se & proximè ad peccatum concurrentem præbere eâ abusuro, si adsit justa causa & proportionata excusans, & desit intentio cooperandi ejus peccato, nec alter abutatur contra bonum Reipublicæ vel Ecclesiæ, *ibid. n.* 401.

Schisma generatim significat quamlibet animorum scissuram seu dissensionem sive in fide, sive in disciplina; propriè autē Schisma significat separationem ab unitate Ecclesiæ non sine contemtu ipsius Ecclesiæ. Est ergo Schisma spontanea ac voluntaria separatio ab Ecclesia & ejus unitate, cujus partes tanquam membra unius & ejusdem corporis charitas veluti spirituale vinculum copulat ac constringit: læditur quidem illa unitas per quamlibet inobedientiam, qua quis præcepta Prælati sui contemnit, sed absolutè non solvitur, nisi inobedientiæ addatur rebellio & contumacia, qua inobediens non vult subesse Ecclesiæ vel Summo Pontifici ejus in Spiritualibus Capiti. Omnes Hæretici sunt etiam Schismatici; differt tamen Schisma ab hæresi, quòd hæc propriè fidem, Schisma verò charitatem ac disciplinam impetat. Est autem Schisma gravissimum scelus, *Tom.* 1. *Tract.* 3. *c.* 4. *ʃ.* 4. *n.* 329. & *Tom.* 3. *Tract.* 6. *part.* 3. *c.* 2. *ʃ.* 3. *n.* 364.

Schismatici nullatenùs sunt in Ecclesia, *Tom.* 1. *Tract.* 3. *c.* 4. *ʃ.* 4. *n.* 330. *& seq.* Solv. ob. *ibid. n.* 333. *& seq.*

Scholastici (Vid. *Theologi Scholastici*)

Scientia. Nomine scientiæ intelligitur cognitio certa & evidens rei alicujus, sive res illa immediatè in se ipsa, sive in aliquo tanquàm medio cognoscatur, *Tom.* 2. *Tract.* 1. *part.* 1. *c.* 5. *n.* 142.

Scientia Dei (Vid. *Deus*) Quotuplex fuerit in Christo scientia creata (Vid. *Christus*)

Scien-

Ser-

Sermo turpis & obscœnus (Vid. *Cantiones*)

Serpens, per quem Diabolus protoparentes nostros in paradiso voluptatis seduxit, fuit verus serpens, *Tom.* 2. *Tract.* 2. *c.* 3. *§.* 3. *n.* 93.

Servitus definitur Jus, quod quis habet in re aliena, ut sibi serviat. Duplex est *realis* & *personalis*; prior est ea, quæ à re debetur immediatè alteri, seu per quam res rei servit; personalis est ea, qua res personæ obligatur, vel persona rei. Ususfructus, usus, & habitatio sunt propriè servitutes personales, *Tom.* 3. *Tract.* 5. *c.* 2. *Sect.* 2. *§.* 4. *n.* 188. Servitus realis dividitur in *urbanam* & *rusticam*; urbana est, quæ urbano prædio debetur; rustica, quæ rustico. Prædium autem urbanum dicitur vel habitaculum, etiamsi villa sit, vel hortus amœnitatis causâ ei annexus: Rusticum verò sunt agri, prata, pecorum stabula à domibus sejuncta, *ibid. n.* 189. Servitus rustica vel est *nominata*, ut iter, actus, via, aquæ ductus per alterius fundum; vel *innominata*, ut aquæ haustus, pecoris ad alterius lacum appulsus, jus pascendi, calcis coquendæ, arenæ fodiendæ, &c. ex vicino prædio, *ibid. n.* 190. Servitus acquiritur seu constituitur aut voluntate præsentium, aut emptione, aut donatione, aut testamentô, aut contractu. Finitur 1mo. contrariis pactis aut ipsa redditione servitutis; 2do. exacto tempore, ad quod fuit concessa; 3tio. præscriptione; 4to. reductione prædiorum ad ejus dominium, cui serviebant; 5to. alluvione, quamvis servitus in pristinum statum restituatur cessante alluvione, *ibid. n.* 191.

Servus. Jus Dominorum in servos ultra rationabile servitium non extenditur. Potest quis alterius effici servus dupliciter, 1mo. Voluntariè, ut si homo se ipsum vendat; & ex Necessitate, ratione nativitatis, ratione delicti, jure paterno, ut si pater ob ingruens famis periculum filium vendat, quod jus, utpotè odiosum, ad matrem non extenditur. Christiani servi esse possunt Infidelium. Nulli Christiano jam licet emere Christianum, *Tom.* 3. *Tract.* 5. *c.* 2. *Sect.* 1. *§.* 1. *n.* 64.

Olim multis modis servi libertatem consecuti sunt, ut per honorem mensæ, per epistolam, per manumissionem, per conversionem, per jus postliminii, cùm servus bello captus fugiebat, *ibid. n.* 65. Servi bellô etiam justô capti fugere possunt ad suos, non tamen Dominis persequentibus vi resistere, *ibid. n.* 67.

Servus seu Mancipium etsi in propriam vitam & membra dominium non habeant, sunt tamen dominii alicujus capaces, ac proinde domini esse possunt in eos injusti; nam servus est dominus propriæ famæ, bonorum spiritualium, & eorum temporalium, quæ ei à Domino concessa sunt, aut ea conditione, ut non acquirantur Domino; eorum etiam, quæ servo restituuntur pro injuria ei illata in illis, quæ non subjacent Domini potestati, ut in fama; item eorum, quæ servus de bonis suis ludô aut aliqua negotiatione sine præjudicio Domini acquisivit, *ibid. n.* 96.

Severus (Sulpitius) Quis? ejus Opera, *Tom.* 1. *Tract.* 4. *c.* 1. *§.* 2. *n.* 61.

Sextarius magnus cyphus duas heminas continens; Undè Sextarius dictus sit, & quotuplex fuerit, *Tom.* 1. *Tract.* 1. *part.* 1. *c.* 8. *n.* 144.

Siclus moneta apud Hebræos usitatissima, *Tom.* 1. *Tract.* 1. *part.* 1. *c.* 8. *n.* 129.

Anti-

Antiquitùs qui vel levissimè contra inviolabile Sacramentalis silentii pactum peccaverant Sacerdotes gradu excidebant, & perpetuò peregrinabantur: postmodùm Concilium Lateranense IV. locô perpetuæ peregrinationis, quæ jam non est in usu, eos usque ad finem vitæ pœnitentiam in Monasterio aliquo agere decrevit; quæ etiamnum servatur in foro Ecclesiastico. Præter has pœnas Canonicas autem gravissimis pœnis Magistratus Laici in hujusmodi sigilli confessionis violatores animadvertunt, *ibid.n.* 387.

Signatura. Signaturæ Apostolicæ circa diversa versantur, sive circa concessionem Beneficii, quod quis per supplicationem petierit; sive circa absolutionem, aut dispensationem, aut rehabilitationem, in favorem supplicantis. Signaturæ in papyro scribuntur, nec muniuntur sigillò, & ut plurimùm hisce verbis exprimuntur: *fiat ut petitur*, *Tom.* 3. *Tract.* 2. *part.* 2. *c.* 2. §. 2. *n.* 274.

Siliqua monetæ species apud Romanos usitata, *Tom.* 1. *Tract.* 1. *part.* 1. *c.* 8. *n.* 127

Simonia sic dicta est à Simone Mago, qui primus in Nova Lege obtulit pecuniam, ut dona Spiritûs Sancti emeret: hinc Sacrarum rerum venditores & emptores passim à SS. Patribus dicti sunt *Simonii*, & aliquando *Giezitæ* à Giezi Elisæi famulo, qui in Veteri Lege, quantùm in se fuit, sanitatis gratiam vendidit Naaman Syro, *Tom.* 3. *Tract.* 6. *part.* 3. *c.* 3. *Sect.* 2. §. 5. *n.* 481. Definitur communiter Simonia studiosa voluntas emendi vel vendendi pretiô temporali aliquid spirituale vel spirituali annexum, *ibid. n.* 482. Allata definitio strictè est juris divini Simoniæ, non Simoniæ juris Ecclesiastici saltem omnis; nam non convenit Simoniæ, quæ reperitur in permutationibus & resignationibus factis sine auctoritate Superioris citra temporale pretium: unde generatim omnis Simonia definiri potest Quævis pactio, datio, & acceptatio rei spiritualis vel spirituali annexæ lege prohibita ob reverentiam rei sacræ. Porrò id in spiritualibus est Simonia, quod in temporalibus est Usura; & sicut datur Usura palliata, ita & Simonia, *ibid. n.* 483.

Simonia dividitur 1mo. in eam, quæ est juris divini, & in eam, quæ est juris humani: prior est ea, quæ ideò prohibita est, quia ex naturo sua mala est; talis est emptio vel venditio etiam virtualis rei aut actionis sacræ: Simonia juris humani est pactio, aut commutatio, aut acceptio, quæ ex natura sua non habet malitiam Simoniæ, sed solùm ex prohibitione Ecclesiæ facta ex motivo Religionis seu intuitu reverentiæ erga res sacras, *ibid. n.* 484. 2do. in Mentalem, Conventionalem, Realem, & Confidentialem. *Mentalis* alia est purè Mentalis, quæ est nudum propositum committendi Simoniam, atque in sola voluntate consistit; alia verò non purè mentalis, quæ meliùs diceretur *occulta* quàm *mentalis*, estque actio externa facta ex intentione Simoniaca exteriùs non apparente, sive est datio vel acceptio rei spiritualis pro temporali, vel temporalis pro spirituali, nullo interveniente pacto etiam tacito; ut si quis serviat Episcopo hac intentione, ut pro obsequio temporali ei procuret Beneficium, nulla tamen verbis aut nutibus facta conventione, *ib. n.* 485. Simonia *conventionalis* est venditio vel emptio rei spiritualis &c. cum pacto tacito vel expresso sed nondum tamen executioni mandata saltem ab utraque parte: Si conventio solùm peracta sit, nihilque prorsùs traditum aut receptum,

(m m) 2 Si-

Simonia hæc dicitur *purè Conventionalis*; si verò ex una parte aliquid datum sit, putà si traditum sit pretium temporale, sed nondum tradita res spiritualis; aut contrà, si res spiritualis tradita sit, nondum traditô pretiô temporali, dicitur Simonia *conventionalis mixta*, seu *semi-realis*, *ibid. n.* 486. Simonia realis est pactum pretii temporalis utrimque completum saltem ex parte, ut si datum sit Beneficium pro centum nummis, sive ex toto sive saltem ex parte, persolutis: imò censeretur Simoniam complevisse, qui licèt nullam pecuniæ partem solvisset, instrumentum aut chyrographum tradidisset, quo se ad eam solvendam obstringeret, etiamsi nec animum nec intentionem haberet posteà solvendi, *ibid. n.* 487. Simonia *confidentialis* seu *confidentiæ*, quæ eadem esse videtur ac Simonia conventionalis mixta, fit, cùm quis alteri Beneficium procurat eligendo, præstando, postulando, resignando, commendatione, vel alia ratione, cum confidentia, hoc est, cum pacto expresso vel tacito, ut is, cui procuratur, illud aliquando resignet procuranti vel alteri, aut ut pensionem vel fructus aliquos ex eo præstet. Quatuor modis committitur, 1mo. per *accessum*, cùm Prælatus volens tibi per ætatem incapaci procurare Beneficium, illud confert alteri ea conditione, ut quamprimùm capax fueris, illud accipias, 2do. per *ingressum*, ut cùm quis Beneficium sibi collatum, ante captam ejus possessionem, alteri resignat eo pacto, ut illud posteà ingrediatur, si iste moriatur, vel illud dimissurus sit, 3tio. per *regressum*, cùm quis Beneficium à se possessum alteri resignat ea conditione, ut iste sibi vel alteri idem Beneficium resignaturus sit convenienti tempore, 4to. si præsentans, resignans, conferens, &c. paciscatur expresse vel tacitè, ut pensio vel pars fructuum Beneficii sibi vel alteri detur. Porrò ad hanc Simoniam requiritur, ut accessus, ingressus, & regressus sint in idem Beneficium: hinc, qui resignat Beneficium alteri ea lege, ut hic aliud, quod possidet, dimissurus sit in favorem tertii, non est reus Simoniæ confidentialis, sed conventionalis, vel realis, *ibid. n.* 488. Ea ut Simoniaca prohibentur jure divino naturali & positivo, quæ, cùm sint spiritualia vel spiritualibus annexa commutantur pro temporali, ut 1mo. dare vel accipere temporale pro virtutibus supernaturalibus, donis Spiritûs Sancti, Sacramentis, Reliquiis sacris, quavis potestate spirituali sive Ordinis sive Jurisdictionis ejusve actu, Prælaturâ Religiosorum, jure eligendi, usu gratiarum gratis datarum, precibus, Officiis divinis, Missâ, concione, quavis functione spirituali, &c. 2do. Dare vel accipere temporale pro Beneficio Ecclesiastico etiam simplici, & solùm quoad jus percipiendi fructus temporales. 3tio. Omnis transactio in Beneficiis vel aliis rebus spiritualibus factâ compensatione cum re propriè temporali; nam tunc spirituale commutatur cum temporali. 4to. Dare vel exigere temporale non solùm pro receptione seu admissione ad Religionem, sed etiam pro sustentatione ingredientis Religionē, quando bona Monasterii sufficiunt. 5to. Vendere jus patronatûs. 6to. Est etiam Simonia juris divini post collatum spirituale vel spirituali annexum, & nullo præcedente pacto, dare vel exigere aliquid temporale tanquam debitum vel ut pretium aut mercedem vel compensationem, *ibid. n.* 489.

Simonia juris humani committitur, & est 1mo. Permutatio Beneficiorum sine auctoritate Prælati, nullo etiam pretio interveniente: item Resignatio extra Curiam Romanam in favorem certæ personæ; & Resignatio cum pacto, ut Re-

Resignatarius suum Beneficium cedat tertio, vel cum confidentia accessûs aut regressûs. 2do. Venditio Officiorum Sacristæ, Oeconomi, Defensoris, Advocati, Procuratoris Ecclesiæ, &c. 3tio. Acceptio munerum etsi modicorum sponte ac gratis oblatorum ex occasione examinis ad Parochiam; item ex occasione collationis Ordinum, Tonsuræ, Litterarum dimissoriarum aut testimonialium, *ibid. n.* 490. Permutatio tamen rerum spiritualium inter se Simoniaca non est, si illæ non habeant annexum aliquod temporale commodum, & nullum interveniat pretium, *ibid. n.* 491.

Simonia est peccatum inter gravia gravissimum, *ibid. n.* 492. Nec in ea datur parvitas materiæ, qua peccatum veniale effici possit, *ibid. n.* 493.

Neque etiam à gravi Simoniæ peccato immunis est, qui, prout Sæculô præteritô malè sani quidam Theologastri tueri ausi sunt, dat aut accipit temporale, non quidem, ut ajebant, tanquam pretium rei spiritualis, sed solùm tanquam motivum ejusdem rei spiritualis obtinendæ, *ibid. n.* 494. Igitur Simoniæ reus est, qui Magnatis aut Ministri domum ingreditur principaliter, ut Beneficium obtineat; Qui consanguineo præbendam confert, ut magnificetur per hoc & nobilitetur domus sua, &c. item qui dat Beneficium Ecclesiasticum alicui hoc pacto vel intentione, ut exindè suis consanguineis provideat aut certam pauperibus summam eroget; id etiam dicendum de iis, qui Tonsuram Ordinesve suscipiunt, ut Beneficium consequantur, ii enim Simoniam committunt saltem mentalem; item Clericus, qui vadit ad Ecclesiam principaliter propter retributiones, quas recipit, tanquam finem sui operis, committit Simoniam; imò reus est Simoniæ is, qui in aliqua Diœcesi exercet functiones, ut Canonicatum aut aliquam dignitatem assequi possit; Porrò hæ propositiones, quas aliqui approbant, scilicet *Memor ero beneficii quod mihi confers, ero gratus, suo tempore gratias agam*, sunt plenæ periculi, & ab iis penitus abstinendum est, *ibid. n.* 495. Simoniæ causæ duæ generatim recensentur, *efficiens* scilicet & *materialis*: causa efficiens est subjectum committendæ Simoniæ capax, qui scilicet dat & accipit temporale pro spirituali, quod facere possunt omnes cujuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, vel præeminentiæ; item eorum Mediatores, *ibid. n.* 495.

Causa materialis Simoniæ duplex est, *proxima* scilicet & *remota*: prior est venditio & emtio; altera est pretium, quo emitur, vel ipsa res spiritualis quæ emitur; & hæc rursùs vel ex rei natura, vel solùm ob Ecclesiæ prohibitionem vendi aut commutari non potest, *ibid. n.* 496.

Venditione & emptione, quæ est materia proxima Simoniæ, intelligitur quilibet contractus sive nominatus, sive innominatus, quo datur aliquid temporale, ut vicissim detur spirituale. In hac autem materia dat temporale is, qui ipsum remittit, & dat spirituale is, qui spirituali renuntiat, undè accedente pacto Simoniacus est. Attamen non toties committitur Simonia, quoties occasione spiritualis datur vel accipitur temporale; sex enim recensentur tituli, qui in hocce casu à labe Simoniaca excusant, scilicet liberalitas seu gratitudo, stipendium & debita sustentatio, labor, omissio commodi temporalis, quo quis se privat faciendo opus spirituale, consuetudo legitima, & redemtio iniquæ vexationis, *ibid. n.* 497. Igitur

De-

De altera remota scilicet Simoniæ materia, spiritualibus nempè rebus, ut de Simonia in Sacramentis & Sacramentalibus, rebus scilicet religioso cultui consecratis, necnon ritu, quo res sacra efficitur, eadem animadvertenda sunt ac de Simoniæ materia proxima, *ibid.* Circa illas pœnas, quas contra Simoniacos decrevit Ecclesia, supponendum, quòd nulla Simonia quantumvis completa & realis inducat ipso facto pœnas in Jure contentas, præter eam, quæ committitur vel in Ordinatione, vel in Religionis ingressu aut professione, aut in Beneficio, quo nomine comprehenduntur etiam Officia quælibet jurisdictionem spiritualem habentia, ut Provincialatus, Prioratus, Guardianatus, &c. *ibid. n.* 505.

Licèt quælibet Simonia, etiam mentalis, sit grave crimen, tamen nulla pœna juris contrahitur ob Simoniam mentalem, quæ absque externo pacto expresso vel tacito admittitur. Neque etiam ob Simoniam purè conventionalem, excepta confidentiali; imò nec ob mixtam seu semi-realem, quando non fuit tradita res spiritualis, sed solum pretium seu res temporalis, *ibid. n.* 506.

Aliqui Theologi docent pœnas Canonicas contrahi, si traditum sit Beneficium vel alia res spiritualis, licèt pretium promissum nulla ex parte fuerit solutum, *ibid. n.* 507. Alii, & quidem communiùs, docent solam Simoniam realem utrimque completam traditione scilicet rei spiritualis simul & pretii aut partis pretii inducere pœnas juris Ecclesiastici, *ibid. n.* 508.

Triplex est pœnarum, quas Simoniacis infligunt canones, genus: 1ma. est pœna Censuræ; 2da. est invaliditas actûs Simoniacè facti; 3tia. est restituendi obligatio. Igitur 1mo. pœnæ Simoniacorum in Beneficiis & Officiis Spiritualibus sunt excommunicatio Papæ reservata; 2do. omnis Simoniaca electio, præsentatio, resignatio, provisio, collatio irrita est, nullumque jus tribuit. Porrò juxta varios ignoranti Simoniam non favet regula Cancellariæ de triennali possessione ad præscriptionem; quia expressè exigitur possessio *absque Simoniaco ingressu*: Sed multi alii docent eum, qui mediante tertii Simoniâ Beneficium accepit, posse illud retinere, si integrô trienniò hanc Simoniam ignorârit; quia illa verba *absque Simoniaco ingressu* videntur in rigore requirere, ut Simonia se teneat ex parte ingredientis Beneficium. 3tio. Simoniacè electus vel provisus fit ipso facto inhabilis ad idem Beneficium, nec potest illud ex Episcopi dispensatione obtinere, nisi sit Beneficium simplex, & ipso electo ignorante nec ratum habente Simonia commissa sit; tunc enim post puram resignationem potest Episcopus dispensare; imò ex Bulla Pii V. Simoniacus fit etiam inhabilis ad quascunque alias dignitates & quæcunque alia Beneficia obtinenda, *ibid. n.* 509. Has quoque pœnas ex communi incurrunt etiam ii, qui propria auctoritate permutant Beneficia: item Simonia realis in Prælaturis Regularium, ut sunt Abbatis, Prioris, Guardiani, Rectoris, Provincialis, &c. inducit nullitatem actûs, obligationem dimittendi Superioris munus, & excommunicationem Papæ reservatam, *ibid. n.* 510.

Pœnæ Simoniæ confidentialis sunt 1mo. Excommunicatio Papæ reservata contra utrumque contrahentem, si sint inferiores Episcopis; nam hi incurrunt solùm interdictum ab ingressu Ecclesiæ; 2do. privatio Beneficii per confidentiam obtenti, & quidem ante omnem sententiam; 3tio. inhabilitas ad idem Beneficium & alia acquirenda; 4to. privatio Bene-

ibid. n. 43. Quinam Dei simplicitatem oppugnaverint, *ibid. n.* 44. (Vid. *Deus*)

Simulatio est significatio per factum, gestum, vel nutum contra mentem. Est verè & propriè mendacium in facto; nam mendacium est locutio contra mentem: per locutionem autem intelligitur actuum internorum significatio per quævis signa mentis significativa, sive sint verba sive facta, gestus, nutus, sive scriptura, *Tom.* 3. *Tract.* 5. *c.* 4. *n.* 466. (Vid. *Mendacium, Actus Fidei*)

Sobrietas est virtus moralis, quæ appetitum & usum potionis vim inebriandi habentis moderatur juxta rectam rationem, *supple*, & Legem divinam, *Tom.* 3. *Tract.* 5. *n.* 11.

Societas seu *Contractus Societatis* definitur conventio duorum vel plurium contribuendi ad commune lucrum & damnum secundùm proportionem rerum contribuendarum, *Tom.* 3. *Tract.* 5. *c.* 3. *Sect.* 2. §. 4. *n.* 364.

Dividitur hic contractus in *purum*, qui est contractus aliis contractibus non admixtus; & *non purum*, cui admixti sunt alii contractus, ut pignoris pro securitate capitalis in societatem dati; assecurationis, quo conferens operas assecurat sortem capitalem; & emptionis, quo assecurans emit lucrum incertum, *ibid. n.* 365.

Contractus Societatis purus est licitus, *ibid. n.* 366. Ut & contractus societatis cum contractu pignoris, *ibid. n.* 367. atque etiam ille, cui additur contractus emtionis lucri incerti majoris pro minore certo, *ibid. n.* 368. At illicitus est contractus Societatis, si eo tempore, quo celebratur alter è sociis assecuret capitale, & lucrum incertum emat certô lucrô minori: Contractus iste vocatur triplex, eò quòd tres in eo reperiantur contractus, societatis videlicet, Assecurationis, & Emtionis, *ibid. n.* 369. An verò initô jam societatis contractu possint socii inter se de securitate sortis & lucri pacisci, lis est inter Theologos; alii affirmant, negant alii; omnes tamē consentiunt licitè posse assecurari sortem capitalem per alium tertium, qui non sit de societate, *ibid. n.* 370.

Sic dividenda est societas 1mo. æstimandus est valor sortis; 2do. ratio est habenda periculi, cui exponitur vel sors ipsa vel qui præstat operas; 3tio. æstimanda sunt industria, labor, & impensæ ejus, qui confert operas, *ibid. n.* 371.

Sodomia (Vid. *Luxuria*)

Somnia. Divinatio per somnia (Vid. *Sortes*, seu *Sors*)

Solemnitas. Solemnitates sunt quidam ritus seu conditiones, quæ secundùm Leges in contractibùs aut aliis actibus adhiberi solent, *Tom.* 3. *Tract.* 5. *c.* 2. *Sect.* 2. *c.* 4. n. 229. Solemnitas voti in quo essentialiter consistat (Vid. *Votum*)

Sophonias Propheta, Quis? & quando floruerit, *Tom.* 1. *Tract.* 1. *part.* 2. *Sect.* 1. *c.* 4. *n.* 543. Ejus Prophetia quid contineat, *ibid. n.* 544.

Sors secundùm acceptionem & usum nominis significat hæreditatem, quæ licèt ad unum tota perveniat, id tamen fit sorte, non electione; quia hæredes ut plurimùm nascuntur, non fiunt; nemo enim unquam laboravit aut operam dedit, ut filius divitis nasceretur.

Sortis nomen in hac acceptione apprimè convenit Ministris Ecclesiæ 1mo. quia sunt præclara & selecta Domini por-

est bonitas divina sive in se ipsa consideretur, sive prout est creaturæ rationalis beatitudo, modò tanquam absens & possidenda consideretur, *ibid. n.* 136. Objectum verò illius formale *quo* est promissio divina, *ibid. n.* 137.

Nomine subjecti Spei intelliguntur creaturæ, in quibus Spes reperitur, *ibid. n.* 138. In Beatis non reperitur, *ibid. n.* 139. nec in damnatis, *ibid. n.* 140. benè autem in animabus in purgatorio detentis, *ibid. n.* 142. Spes non habet locum in Hæreticis, *ibid. n.* 143. benè autem in impio fideli, *ibid. n.* 144. & in omnibus justis viatoribus, *ibid. n.* 145. Solv. ob. *ibid. n.* 146. *& seq.*

Spes Theologica est certa ratione sui, incerta verò respectu nostrî; simpliciter tamen & absolutè certa dici debet, *ibid. n.* 149. *& seq.*

Actus Spei est adultis necessarius ad salutem necessitate medii, & certis quibusdam temporibus necessitate præcepti, *ibid. n.* 152. *& seq.* Solv. ob. *ibid. n.* 155.

Spes Theologica, nisi mortua sit, hæc quatuor potissimùm præstat, suntque ipsius effectus, 1mo. sperantem reddit bonis operibus intentum & solertem; 2do. eum firmat in adversis; 3tio. fugat timorem mundanum; 4to. injicit timorem Dei, *ibid. c.* 5. *n.* 157. *& seq.*

Spectacula & Ludi theatrales histronici & comici ab Ecclesia severè prohibentur velut illiciti, hujusque histronicæ & comicæ artis professores excludit tùm à perceptione Sacramentorum, tùm à sepultura Ecclesiastica, si in ea usque ad mortem permanserint.

Duplici ex capite peccant ii, qui ad illa spectacula conveniunt, 1mo. quia peccandi periculo se exponunt; 2do. quia participes sunt ludi exitialis, & ab Ecclesia prohibiti, *Tom.* 3. *Tract.* 5. *c.* 3. *Sect.* 2. *§.* 10. *n.* 417.

Spiritus privatus cujuscunque valere non potest ad definiendum, quinam sint S. Scripturæ libri Canonici, & quisnam quoque sit illius genuinus ac verus sensus, *Tom.* 1. *Tract.* 1. *part* 1. *c.* 5. *n.* 56. & *c.* 6. *n.* 75. nec proindè ad definiendas fidei controversias valet, *ibid. Tract.* 3. *c.* 3. *§.* 2. *n.* 236.

Spiritus sanctus est verè Deus Patri & Filio consubstantialis, *Tom.* 2. *Tract.* 1. *part.* 2. *c.* 1. *§.* 2. *n.* 325. Solv. ob. *ibid. n.* 354. *& seq.* (Vid. *Trinitas*)

Sponsalia. Sponsaliorum nomen dicitur à verbo *Spondeo*, quia in Sponsalibus fit promissio de futuro Matrimonio. Aliquando usurpantur pro Matrimonio rato necdum consummato, quo sensu B. Virgo, quamvis Matrimoniô juncta cum Joseph, dicitur ipsi desponsata, *Luc.* 1. *v.* 27. quia ab ipso cognita non fuerat nec erat cognoscenda: hinc Sponsalia apud Scriptores duplicis generis leguntur; alia scilicet de præsenti, quia eo ipso, quo alter conjux actu tribuit alteri jus in proprium corpus, promittit se cum eo socialiter victurum; alia de futuro, in quibus nulla fit actualis donatio, sed nuda promissio dumtaxat: verùm usus jam obtinuit, ut nomine Sponsaliùm simpliciter intelligatur promissio de futuro Matrimonio, *Tom.*4. *Tract.* 8. *part.* 1. *n.* 6. & sic sumta Sponsalia definiuntur Futuri Matrimonii mutua & libera promissio obligationem pariens, *ibid. c.* 1. *n.* 7.

Duobus generatim modis contrahi possunt Sponsalia, absolutè scilicet, & conditionatè: absolutè & purè contra-

stina

ftina facta fcilicet fine præfentia Parochi & teftium nulla effe declaravit, *ibid. n.* 18.

Decem modis diffolvi poffunt Sponfalia his duobus verfibus comprehenfis :

Diffenfus, crimen, fuga, tempus, & Ordo, fecundo,

Morbus, & affinis, vox publica, cumque reclamant.

1mò. *Diffenfus mutuus* ad futurū Matrimonium, feu ad diffolutionem Sponfalium; ad quem nulla requiritur folemnitas aut Judicis auctoritas, fed fufficit mutuus contrahentium confenfus, modò fint puberes; impuberes enim à Sponfalibus refilire nequeunt, *ibid. c.* 5. *n.* 19. 2do. *Crimen;* fi poft Sponfalia unus fornicetur, fi tamen innocens refilire nolit, ftat vis & obligatio Sponfalium : id ad fornicationem fpiritualem, putà hærefim & infidelitatem, extendit S. Antoninus : item fi fponfa poft fponfalia vi oppreffa fuerit : denique fi fponfus poft Sponfalia detegat fponfam fuiffe priùs fornicatam, *ibid. n.* 20. 3tio. *Fuga*, fi nempè fponfus alteruter diu abfuerit absque confenfu alterius. Jure Civili ftatuitur, ut, fi fponfus intra provinciam abfuerit, per biennium expectetur, fi verò extra provinciam, abfuerit, per triennium, *ibid. n.* 21. 4to. *Tempus*, fi nempè elapfum fuerit tempus Matrimonio celebrando præfixum, *ibid. n.* 22. 5to. *Ordo.* Per fufceptionem Sacrorum Ordinum, & per votum ingrediendi Religionem, modò fecuta non fuerit copula carnalis, uno Religionem ingreffo poteft alter feu altera alia Sponfalia & Matrimonium contrahere, non expectata Novitii profeffione, quòd fi verò expectet, & alter è Novitiatu difcedat, tenetur ifte Matrimonium contrahere cum parte id exigente : per votum autem fimplex perpetuæ continentiæ in fæculo fervandæ poft contracta Sponfalia emiffum non videntur dirimi Sponfalia, *ibid. n.* 23. 6to. *Secundo*, id eft, per fubfequens Matrimonium cum alia perfona contractum, *ibid. n.* 24. 7mo. *Morbus* fuperveniens, aut gravis infirmitas vel deformitas, *ibid. n.* 25. 8vo. *Affinis*, fcilicet per affinitatem five carnalem five fpiritualem poft Sponfalia accedentem, *ibid. n.* 26. 9no. *Vox publica*, id eft, fi per famam publicam notabile vitium alterutrius priùs incognitum detegatur, vel etiam innotefcat inter fponfum & fponfam effe impedimentum, *ibid. n.* 27. 10mo. *Cùm reclamant*, fcilicet cùm adversùs pacta fponfalia reclamant, qui ea ante pubertatis annos inierant : pariter fi non adimpleatur aliqua conditio, fub qua Sponfalia inita fuêre; vel cùm cognofcitur, quæ anteà latebat, fponfi aut fponfæ indoles difficilis ac morofa; item fi fuperveniant graves inimicitiæ inter utramque fponforum familiam, *ibid. n.* 128.

Ut ratum firmumque fit Matrimonium non eft neceffe, ut ei Sponfalia præmittantur, quamvis id pium & laudabile fit, *ibid. c.* 6. *n.* 129. Matrimonio tamen præmitti folent proclamationes feu publicæ denuntiationes, quæ quia mutuam de futuro Matrimonio duarum utriusque fexus perfonarum promiffionem fupponunt, Sponfalium Denuntiationes vocantur, feu *Banna* à Germanica voce *Ban*, quæ edictum feu publicam proclamationem fignificat : Proclamatio hìc ergo eft publica denuntiatio feu declaratio Matrimonii futuri inter tales perfonas : earum origo repetitur à perantiqua Ecclefiæ confuetudine. Sunt neceffariæ neceffitate præcepti,

non

Sub-

Subdiaconi munia quinque recensentur, 1mo. Calicem & patenam in usum Sacrificii Diacono offert, ponitque in altari; 2do. Sacerdoti sacra facienti aquam fundit ad extremitates digitorum abluendas in signum summæ munditiei in Sacrificio requisitæ; 3tio. Oblationes à populo suscipit, & ex iis, quantùm satis est ad astantium communionem, in altari ponit: verùm hoc non est ampliùs in usu; 4to. Legit Epistolam; 5to. Pallas Altaris, Corporalia, & Purificatoria abluit; *ibid. n.* 111. Quanti sint momenti ejusmodi ministeria, quantamque in Subdiacono perfectionem exigant, pluribus ex capitibus colligitur, *ibid. n.* 112.

Subdiaconatum esse Sacramentum affirmat S. Thomas & plures alii; negant alii, ita, ut hæc sententia negans videatur evasisse communior, *ibid.* §. 10. *n.* 164. *& seq.*

Subjectum Fidei. Per illud intelliguntur creaturæ rationales in quibus fides reperitur, *Tom.* 3. *Tract.* 3. *part* 1. *c.* 4. *n.* 8. (Vid. *Fides*) Subjectum Spei (Vid. *Spes*) Subjectum Charitatis (Vid. *Charitas*)

Subreptio (Vid. *Dispensatio*)

Subsistentia sumitur 1mo. pro ea substantiæ modificatione, qua fit, ut Substantia sit ens per se subsistens distinctum ab accidente, quod per se non subsistit, sed indiget subjectô, cui inhæreat; 2do. pro rei totalitate, si abstractè; vel pro toto, si concretè accipiatur; 3tio. communi ac recepto apud Theologos usu Subsistentia significat modum seu formam quamdam, quæ naturam ultimatò complet ac terminat, eamque reddit alteri tanquam supposito incommunicabilem, *Tom.* 2. *Tract.* 1. *part.* 2. *c.* 4. §. 1. Controversia est inter Theologos, quod in Deo sint Subsistentiæ, an scilicet una sola, eaque absoluta; an tres relativæ nulla absoluta; an verò tres relativæ & una absoluta, adeoque quatuor omninò? *ibid. n.* 420. videtur autem, quòd in Deo sint tres subsistentiæ relativæ dumtaxat nulla communis & absoluta, *ibid. n.* 421. *&* 422. Solv. ob. *ibid. n.* 423. *& seq.*

Cùm in mysterio Incarnationis substantia seu natura humana propriâ careat subsistentiâ, atque per Verbi divini subsistentiam dumtaxat subsistat, quærunt Theologi, qua ratione subsistentia à natura distinguatur: verùm videtur, quòd subsistentia virtualiter tantùm à substantia distinguatur, quatenùs scilicet hæc sine illa concipi & aliam nobiliorem connotare & sic connotando desinere esse sui juris, *ibid. Tract.* 3. *c.* 5. §. 8. *n.* 242.

Superbia est animi elata inflatio se omnibus præcellere & omnia sibi debere censentis, seu breviùs, est inordinata cupiditas propriæ excellentiæ & celsitudinis, vel inordinatus appetitus supra alios excellendi, *Tom.* 3. *Tract.* 6. *part.* 3. *c.* 1. §. 1. *n.* 256. Ejus actus sunt inordinatè se ipsum æstimare; finem suum ultimum in propria excellentia ponere; ab aliis velle magni fieri &c. judicio proprio pertinaciter adhærere; alios parvi facere & aliena contemnere &c. si putes te habere bona, quæ non habes &c. si bona tua æstimes quasi ex te & non à Deo habeas; si bona tua accepta quidem à Deo credas, sed ea æstimes tanquam meritis propriis debita, vel ea ad Dei gloriam non referas, &c. nolle subjicere suis Superioribus quasi id indignum sit; nolle etiam se Deo ejusque præceptis submittere, id æstimans tanquam contrarium dignitati suæ &c. *ibid. n.* 257.

Ex genere suo est peccatum mortale, veniale autem solummodò, si sit imperfecta, qua scilicet quis sine Dei & aliorum

Ex parte objecti, quod colitur seu Numinis falsi generatim triplex est superstitionis species, nimirùm Idololatria, Divinatio, & Vana Observantia, ad quam revocantur Maleficium & Magia, de quibus Vid. suis articulis, *ibid. n.* 407.

Circa omnia Superstitionis genera & species hæc observanda est regula: dùm aliqua fiunt ad eos effectus habendos, ad quos neque naturaliter valent, neque ex Dei aut Ecclesiæ institutione sunt ordinata, procul dubio sunt superstitiosa, adeoque in quacunque materia peccatum mortale ob expressum vel tacitum, quod continent, cum Dæmone commercium: attamen arbitrantur Theologi rusticos, mulierculas, personas simplices, aliquando excusari per bonam fidem, inadvertentiam, & similia: nec condemnandi sunt, qui proferunt verba S. Scripturæ v. g. aut gestant reliquias, vel recitant quasdam preces, quæ nec falsum, nec vanum continent, ad obtinendum aliquid à Deo, si id saluti eorum expedire judicaverit, non tribuendo illis vim certam & absolutè infallibilem; hoc enim pium ac bonum est, modò nullâ vanâ circumstantiâ contaminetur pium istud exercitium, *ibid* §. 3. *n.* 422.

Suspensio est Censura, quâ Clerico prohibetur usus seu exercitium Ordinis, vel Officii, vel Beneficii, *Tom.* 4. *Tract.* 7. *part.* 2. *c.* 3. §. 3. *n.* 254.

Suspensio alia est totalis alia partialis: Qui totaliter suspensus est, nulla Beneficii, vel Jurisdictionis, vel Ordinis munia potest exercere; qui autem ex parte tantùm est suspensus ea exercere potest à quibus non est suspensus: item qui suspensus est ab Ordine superiore non intelligitur suspensus ab inferiore. Est etiam suspensio ad tempus, & suspensio ad perpetuum: qui ad tempus suspenditur, elapso tempore & servata aliunde suspensione, sine ulla dispensatione redit ad gradum, à quo suspensus erat; si autem suspensionem non servet, peccat graviter & fit irregularis, &c. *ibid. n.* 255.

Clerici propter gravia delicta ab Officio & muniis suspendi possunt, atque etiam à fructibus Beneficii percipiendis, si hoc ultimum in suspensione exprimatur. Potest Clericus aliquando suspensionem incurrere propter alienam dumtaxat culpam non suam; cùm enim id expedire judicat Superior. Episcopi in suspensionem ipso jure latam & ipso facto incurrendam non cadunt, nisi in Constitutione, quæ talem Censuram pronuntiavit, expressa eorum fiat mentio. Suspensio ferri potest non tantùm contra privatos, sed etiam contra communitates. Clericus, qui in sua Diœcesi à functionibus sui Ordinis est suspensus, non potest eas in alia Diœcesi, ad quam divertit, exercere: taliter suspensum à sua Diœcesi discedentem, si suspensio ab homine lata sit, solus Episcopus, à cujus Diœcesi discessit & à quo suspensus fuit, absolvere potest; si verò suspensio à Jure lata sit, tunc talis potest ab illo Episcopo absolvi, in cujus Diœcesi domicilium fixit. Clericus suspensus potest Sacramenta recipere; item validè, licèt illicitè & cum peccato, potest Sacerdos suspensus ea Sacramenta administrare, quæ à potestate jurisdictionis non pendent, imò etiam ea, quæ à jurisdictione pendent, si toleratus & non denuntiatus sit, *ibid. n.* 256.

Casus, in quibus Suspensio in nostra Argentinensi Diœcesi incurri potest, sunt 1mo. Suspensionem reservatam ipso facto incurrunt, qui absque licentia Episcopi scienter absolvunt pœnitentem aliquem ab hæresi extra mortis periculum; 2do. Qui absque ejusdem licentia scienter absolvunt pœnitentem à censuris & ca-

de

de ejus probitate dubium, *ibid. n.* 709. Dubia autem de rebus, putà an contractus talis sit licitus necne, non sunt in meliorem partem interpretanda, sed suis momentis æstimanda, *ibid. n.* 710.

Cæterùm cùm agitur de damno vitando vel remedio adhibendo, dùm non constat de probitate proximi, licet sibi & aliis consulere, & eam cautionem adhibere, quam prudentia dictaret adhibendam, supposito, quòd esset malus, non tamen de eo malè judicando aut suspicando, *ibid. n.* 711.

Susurratio est alienæ famæ occulta læsio, *Tom.* 3. *Append. ad Tract.* 5. *part.* 2. *c.* 3. *§.* 1. *n.* 660. seu est sermo; quo sine justa causa refertur alicui de alio aliquid aptum ad dissolvendam ejus amicitiam cum illo. Est species Detractionis & mortalis, licèt fiat sine intentione dissolvendi hujusmodi amicitiam; undè susurro tenetur restituere, in quantum potest, amicitiam injustè ab ipso ablatam & alia damna indè secuta, *ibid. Tract.* 6. *part.* 3. *c.* 1. *§.* 6. *n.* 321. (Vid. *Detractio*, *Invidia*)

Sylvæ. Potest Respublica sive Princeps prohibere lignationem in sylvis ad urbem, communitatem, aut Rempublicam pertinentibus; quia id aliquando expedit bono publico, *Tom.* 3. *Tract.* 5. *c.* 2. *Sect.* 1. *§.* 3. *n.* 125.

Pauperes, qui ligna cadunt in sylvis privatorum, si Domini consentiant, non peccant, nec tenentur ad restitutionem, secùs si iis invitis id faciant, nisi sint in extrema necessitate, *ibid. n.* 126. Si verò inutilia tantùm ligna, etiam invitô Dominô, sine illius damno tamé, colligant non tenentur ad restitutionem, *ibid. n.* 127.

Symbolum secundùm vim nominis Græci est collectio seu collatio multorum ad opus aliquod: sumitur etiam pro signo vel tessera militari, qua veri milites ab aliis discernuntur. Apud Scriptores Ecclesiasticos Symbolum in utraque significatione accipitur, *Tom.* 3. *Tract.* 3. *part.* 1. *c.* 2. *Sect.* 1. *§.* 3. *n.* 19.

Quatuor præcipua numerantur Fidei Christianæ & Catholicæ Symbola, scilicet Apostolicum seu Apostolorum, Nicænum, Constantinopolitanum, & S. Athanasii seu Athanasianum, *ibid. n.* 20.

An & qua ratione Apostoli sint Auctores Symboli, quod Apostolorum nuncupatur, *ibid. n.* 21. & 22. Illud sine ulla additione aut detractione Ecclesia Romana semper servavit; Orientalis verò & Aquilejensis aliquot minutiarum Syllabarum discrimine illud Sæculô IV. recitabat, *ibid. n.* 24. Ab ipsius nascentis Ecclesiæ exordio in usu ubique fuit, pauculis vocibus exceptis ubique etiam eodem modo à Fidelibus recitatum fuit: nusquam in Conciliis aut Romanorum Pontificum decretis prima illius institutio reperitur: non tamen inter sacras Scripturas numerandum est, *ibid. n.* 24. Singuli illius articuli explicantur in Tract. de Doct. Chr. c. 2.

Secundum Fidei &c. Symbolum Nicænum nuncupatur; quia in Nicæno Concilio editum fuit contra Arium, *ibid. n.* 25. Illud, statim ac editum fuit, omnes Græcorum Ecclesiæ in usu quotidiano assumserunt, *ibid. n.* 26. At Latini solum, ut priùs, Symbolum Apostolorum in usu quotidiano retinuerunt; cur hoc, *ibid. n.* 27. Articuli Symboli Nicæni recensentur & exponuntur, *ibid. n.* 28. & *seq.*

Tertium Fidei &c. Symbolum est Constantinopolitanum, sic dictum, quòd editum fuerit in Concilio Constantinopolitano I. præcipuè contra Macedonia-

ta conditio, *Tom.* 3. *Tract.* 5. *c.* 2. *Sect.* 1. §. 3. *n.* 161.

Res mobiles alicujus privati, vel etiam cujusvis Ecclesiæ cum titulo per possessionem triennalem bona fide continuatam præscribuntur; sine titulo autem triginta annorum spatiô, *ibid. n.* 161. Res verò immobiles privatorum inter præsentes decenniô, inter absentes autem viginti annis cùm titulo præscribuntur: si desit titulus inter præsentes requiritur possessio triginta annorum, inter absentes quadraginta. Ad præscribendum contra Ecclesiam à Romana distinctam requiruntur quadraginta anni: adversùs Ecclesiam Romanam immediatè centum. Ad Ecclesias revocantur Hospitalia, Monasteria, & quæcunque loca, quæ habent bona ad pias causas relicta; imò ex privilegio Eugenii IV. adversùs Monasteria Benedictina nonnisi sexaginta annorum spatiô præscribi potest, *ibid. n.* 162. Majus requiritur tempus, quando præscriptio dormit vel interrumpitur. Inter tempus, quo dormire dicitur præscriptio, & illud, quo interrumpitur, hoc est discrimen, quòd in priori casu continuentur priores anni cum posterioribus dormientis præscriptionis, licèt non numerentur anni, quibus ipsa dormit: at si interrupta fuerit præscriptio, non continuatur; si tamen Actor non prosequatur rem, præscriptio non interrumpitur, quia qui litem spontè deserit, censetur ejus injustitiam agnovisse, *ibid. n.* 163. (Vid. *Præscriptio*)

Tentatio Dei. Tentationis nomen hîc non sumitur pro inductione ad peccatum, sed prout circa experimentum aliquod capiendum versatur. Igitur Tentatio Dei definitur dictum vel factum vel omissio ad capiendum experimentum divinæ alicujus perfectionis, ut potentiæ, bonitatis, &c. per extraordinarium effectum à Deo temerè expectatum. Id fieri potest dupliciter; 1mo. expressè, ut fuere olim illæ probationes innocentiæ, quæ fiebant candenti ferrô, aut aqua fervente, aut duellô; 2do. implicitè, cùm quis ad finem obtinendum ordinariis mediis non utitur: sic Deum tentant, qui remediis uti nolunt ad sanitatem, cibo & potu ad vitæ conservationem, &c. Tentatio Dei est grave peccatum: fieri tamen potest ut non sit nisi veniale, ut si quis nec intendat nec advertat seu cogitet actionem suam ad Dei tentationem pertinere; imò contingere potest, ut Deus sine peccato tentetur, ut cùm Genes. c. 15. Abraham dicebat ad Deum, *Domine . . . undè scire possum, quòd possessurus sim* terram Chanaan? & cùm necessitas urget, nec aliud suppetit medium, modò id fiat cum humilitate, resque tota divinæ voluntati permittatur, &c. *Tom.* 3. *Tract.* 6. *part.* 3. *c.* 3. *Sect.* 2. §. 2. *n.* 441. Tentatio Dei quandoque adjunctam habet infidelitatem, ut si quis dubitans de aliqua Dei perfectione vel providentia, eam miraculô experiri cupiat. Quandoque est etiam contra propriam charitatem, ut si conjuncta sit cum periculo vitæ aut gravis læsionis, *ibid. n.* 442.

Territorium. Nomen Territorii Juris Consulti deducunt à *terrendo*, quasi sit potestas terrendi subditos: alii verò à *terra*, quasi sit certus terræ alicujus ambitus, qui ad Principem seu Dominum pertineat, quem incolunt & quo concluduntur homines, qui propterea subditi dicuntur, *Tom.* 4. *Tract.* 7. *part.* 2. *c.* 3. §. 4. *n.* 268.

Tertullianus, Quis? ejus Opera, & errores, *Tom.* 1. *Tract.* 4. *c.* 1. §. 2. *n.* 36.

Testamentum ex eo sic appellatur, quòd testatio mentis sit, atque definitur Ultimæ voluntatis dispositio solemniter facta cum institutione hæredis, *Tom.* 3. *Tract.* 5. *c.* 3. *Sect.* 2. §. 13. *n.* 452. Jure

tùm Magistris docentibus Theologiam seu sacras litteras: quod privilegium renovavit & confirmavit Concilium Tridentinum Sess. 5. de reform. c. 1. *Tom.* 4. *Tract.* 7. *part.* 1. *c.* 7. §. 8. *n.* 123.

In iis, quæ ad fidem vel mores pertinent, nulla debet haberi ratio Theologorum Scholasticorum, qui nec Scripturâ, nec Traditione, sed sola humana ratione & Recentiorum auctoritate sua placita confirmant, *Tom.* 1. *Tract.* 4. *c.* 3. *n.* 114. Plurium Theologorum Scholasticorum ex iis etiam, qui placita sua ad Scripturæ & Patrum normam exigere se profitentur, consensus in aliquod dogma, si alii insignes, licèt numerô pauciores, dissentiant, non majoris est ponderis, quàm rationes, quibus nituntur, *ib. n.* 115. Unanimis Theologorum Scholasticorũ omniũ in unum dogma consensus Theologo suppeditat magni roboris argumentum, *ibid. n.* 116.

In iis, quæ ad fidem pertinent Jurisconsultorum auctoritate non eget Theologus, quin potiùs eorum Titulorum, qui de fide decernunt, Legis peritus à Theologo petere debet auctoritatẽ, *ibid. n.* 118. In his quoque, quæ ad mores pertinent, quatenùs vel lex Evangelica, vel ratio Philosophica circa eos quidpiam præscribunt, Jure Consultorum seu Canonistarum auctoritas parùm aut certè nihil Theologo conferre potest, *ibid. n.* 119.

In illo rerum genere, ubi scilicet de moribus & disciplina Ecclesiæ Religionisque institutis per Leges tantùm à Synodis vel Pontificibus statutas decernitur, necnon pœnæ Juris præfiniuntur, Jurisperitorum omnium communis consensus concorsque sententia Theologo magnam fidem facere debet, cùm incidit quæstio super hujuscemodi rebus, *ibid. n.* 20.

Ratio naturalis utiliter à Theologo consulitur, non tamen se habet per modum principii respectu Theologiæ, *ibid. n.* 122. Communia principia rationis naturalis certum Theologo argumentum suppeditant: conclusiones verò, quæ aliâ viâ, quàm per demonstrationem ex illis inferuntur, argumentum dumtaxat probabile, *ibid. n.* 123.

Quantùm ad Philosophos eorum fermè eadem hîc ratio ineunda est ac rationis naturalis, *ibid. n.* 124.

Denique quemadmodum Theologo in multis auctoritate Juris Canonici peritorum nitendum est, ita & non paucis, præsertim ubi de justitia & Jure agitur, Juris Cæsarei Consultorum placita sequi debet, *ibid. c.* 4. *n.* 125.

Thesaurus definitur Vetus quædam depositio pecuniæ, cujus non extat memoria, ita ut jam dominum non habeat. Jure naturali & Gentium Thesaurus totus est inventoris; Jure tamen Civili comuni obligante in conscientia hæc de Thesauro statuta sunt, 1mo. est totus illius, qui eum in proprio fundo reperit, nisi arte magica ibi inventus sit; tunc enim totus pertinet ad fiscum, saltem post sententiam Judicis: 2do. Qui fortuitò thesaurum in fundo alieno reperit, fit Dominus dimidii, alterum dimidium tenetur ante sententiam Judicis tradere speciali Domino fundi: 3tio. Thesaurus de industria quæsitus in fundo alieno sine consensu Domini totus est Domini: 4to. Si Thesaurus inveniatur in platea, foro, vel via publica, juxta multos dividi debet cmm Fisco, juxta alios totus est Inventoris: 5to. Qui emit agrum, in quo est Thesaurus reconditus, si ante emptionem invenit thesaurum, media ejus pars pertinet ad Dominum fundi; si autem scivit, sed nondum effodit, quando emit, multi existimant, quòd talis acquirat dominium totius Thesauri, quod tamen alii negant: 6to. Sarcinator, qui in veteri ad alium pertinente veste gemmas invenit, suppositô, quòd ille, ad quem vestis pertinet, ignoret hujus Thesaurus originem, mediam illius partem sibi retinere potest;

Politicæ sive Ecclesiasticæ pax turbetur: ubi verò desinit urgere necessitas, Legislatores, aut ii, qui ex officio curare debent, ut Leges serventur, tolerantiâ uti licitè non possunt, *Tom.* 3. *Tract.* 2. *part.* 2. *c.* 1. *Sect.* 5. *§.* 4. *n.* 256.

Tonsura Clericalis, qua Ecclesia initiandos præparat ad Ordines, est Cæremonia ab Ecclesia instituta, per quam Laicus baptizatus & Sacramentô Confirmationis consignatus, sacro ritu in Clerum adscribitur, *Tom.* 4. *Tract.* 7. *part.* 1. *c.* 7. *§.* 1. *n.* 91. Non est Ordo, *ibid. n.* 90. Quando hæc sacra Tonsuræ Clericalis cæremonia, qua scilicet fit capillorum tonsio, quæ corona dicitur, eò quòd in orbem seu circulũ ducatur, fuerit ab Ecclesia instituta, incertum est, *ibid. n.* 91. Cur autem Ecclesia voluerit Clericos Tonsuram deferre, quæ in sphæræ modum desineret, variæ sunt opiniones: censent aliqui id præscriptum fuisse in memoriam spineæ coronæ, qua Christus redemitus est: alii censent esse signum pœnitentiæ; antiquitùs enim pœnitentes solebant tonderi: volunt alii per eam designari Regiam quidem, sed spiritualem dignitatem, qua Clerici in Ecclesia potiuntur: alii dicunt esse cæremoniam, qua Clericus docetur nuntium remittere sæculari fastui, vanis mundi delitiis & voluptatibus, necnon inanibus rerum fluxæ & labentis naturæ curis, *ibid. n.* 92. Hæc cæremonia ab Ecclesia ad similitudinem Novitiatûs, qui in Ordinibus Regularibus & Monasticis pro illorum Ordinum Candidatis instituitur, introducta fuisse videtur, &c. *ibid. n.* 93.

Torpor Acediæ filia, est languor animi, quo bonum vel omittitur, vel negligenter fit. Est mortalis, si bonum sit graviter præceptum, & semper valdè periculosus est, disponitque ad mortale peccatum, si re ipsa mortalis non est, *Tom.* 3. *Tract.* 6. *part.* 3. *c.* 1. *§.* 7. *n.* 324.

Traditio generatim & latissimè sumta est Doctrina quævis sive scripta sive non scripta ab uno alteri communicata, *Tom.* 1. *Tract.* 2. *in Præloq. n.* 1. Minùs latè & juxta communem loquendi modum sumta, & prout tùm à sacra tum à profana abstrahit, est Doctrina non scripta sed viva voce per Majores ad posteros successivè tradita, *ibid. n.* 2. Strictè verò atque Theologicè spectata & ideò *sacra* nuncupata est Fidei vel morum doctrina non scripta, sed viva voce quasi de aure in aurem successivè tradita, *ibid. n.* 3. Hujusmodi sacra Traditio alia est *divina*, alia *humana*; & hæc alia est *Apostolica*, alia *Ecclesiastica*, & *merè humana* alia, *ibid. n.* 4. & *seq.* Item alia est *de fide*, *de moribus* alia, *ibid. n.* 12. & 13. Alia est *universalis*, alia *particularis*, *ibid. n.* 14. & 15. Iterùm alia est *libera*, alia *necessaria*, *ibid. n.* 16. & 17. Denique alia *perpetua*, alia *temporanea*, *ibid. n.* 18. & 19.

Præter scriptum Dei verbum datur etiam non scriptum seu Traditio divina, *ibid. c.* 1. *n.* 20. & *seq.* Traditiones divinæ habent eandem auctoritatem ac Scriptura divina, *ibid. n.* 25. & *seq.* Sunt necessariæ ad fidem stabiliendam, *ibid. n.* 30. & *seq.* Solv. ob. *ibid. n.* 35. & *seq.*

Undè humana Traditio à divina secerni possit, *ibid. c.* 2. *n.* 70. & *seq.* Undè cognosci possit Traditionem aliquam esse divinam, *ibid. c.* 3. *n.* 74. & *seq.* Undè speciatim variæ, quas recensuimus, Traditiones à se invicem secernantur, *ibid. c.* 4. *n.* 80. & *seq.* Solv. ob. *ibid. n.* 86. & *seq.* Traditio, de qua Jura agunt est veluti conditio à Jure requisita, ut vi tituli acquiratur dominium: Duplex est, *Realis*, qua res ipsa datur in manus; & *Ficta* seu *Civilis*, quæ fit per instrumentum, ut per traditionem clavium aut similem aliam actionem Lege vel consuetudine institutam *Tom.* 3.

prium

prium sit impelli, moveri, & inclinari in rem amatam, impulsus ille subsistens est ac personalis in Deo Spiritus: additur per quamdam appropriationem *Sanctus*; quia sanctitas Spiritui sancto accommodatur, sicut potentia Patri, & Sapientia Filio, *ibid. §.* 3. *n.* 442. 2do. *Amor*, & quidem secundùm personalem & notionalem proprietatem, *ibid. n.* 443. 3tio. *Donum*; 4to. *Paracletus*, id est, *Consolator*, *ibid. n.* 444. *&* 445.

Spiritum sanctum à Patre procedere soli Macedoniani & Ariani negarunt, *ibid. n.* 446. At an etiam æquè à Filio procedat, diuturnior & acrior Latinos inter & Græcos exarsit controversia, negantibus Græcis, Latinis verò affirmantibus, *ibid. n.* 447. *& seq.* Sæpè Græci Latinorum sententiam amplexi sunt, sæpè rejecerunt, *ibid n.* 450. *&* 451. Quo tempore particula *Filioque* Symbolo Constantinop. adjecta fuerit satis incertum est, *ibid. n.* 452. Spiritus sanctus etiam ex Filio procedit, *ibid. n.* 453. Solv. ob. *ibid n.* 454. *& seq.*

Castigandi sunt Theologi Batavi, Remonstrantes dicti, quòd negent Mysterium SS. Trinitatis esse fundamentalem Fidei Christianæ Articulum, *ibid. n.*462.

Tumor mentis est æstus quidam excandescentis animi, & excogitantis diversas vindictæ vias. Mortalis vel venialis est pro qualitate vindictæ excogitatæ & expetitæ, *Tom.* 3. *Tract.* 6. *part.* 3. *c.* 1. *§.* 5. *n.* 317.

U.

Vacatio Beneficii (Vid. *Beneficium*)

Vana gloria (Vid. *Gloria vana*)

Vasa. Varia in Scriptura S. memorantur, *Tom.* 1. *Tract.* 1. *part.* 1. *c.* 8. *n.* 132.

Ubiquitas est *ubique præsentia*; eam Christo convenire secundùm suam humanam naturam tuentur Lutherani, negant Catholici, *Tom.* 2. *Tract.* 3. *c.* 5. *§.* 8. *n.* 254. *& seq.* (Vid. *Idioma*)

Venæ auri & argenti jure naturali & gentium, etiamsi in alieno agro reperiantur, fiunt inventoris: Jure tamen Civili in variis locis in fundo privatorum repertæ sunt partim Principis, partim inventoris. Possunt autem Principes ob bonum commune sibi jus hæc metalla effodiendi vindicare, & concedere privatis jus ea inquirendi ubilibet, etiam in agris alienis, & eruta Fisco applicandi ad sustinenda onera Reipublicæ compensato solo damno, quod loco infertur: hæcque de omnibus metallis sunt intelligenda, *Tom.* 3. *Tract.* 5. *c.* 2. *§.* 3. *n.* 122.

Venatio. Peccant, qui venantur, quando venatio prohibita est propter utilitatem, *Tom.* 3. *Tract.* 5. *c.* 2. *§.* 3. *n.* 102. ut & qui in alterius fundo muris aut sepe circumcluso venantur, *ibid. n.* 103. Item qui invito Domino venationis jus habente in ejus loco non circumcluso venatur, non tamen tenetur ad ferarum captarum restitutionem, *ibid. n.* 104. Fera ab uno vulnerata & ab alio capta est ejus, qui eam vulneravit; laqueô capta est ejus, qui laqueum instruxit, *ibid. n.* 105.

Venatio, quæ fit cum strepitu canum, armorum, & vocum Clericis & Monachis est interdicta, *ibid. n.* 106. *& seq.* sub mortali, *ibid. n.* 120.

Venatio quæcunque prohibetur diebus jejuniorum, & festis, *ibid. n.* 121.

Venditio & *Emtio*. Inter omnes contractuum species non occurrit celebrior & frequentioris usus, quàm Venditio & Emtio. Venditio definiri potest Pactio mercis pro pretio. Accuratiùs & utraque, Venditio scilicet & Emtio, simul sumta definitur Contractus, in qua duo vel plures de merce pro pretio determinato, & de pretio pro mercede terminata paciscuntur. Nomine *rei* aut *mercis* intelliguntur omnes res mobiles, immobiles, jura, actiones, & quidquid pecuniá æstimari & eo npensari potest: nomine pretii intelligitur nu-

tempus pretium ejus solvat, res sit inemta & contractus irritus: licitus est contractus iste, *ibid. n.* 287. Venditio cum pacto addictionis ad diem est ea, qua aliquid venditur ea conditione, ut si alius intra tempus definitum meliorem offerat conditionem, sive aliquid pretio addendo sive solvendo tempore & loco opportuniore sive aliter, res maneat inemta: licita est, modò absit fraus & dolus, putà si venditorem pœniteret contractûs, & fictum emtorem induceret, qui majus pretium offerre simularet, *ibid. n.* 288. Venditio rei creditò si justò pluris, id est ultra summum pretium fiat, illicita est, ut & ea, quæ fit anticipata solutione, si res vendita infra pretium infimum ematur, *ibid. n.* 292.

Secluso lucro cessante vel damno emergente non licet credita & chyrographa liquida & secura minoris emere quàm contineant, *ibid. n.* 293. Non licet census jam constitutos multi periculo expositos emere infra pretium Lege vigente taxatum: quòd si Lex sit per consuetudinem legitimè præscriptam abrogata vel revocata ex consensu saltem tacito Principis, ita ut census constitutus habeat pretium vulgare, potest infimò pretiò emi census, qui summô venditus fuit, *ibid. n.* 294.

Si hujusmodi credita, &c sint litigiosa, vel si eorum solutio sit incerta, aut cum difficultate & molestiis exigenda, tunc licitè emuntur minoris, quàm contineant, *ibid. n.* 295. (Vid. *Proxeneta*, seu *Factor*, *Arrha*, *Monopolium*, *Mercatura* seu *Negotiatio*, *Mobatra*, *Retractus gentilitius*)

Venditor fructus & utilitates rei venditæ percipere non potest, si rem emtori tradiderit pretiô promissô, quamvis necdum solutô, *Tom.* 3. *Tract.* 5. *c.* 3. *Sect.* 2. §. 1. *n.* 259.

Obligationes venditoris sunt, ut rei venditæ dominium tradat prout conventum est: ut quamdiu eam servat, quasi suam servet: Ut rescindat venditionem vi, metu, aut dolò factam, aut emtoris damnum debitô modô compenset: ut emtorem de occultis defectibus rei admoneat: ut evictionis lege teneatur, *ibid. n.* 265.

Si res eadem duobus emtoribus successivè vendita neutri auté tradita fuerit, debetur priori emtori; si verò tradita sit secundo emtori, hujus est; priori autem competit solùm actio in venditorem: excipe nisi res vendita sit vel donata civitatibus aut Ecclesiis, vel locis piis, aut ad pias causas: potest tamen prior emtor rem evincere à posteriori, si hic mala fide emit; imò posterior tenetur rem spontè priori tradere receptô pretiô, si impulerit venditorem ad sibi iterùm vendendum, sciens rem jam venditam esse alteri; quod idem procedit in aliis contractibus, v. g. in Locatione, *ibid. n.* 266.

Si emtor quærat an res careat vitiô, venditor tenetur ex justitia aperire rei vitia, præsertim occulta, *ibid. n.* 267. Si res putetur noxia vel inutilis ad usum ad quem petitur, venditor, etiam non rogatus, tenetur ejus vitium aperire, *ibid. n.* 268. idem dicendum, si rem vitiosam vendas emtori revenditurο, *ibid. n.* 269. Venditor ignarus vitii suæ mercis occulti tenetur eo cognito vel rescindere contractum, vel resarcire inæqualitatem restituendo pretii excessum: non tenetur tamen compensare alia damna inde secuta, modò absit culpa lata & levis, *ibid. n.* 270. Quamvis, dum vitium rei est manifestum, censeatur notum emtori, si tamen venditor sciat emtorem illud non animadvertere, & esse periculosum, tenetur ei declarare, etsi non rogatus: idem dicendum, si vitium adversetur intentioni, quam actu habet emtor in emendo, quamvis ex incuria illud non advertat, *ibid. n.* 271. Si vitium non reddat rem noxiam, nec periculosam, nec notabiliter minùs inutilem,

Ver-

Verbum sic assumsit naturam humanam, ut divinitas, corpus, & anima humana in unam personam coaluerint, *ibid.* §. 5. *n.* 19. Solv. ob. *ibid. n.* 191. & *seq.*

Quomodò natura humana in Verbo subsistat clarè & nitidè à nemine exponi potest, ut arbitramur, cùm sit fidei mysterium humanæ naturæ & rationi prorsùs impervium; putant tamen aliqui, istud mysterium utcunque exponi & declarari posse exemplô unionis animæ cum corpore, *ibid.* §. 8. *n.* 231. Magis consentaneum & congruum fuit Verbum incarnari, quàm Patrem & Spiritum sanctum, *ibid. n.* 244. Impossibile fuit, ut Verbum divinum humanitatem per se subsistentem assumeret, *ibid. n.* 245. potuit tamen Angelicam naturam assumere, ex conjecturis tamen definiri quadammodò potest, cur potiùs humanam assumserit, *ibid. n.* 247. Nullo temporis instanti priùs assumsit animam humanam quàm corpus, *ibid. n.* 248. attamen mediante anima illud assumsit, adeoque prioritate naturæ aut quasi naturæ dumtaxat ab ipso assumta est anima quàm caro, *ibid. n.* 249. (Vid. *Trinitas, Christus*)

Veritas, sive, ut alii loquuntur, *veracitas* est virtus, qua damus operam, ne quid à nobis aliter enuntietur, quàm sit, vel fuerit, vel futurum sit; seu breviùs, est virtus, qua inclinamur ad semper loquendum conformiter menti nostræ: ei opponitur mendacium, quod est locutio contra mentem (Vid. *Mendacium*)

Versiones S. Scripturæ, sunt penè innumeræ - Versiones Veteris Testamenti, *Tom.* 1. *Tract.* 1. *part.* 1. *c.* 7. *n.* 94. Versio Chaldaica, *ibid. n.* 96. Versio Syriaca, *ibid. n.* 97. Variæ græcæ versiones, *ibid. n.* 98. Inter illas præeminet illa, quæ sub nomine Septuaginta Interpretum circumfertur, *ibid. n.* 99. Illius historiam, quæ in libello aliquo, qui Aristææ cujusdam nomen præfefert, multi eruditi fabulosam autumant, & cur, *ibid. n.* 100. Apud Antiquos Patres maximo fuit in pretio, *ibid. n.* 101. (Vid. *Aquila, Hesychius, Lucianus, Symmachus, Theodotion*)

Versiones Latinæ S. Scripturæ olim & primis Ecclesiæ temporibus fuerunt innumeræ: prima, quæ prodiit, quantùm ad Vetus Testamentum ex Græca Septuaginta Interpretum versione adornata fuit, atque *Itala* dicta est, vel quòd in Italia, vel pro Italis primùm confecta fuerit, *ibid. n.* 110. & 111.

Novum Testamentum S. Hieronymus è Græco in Latinum transtulit, vel saltem emendavit, *ibid. n.* 111. atque etiam eos Veteris Testamenti libros Hebræos sermone ab ipsorum auctoribus scriptos latinè reddidit, intactos relinquens illos, quos Græco dumtaxat sermone scriptos invenit, *ibid. n.* 112. & 113. Ea, quæ *Vulgata* nuncupatur latina tùm Veteris tùm Novi Testamenti versio, ex Veteri Itala & S. Hieronymi versione confecta est; illam latô Decretô Concilium Tridentinum Authenticam declaravit, idque jure & meritò, *ibid. n.* 114. & *seq.*

Vestes Sacerdotis cùm ad Missam celebrandam accedit, *Tom.* 4. *Tract.* 4. *c.* 5. §. 1. *n.* 485. & *seq.*

Vicarius Generalis is dicitur, qui Episcopi vices gerit, ejus auctoritate & potestate instructus. Vicarius Generalis nonnisi voluntariam seu gratiosam jurisdictionem exercere potest, eâ, quæ contentiosa est, uni Officiali reservata.

Mandatum Vicarii Generalis variis modis expirat; 1mo. per revocationem mandantis Episcopi; 2do. morte naturali, aut civili mandantis, depositione aut resignatione ejusdem; eodem jure Episcopô suspensô vel excommunicatô facultas Vicarii suspenditur. 3tio. morte naturali, vel civili ipsius Vicarii, vel renuntiatione ejusdem.

Mandatum Vicarii ad Beneficia debet esse generale, non speciale, ne votum detur captandæ mortis: si quæ autem restrictiones fiant in mandato, exprimendæ sunt

quia, cùm multæ in Ecclesia unctiones sint in usu, hæc ordine est postrema. Dicitur à Græcis *Oleum sanctum*, quia precibus & Ecclesiæ benedictione sanctum effectum est, & homines unctione reddit sanctos: passim etiam apud ipsos dicitur *Oleum cum Oratione*, eò quòd Oratio hujus Olei unctionem semper comitetur. Dicitur etiam à subjecto, cui ministratur, *Unctio infirmorum.* Item pœnitentiæ & totius Christianæ vitæ, quæ perpetua pœnitentia esse debet, consummativum Sacramentum, *Tom. 4. Tract. 6. Proœm. n. 2.* Definiri potest Sacramentum Unctionis infirmorum à Christo Domino institutum ad sanitatem mentis & corporis precibus Sacerdotum obtinendam per infusionem gratiæ sanctificantis & sanationem morborum, ubi animarum saluti expedit, *ibid. n. 3.*

Lutherus & Calvinus primi apertè negarunt Extremam Unctionem esse Sacramentum propriè dictum, *ibid. c. 1. n. 4.* Falsumque est Waldenses Sæculô XII. aut Wiclefum Sæculô XIV. & post ipsum Sæculô XV. Joannem Huss eam ex albo Sacramentorum expunxisse, *ibid. n. 5. & seq.* Est verum ac propriè dictum Sacramentum Novæ Legis à Christo institutum, & à S. Jacobo Fidelibus commendatum ac promulgatum, *ibid. n. 8. & seq.* Solv. ob. *ibid. n. 12. & seq.*

Materia Extremæ Unctionis, prout in aliis Sacramentis, duplex est, *remota* nempe & *proxima*: prior est oleum simplex ex olivis expressum, & ab Episcopo benedictum, *ibid. c. 2. §. 1. n. 22. & seq.* Materia ejus proxima est unctio facta à Sacerdote, *ibid. n. 30.*

Ad veritatem & validitatem Sacramenti sufficit unica unctio; ex præcepto tamen Ecclesiæ multiplex est adhibenda; *ibid. n. 31.*

Forma est oratio, quam Minister fundit dum infirmum ungit, quæ quibus verbis constare debeat, Christus non determinavit, sed determinandum Ecclesiæ reliquit, *ibid. n. 32.* Controvertunt Theologi, an forma hujus Sacramenti essentialiter sit deprecatoria, an verò etiam possit esse indicativa, *ibid. n. 34. & 35.* Nos dicimus deprecatoriam esse convenientem & retinendam, *ibid. n. 36.*

Christus Dominus est Auctor Sacramenti hujus, ut jam suprà dictum est, *ibid. §. 2. n. 37.* Communis & probabilior est sententia hoc Sacramentum immediatè à Christo fuisse institutum, *ibid. n. 38.* Communis item & probabilissima est Doctorum sententia illud ab ipso fuisse institutum post suam à mortuis resurrectionem tunc, cùm Apostolis concessit ligandi atque solvendi potestatê, *ib. n. 39.*

Soli Sacerdotes cujuscunque Ordinis sunt jure divino Ministri Extremæ Unctionis; nullatenùs verò Laici, *ibid. §. 3. n. 41. & 42.* Solv. ob. *ibid. n. 45. & seq.* Valet Extremæ Unctionis Sacramentum, licèt ab uno tantùm Presbytero seu Sacerdote collatum, *ibid. n. 43.* Solv. ob. *ibid. n. 47. & seq.* Solus proprius Sacerdos, vel de ejus licentia alius licitè illud administrare potest, *ibid. n. 44.*

Apud Græcos quivis Fidelis pœnitens sive sanus sit, sive infirmus est subjectum hujus Sacramenti. Calumniæ Græcorum Schismaticorum, item Lutheri & Calvini adversùs Ecclesiam Latinam, quasi solis agonizantibus & moribundis illud administraret, *ibid. c. 3. n. 49.* In mente igitur Ecclesiæ Latinæ iis solis impertienda est Extrema Unctio, qui sunt in gravi mortis periculo ortô ex aliquo morbo seu ex aliqua corporis infirmitate, nec expectanda est extrema vitæ periodus, *ibid. n. 50. & seq.* Non omnibus tamen periculosè decumbentibus exhibenda est: non iis, qui in ipso actu criminis sensibus sunt destituti; nec iis, qui levi aliqua infirmitate laborant, ex qua mors probabiliter timeri non possit; nec iis, qui cùm sano sint corpore, vel pro-

teris clarior & facilior videtur sententia, qua dicitur Unio nihil esse extremis unitis superadditum, atque ideò, quòd natura humana se ipsâ, absque ulla qualitate aut modo conjungatur Verbo divino in unitatem personæ, *Tom.2. Tract.3.c.5. §.8.n.*230. An Unio hypostatica sit quid creatum aut increatum, *ibid. n.* 232. An sit in Christo naturalis & substantialis, *ibid. n.* 233. An facta sit in natura vel in persona, *ibid. n.* 234. Utrum sit omnium unionum maxima, *ibid. n.* 235. Utrum sit perpetua, constans, & indissolubilis, *ib. n.* 236. & proindè an etiam in triduo mortis Christi Verbum divinum neque à corpore neque ab anima recesserit, *ib.n.* 237. & etiam neque à sanguine tempore passionis à Christo effuso, & à corpore sejuncto, *ibid. n.* 238. *& seq.* (Vid. *Christus*, *Verbum*)

Unitas Ecclesiæ est consensus seu conjunctio Fidelium tanquam membrorum inter se & cum Capite, *Tom.* 1. *Tract.* 3. *c.* 2. *§.* 1. *n.* 76.

Vocatio ad sacros Ordines seu Ecclesiæ ministerium duplici modò spectari potest, 1mo. in intentione & decretis divinis, 2do. in executione & effectibus, *Tom.* 4. *Tract.* 7. *part.* 3. *c.*1. *§.*1. *n.*280. (Vid. *Ord.*)

Voluntarium rectè definitur Actus à principio intrinseco seu voluntate procedens ex prævia cognitione & advertentia saltem virtuali aut interpretativa rationis seu intellectûs, quæ nempè potuit & debuit haberi, *Tom.* 3. *Tract.* 1. *c.* 1. *§.* 1. *n.*9. Dividitur 1mo. in Voluntarium in se seu expressum & explicitum, & in Voluntarium in causâ seu implicitum aut virtuale, *ibid.n.* 10. 2do. in Formale seu directum, & Interpretativum seu indirectum, *ibid. n.*11. 3tio. in Simplex seu purum, & in Voluntarium secundùm quid seu mixtum, *ibid. n.* 12. 4to. in Necessarium, & Contingens, *ibid. n.* 13.

Voluntarium duo includit, nempe voluntatis inclinationem, & cognitionem seu advertentiam eorum, in quibus est actio, seu quæ actum comitantur, *ibid. §.* 2. *n.* 14. Undè multiplici sensu aliquid dici potest involuntarium, & re ipsâ dividitur 1mo. in Involuntarium privativè, cum scilicet voluntas aliquid non vult, quod velle posset, & in Involuntarium contrariè vel positivè, quo aliquid non tantùm non est volitum, sed etiam est nolitum & voluntati adversum: 2do. Involuntarium contrariè duplex est, unum *simpliciter*, quod ita voluntati displicet, ut illud nullo modo velit, sive demùm impedire possit ne fiat, sive non; alterum *secundùm quid*, quod licèt sub aliquo respectu voluntati displiceat, eidem tamẽ sub alia consideratione magis placet, *ibid. n.* 15.

Voluntas sola est propriè & directè causa efficiens peccati, *Tom.* 3. *Tract.*6. *Proœm. n.*11. Triplici actu illicitum objectum voluntas prosequi potest: 1mus est volitio efficax objecti, qua voluntas vult adhibere media, quæ sunt in ejus potestate ad illud objectum assequendum, seu opus volitum exequendum: 2dus. est desideriũ inefficax: 3tius. est simplex delectatio, seu mera complacentia de objecto seu opere apprehenso absque proposito exequendi & desideriô assequendi, quæ est simplex quidam voluntatis affectus, quo res apprehensa tanquam jucunda placet & grata atque accepta habetur, *ibid. part.* 2. *c.* 3. *§.* 4. *n.*242.

Quomodò voluntas ad fidem seu fidei actũ concurrat, *Tom.*3. *Tract.*3. *part.*1. *c.* 3. *§.*1. *n.* 70. (Vid. *Fides*, *Actus humanus*)

Voluntas Dei (Vid. *Deus*)

Voluntates ultimæ. Generatim ultimæ voluntatis nomine intelligitur actus, quo quis legitimè statuit, quid de rebus suis post mortẽ suam fieri velit; estque ipsa Donatio mortis causâ, quæ respectu harum ultimarum voluntatum est genus, *Tom.* 3. *Tract.* 5. *c.* 3. *Sect.* 2. *§.* 13. *n.* 450.

Quadruplicis generis seu speciei sunt ultimæ voluntates, nempè Testamentum,

ibid. §. 6. *n.* 141. Si eo præfixo tempore vel ex impotentia, vel ex negligentia votum non reddiderit, si tempus illud principaliter definivit, non est obligatio implendi votum terminô elapsô; si verò illud definivit tanquam terminum, ultra quem noluit differre voti executionem, manet obligatio voti implendi: quòd si nullum præfixit terminũ, votum, quamprimùm commodè fieri potest, debet impleri, *ibid. n.* 142. Mutatio in materia voti superveniens, quam si vovens prævidisset, votum non emisisset, si tantùm est ad tempus, suspendit obligationem dumtaxat, non tollit; si autem sit perpetua, omninò tollit obligationem, *ibid. n.* 143. Votum personale per ipsum voventem impleri debet ita, ut, si illud implere non valeat, illud in aliud mutare, quod impleri possit, non teneatur: votum autem reale per alium impleri etiam ex suis rebus potest, *ibid. n.* 144. Votum ergò mixtum, quatenùs est personale, per alium impleri non potest; benè autẽ quatenùs est reale, *ibid. n.* 145. Votum interpretandum est juxta intentionem, quam vovens habuit vel habere debuit: si clara non sit ejus intentio, interpretandum est juxta communem verborum intelligentiam, quibus expressum fuit: strictè etiam est interpretandum. Voti materia eo modo poni debet, quo poneretur materia Legis divinæ, & humanæ, quia votũ habet naturam Legis, *ib. n.* 146.

Voti obligatio tollitur 1mo. defectu impletæ conditionis, *ibd.* §. 7. *n.* 147. 2do. Irritatione, si sit votum in præjudicium tertii, *ibid. n.* 148. Vota Religiosorum irritare possunt Superiores ipsorum sive personalia sint, sive realia, exceptô votô strictioris Religionis. Pater potest omnia vota tùm realia tùm personalia filii impuberis; non verò directè vota personalia filii puberis, benè tamen indirectè, quatenùs hujusmodi voti executio vergit in præjudicium familiæ, *ibid. n.* 149. & 151. Illud discriminis est inter irritationem directam & indirectam voti, quòd prior prorsùs extinguat votum; posterior verò afficiat dumtaxat materiam voti, ipso voto illæso & permanente, undè hæc indirecta irritatio est potiùs suspensio executionis voti, quàm illius extinctio, *ibid. n.* 150. Domini irritare possunt vota servorum, quatenùs ea vergunt in eorum detrimentum, *ibid. n.* 152. Maritus potest irritare & suspendere uxoris vota etiam ante Matrimonium emissa, & vicissim, quando nocumentum afferunt societati conjugali, *ibid. n.* 153. Tollitur voti obligatio per dispensationem, qua fit, ut id, quod erat materia voti, propter novam aliquam circumstantiam desinat esse illius materia: ad hoc ut talis dispensatio sit licita tam ex parte dantis quàm recipientis, debet fieri ex justa causa, *ibid. n.* 154. Justæ autem dispensationis causæ sunt, præsertim in castitatis ac Religionis voto, 1mo. cùm per Matrimonium sedandæ sunt lites, quæ familias dividunt; 2do. cùm alioqui conservari nequit illustris aliqua familia, cujus tamen conservatio Reipublicæ splendori & bono plurimùm profutura est; 3tio. cùm votum potest esse voventi occasio ruinæ; 4to. generatim faciliùs dispensatur in votis, quæ ex metu aut ex fervore passionis alicujus emissa sunt, &c. *ibid. n.* 155. Potestas ordinaria dispensandi in votis competit solis Prælatis habentibus jurisdictionem in foro externo, Papæ ergo omnes Fideles in omnibus votis; Episcopis erga suos subditos in votis Papæ non reservatis; item habentibus jurisdictionem quasi Episcopalem, & eorum quoad hoc Delegatis, *ibid. n.* 156. Vota Papæ reservata, præter solemnia, sunt quinque, scilicet castitatis perpetuæ, ingrediendi Religionem approbatam, peregrinationis in Jerusalem, ad limina Apostolorum, & ad S. Jacobum in Compostella: quæ si conditionata vel pœnalia

mutuans privat se potestate utendire mutuata, *ibid. n.* 321. nec quia qui dat mutuò, id facere non tenetur, *ibid. n.* 320. nec quia pecunia numerata seu præsens est pretiosior numerandâ & absente, *ibid. n.* 324. nec propter obligationem non repetendi sortem ante certum tempus, *ibid. n.* 332. nec propter periculum quod in omni mutuo secundùm se spectatô aut secundùm finem, ad quem à Deo fuit ordinatum reperitur, *ibid. n.* 334. & 335. benè autem si mutuans in se sortis periculum suscipiat & recipiat, *ibid. n.* 336. ut & propter periculũ probabile extrinsecum sortis, *ibid. n.* 337. Attamen hîc notant graves Theologi id in praxi vix sine usura evenire, *ibid. n.* 338. Licet denique aliquid in mutuo ultra sortem exigere & recipere titulô præcisè à statuto & locorum consuetudine petitô, *ibid. n.* 339. & *seq.* vocaturque usura minùs strictè sumta, *ibid. n.* 248. ea debet esse moderata, atque juxta modum à Legibus definitum, *ibid. n.* 341. & *seq.*

Mutuans non potest fructus pignoris sibi pro mutui assecuratione traditi ultra sortẽ exigere & accipere; excipitur 1mo. feudum in pignus debiti Domino directo datum; 2do. fundus, qui locô dotis in pignus datur, *ibid. n.* 349. Mutuans, qui vi mutui à mutuatario exigit, ut condonet reparationem injuriæ, ad quam mutuans vel alius jam à Judice condemnatus est, vel condemnari debet, quamque mutuatarius nec ex justitia nec ex charitate remittere tenetur, usuram cōmittit, *ibid. n.* 351. Usura etiam esse videtur exigere à mutuatario, ut, quoties indigeuerit mutuator, remutuet, vel ut justô quamvis pretiô emat apud mutuantem, in molendino ejus molat, domum ejus locet, &c. *ibid. n.* 352.

Pœna conventionalis absque usura mutuo apponi potest, modò adsint conditiones sequentes, 1mo. ut non fiat in fraudem usurariam, sed ex sola vera & sincera intentione sortem suam tempore statuto recuperandi; 2do. ut debitor verè sit in culpa non solvendo notabili tempore post transactum terminum; 3tio ut pœna sit moderata secundùm mensuram culpæ & rei mutuatæ; & si pars debiti solvatur, non potest tota pœna exigi, sed tantùm pro ratione partis non solutæ, *ibid. n.* 353. Talis pœna conventionalis debetur ante omnẽ Judicis sententiam, *ibid. n.* 354. Quare Deus usuram Hebræis permiserit, *Tom.* 1. *Tract.* 1. *part.* 2. *Sect.* 1. *c.* 1. *n.* 202. (Vid. *Usurarius*)

Usurarius Realis ad restitutionem auctarii percepti tenetur, *Tom.* 3. *Tract.* 5. *c.* 3. *Sect.* 2. *§.* 3. *n.* 356. ut & Mentalis, *ibid. n.* 357. item ille, qui bona fide contractum usurarium iniit: non item si expressè intenderit omni, quo potest, titulô justô contrahere; aut si virtualiter & implicitè justum aliquem titulum intendat, *ibid. n.* 358.

Tutores restituere tenentur id, quod ex pupillorum denariis usurariè compararunt, *ibid. n.* 359. Hæredes usurarii tenentur restituere ea, quæ ipse usurariè comparavit, singuli scilicet pro rata, non verò in solidum, *ibid. n.* 360. Qui cooperantur ad usuras etiam restituere tenentur, sicut ii, qui furto cooperantur, ut sunt consulentes & suadentes usuras, aut pecuniam præbentes ad eas exercendas; Domini temporales, Judices, Advocati, qui edictô, præceptô, aut aliter causæ sunt, ut vel solvantur usuræ, vel solutæ non restituantur; Ministri principales Usurarii, ut proxenetæ, negotiorum gestores, factores, correspondentes, Notarii conficientes instrumenta, requirente Usurario, vi quorum solvendæ sunt usuræ; secùs si postulante mutuatario ea conficiant; quamvis enim sic peccent & perjuri sint, non tamen sunt injusti, quia volenti & roganti non injuriã sed solatiũ afferunt, *ib. n.* 361.

Usurarii publici & notorii sunt infames, &c. *ibid. n.* 362. Seclusa necessitate gravi & rationabili, non licet petere mutuum ab Usurario sub usuris, *ibid. n.* 364.

Usus

Z.



F I N I S.

ERRATA

In Exercitationibus Theologicis.

Pag.	Col.	Lin.	
9.	2.	32.	materialium *lege* immaterialium
11.	1.	26.	Aa'gumeutum *lege* Argumentum
Ibid.	2.	38.	quadem *lege* quadam
15.	1.	16.	ratiocinis *lege* rationis
16.	1.	37.	natione *lege* notione
32.	1.	36.	ventitutionem *lege* ventilationem
41.	1.	30.&31.	volio *lege* volitio.
Ibid.	2.	9.	fonnalis *lege* formalitas
61.	1.	40.	fundamento *lege* fundamentum
69.	1.	42.	parite *lege* paritate
87.	2.	32.	*post* tantùm *adde* de
89.	1.	33.	*post* Theologorum *dele* satis valeant, & *lege* neutiquam satisfaciant
92.	1.	12.	atqui *lege* atque
100.	1.	45.&46.	præscientiam *lege* præscientiâ
131.	1.	1.	antecedenteē *lege* antecedentem
132.	1.	1.	seipsum *lege* seipsam
134.	1.	37.	actuli *lege* actuali
135.	1.	18.	Aunatum *lege* Annatum
153.	1.	1.	*post* eorum *adde* merces
168.	2.	2.	dari *lege* dare
170.	1.	24.	diectionis *lege* dilectionis
189.	1.	36.	*post* ipsis *adde* os
212.	2.	1.	auctu *lege* actu·
213.	2.	22.	adque *lege* atque
223.	2.	4.	habitas *lege* habitus
230.	1.	29.	ultò *lege* ultrò
231.	2.	35.&36.	precipus *lege* precibus
232.	1.	21.	ea *lege* eas
240.	2.	42.	*post* audisset *adde* verba sua
243.	2.	26.	Apaniensem *lege* Apamiensem
249.	1.	12.	*post* conclusiones *adde* ex
272.	1.	39.	catenui *lege* carendi

In Indice Theologiæ Universalis.

Pag.	Col.	Lin.	
10.	1.	25.	prius *lege* primus
12.	1.	39.	alterutris *lege* alterutrius
23.	2.	41.	absolutio *lege* ablutio
24.	2.	32.	fideles *lege* fidelis
28.	2.	11.&12.	liros *lege* libros
37.	2.	36.	diciur *lege* dicitur
54.	1.	9.	*post* vitium *adde* rei
60.	1.	36	ad *lege* aut ·
73.	1.	10.	*post* mandans; *adde* consulens;
Ibid.	2.	41.	priorem *lege* priorum
88.	1.	31.	*post* objecti *adde* &
93.	1.	30.	aventitia *lege* adventitia
Ibid.	2.	12.	*post* naris *adde* det
99.	2.	5.	3do. *lege* 2do.
108.	2.	33.	rarius *lege* varius
109.	2.	45.	iliud *lege* illud
115.	2.	4.	Fideijussionis *lege* Fidejussionis
Ibid.	Ibid.	13.	eis *lege* is
123.	1.	9.	& *lege* est
135.	1.	11.	Prius *lege* pius
Ibid.	Ibid.	23.	infinitivum *lege* infinitum
144.	2.	4.	hoc *lege* hac
145.	1.	21.	iliud *lege* illud
152.	2.	2.	prohihibiti *lege* prohibiti
157.	1.	41.	pro *lege* præ
158.	1.	6.	scandalus parienm *lege* scandalum pariens
Ibid.	Ibid.	penult.	temporibus *lege* prioribus
170.	1.	ult.	*post* inter *adde* se
171.	1.	33.	talen *lege* talem
175.	2.	16.	ad *lege* ac
179.	2	11.	Ordinari *lege* Ordinarii
186.	1.	penult.	propinguitas *lege* propinquitas
196.	2.	25.	rationes *lege* rationis
210.	1.	38.	immediante *lege* immediatè
211.	1.	39.	lanquentes *lege* languentes
216.	2.	43.	quod *lege* quos
231.	2.	21.	vivos *lege* viros
235.	1.	24.	impeditius *lege* impeditus
242.	2.	7.	His *lege* Hic
247.	1.	40.	professionem *lege* possessionem
258.	2.	ult.	*dele* non
270.	2.	1.	*post* etiam *adde* in
272.	1.	23.	*dele* qua.
275.	2.	16.	naturo *lege* natura
282.	2.	12.	re *lege* res
284.	1.	12.	forro *lege* foro
287.	1.	penult.	quod *lege* quot
Ibid.	2.	18.	*post* sui juris *adde* potest.
Ibid.	Ibid.	38.	subjicere *lege* subjici
291.	1.	33.	cadunt *lege* cædunt
295.	2.	penult.	thesaurus *lege* thesauri
298.	1.	9.	Traditio *lege* Transactio
299.	2.	43.	mercede *lege* merce
302.	2.	38.	sui *lege* suis
303.	2.	15.	Hebræos *lege* Hebræo
309.	1.	12.	sit *lege* si
310.	1.	3.	videntur *lege* videtur
Ibid.	2.	42.	numerada *lege* numeranda
312.	1.	13.	domino *lege* dominio
Ibid.	2.	7.	Usufructuari: *lege* Usufructuarii

5-2





